Mezieres

25°°

Roman



SANCTÆ ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ CONCILIA, AC SYNODALIA DECRETA.

Quæ hactenus aut nondum edita, aut varijs locis dispersa in unum corpus collegit,
Ad Manuscriptorum fidem & meliores editiones contulit,
Summorum Pontificum, Archiepiscoporum & Episcoporum Normaniæ tabulam exhibuit,
Ac eorumdem & Regum, Principum & aliorum Diplomata, Epistolas, Conventiones &c. addidit

Brevem item Rotomagensium Præsulum notitiam dedit D. FRANCISCUS POMMERAYE *Congregationis S. Mauri Alumnus.*

Notas præterea & Observationes subjunxit in eadem Concilia per D. ANGELUM GODIN, ejusdem Congregationis Monachum concinnatas.

Opus Clericis præsertim totius Provinciæ, ac ceteris etiam Ecclesiasticæ disciplinæ studiosis perutile.

Ex Libris fr. Thomæ de monte infirmorum 1746.




ROTOMAGI,

Impensis & Typis BONAVENTURÆ LE BRUN, Typographi & Bibliopolæ, in area Palatij, sub signo S. BONAVENTURÆ.

Cum Privilegio Regis & Superiorum Permissu.

M. DC. LXXVII.



AD SANCTÆ ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ CONCILIA, ET SYNODICA DECRETA &c.

PRÆFATIO.

Synopsis totius operis.



UM jam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio, Apostoli, forma facti gregis Christi, successoribus suis Concilia adunandi potestatem reliquerint & modum, utpote qui octo celebrasse referantur, priusquam singuli ad indictam sibi Provinciam sese reciperent. Inde sequioribus sæculis, ubi rerum necessitas id postulavit, sacros illos Episcoporum Cœtus frequenter æque ac feliciter per universum orbem christianum cernimus congregatos. Eorum autem decisiones quanti fecerit & quali cum honore universalis complexa fuerit Ecclesia, vel ex eo manifestum fit quòd pleræque earum receptæ & asservatæ ad nostram usque ætatem pervenerint. Verùm contigit tandem lapsu temporum, ut cùm in unum corpus redacta ejusmodi Concilia, suâ mole & ingenti voluminum numero lectorum animos primo statim aspectu deterrerent, eorum summa à varijs collecta, ad prægrande etiamnum volumen excreverit. Quòd cum plura contineat, quæ ad exterarum nationum seu ritus seu mores potissimùm spectant, non ingratum nostratibus fore visum est, nec publico bono incommodum, si res ad secundam nostram Lugdunensem pertinentes, varijs dispersas voluminibus in unum redigeremus, ut Clerici quibus rerum tenuitas copiosam Librorum supellectilem comparare non patitur, unico libello vilioris pretij contenta habeant, quæ præcipua ad fidei & morum institutionem satis esse possint; plura insuper ad res & personas sacras Diœcesis ac totius etiam Provinciæ, imo & ad Ecclesiasticæ disciplinæ regimen & historiæ notitiam spectantia, quæ omnia ut municipalium legum codicem venerarentur.

1. post Apostolos Romæ habitum circa 150 sub Telesphoro.

Sanè eorum notitiam tanti fecit adeoque necessariam existimavit S. Carolus Borromæus, ut in Mediolanensi 5. Concilio. Qui ad beneficia Ecclesiastica admittendi, forent examinandos statuerit; *An aliquam sacrorum Canonum notitiam habeant? & præcipuè quoad Tridentinum & Concilia Provincialia*, &c.

Scio equidem in primis Ecclesiæ nascentis sæculis haud adeo frequenter ha-

bita fuisse Concilia, in occiduis hisce christiani orbis partibus, seu quòd ibi rariùs hæreses pullularint quàm in orientalibus plagis, in quibus ad stabilienda fidei dogmata, & extinguenda in suo exortu errorum monstra, præcipuè œcumenica congregata sunt; seu etiam quòd Romani Pontifices instantiori curâ & sollicitudine res in ordine continerent. Quod de generalibus Concilijs maximè intelligendum dico, cùm alioqui in Gallijs Conciliorum Provincialium celebratio jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ frequenter in usu fuerit, quæ ab Apostolis Metropoleωn erectione eo consilio instituta creditur, ut communio inter Episcopos retineretur, quæ in primis necessaria est ad Ecclesiasticam disciplinam seu constituendam pariformiter seu conservandam, néve in rebus fidei quidpiam innovaretur. Attamen haud nobis constat an apud secundam nostram Lugdunensem utpote satis remotam frequentes adeo fuerint ejusmodi conventus quorum memoria prorsus interierit; seu varijs excursionibus Normanorum à quibus vastata toties Provincia, ac incendijs & deprædationibus deformata, non sine magno antiquitatis dispendio, eorum exemplaria prorsus exciderint; cùm nullum nobis supersit antiquius Concilium eo, quod divi Ansberti tempore habitum legimus, quamvis plures ex ejus prædecessoribus varijs interfuisse ac subsignasse Nationalibus Concilijs legamus,

Sanè jam ineunte sæculo quarto Victricius noster, cujus tantopere fidem Eminentissimus Cardinalis Baronius & cum Romana sede communionem commendavit, in disciplinis Ecclesiasticis nondum perfectè eruditus Innocentium primum consuluit à quo insignem illam accepit * Decretalem quæ huic nostræ collectioni fecit initium, tum subjunximus binas S. Paulini ad eumdem Victricium Epistolas, quibus Ecclesiæ Rotomagensis florentissimus in hac felici ætate flatus apprimè depingitur.

de ea fit mentio in 2 Turon. Côcil. & alibi passim.

Primum itaque Concilium cujus mentio occurrit, habitum fuit sub S. Ansberto, anno 693, ut luculenter alibi probavimus, hujus fragmentum ab Ansgrado Fontanellensi Monacho servatum damus. Etsi varij Canones quos Rhegino, Burchardus & alij protulere ex antiquioribus Concilijs Rotomagensibus depromptos, incerti tamen temporis aliud, non sine fundamento, sentiendum suadeant, videlicet plurimùm eam ætatem præcessisse quàm à nobis positum fuit, sub ejusmodi titulo: *Concilium* nimirum *circa annum 900, de quo infra mox agemus.*

Habita fuere annis 755 & 844 duo Concilia Verno palatio, quæ paulò liberaliùs Ecclesiæ nostræ nonnullis placuit ascribere, quamvis in brevi dissertatiuncula quam ad eum locum exhibuimus nihil prorsus ad res nostras attinere fateamur. Secus autem de Concilio Pistensi vel ad Pistas, quod post Epistolam formatam Liutadi Vinciensis Episcopi ad Wenilonem nostrum dedimus, cùm citra ullam controversiam, Pistris non longè ab urbe Rotomagensi habitum fuerit anno 863.

Quantum verò increverit abhinc, celebrandorum Conciliorum usus, facilè quis poterit advertere, quæ ante Pipini tempora, aut prætermissa prorsus, aut saltem interrupta fuerant in partibus nostris; præcipuè tamen Caroli magni & filiorum ejus ætate crebriora fuere, adeo ut Ludovicum Pium rogaverint Patres Concilij Parisiensis 6, ut eis liberum sineret, bis in anno conveniendi

juxta Canones, aut saltem semel quò suum cuique tribuere possent. Nec dubium quin res ex voto successerit, cùm frequenter ubique terrarum cœtus habitos legamus, & restauratam ad Canonum amussim Ecclesiasticam disciplinã curâ ac diligentiâ piorum Principum, qui eos renovari procurabant in generalibus regni Comitijs, novosque condi si necessitas ita postularet.

Concilium Rodomi habitum seu Synodum generalem regnante HLudoveo glorioso Rege ex membrana Beccensi descripsimus citra ullam anni designationem; plura tamen suadent ad Joannis 38. ex Archiepiscopis nostris tempora pertinere, nimirum circa annum 880, & Ludovici cognomento Balbi 2; licet non desint conjecturæ satis probabiles quæ illud ad Ludovici Pij ætatem referant. Continet autem capita *16* quæ Rheginoni, Burchardo & alijs non ignota fuere, ex quibus nonnulla proferunt sacris Ecclesiæ ritibus valde utilia.

Subjecimus libellum supplicem ab erudito quondam viro Joanne Prevotio oblatum Illustrissimo ac Reverendissimo Francisco *de Harlay* hujus nominis I, quo sancti Leonis in eâdem sede Prædecessoris Archiepiscopi Rotomagensis festiva memoria, inter diptycha sacra Ecclesiæ suæ recenseatur, ac debitis colatur honoribus. Subditur responsio Illustrissimi Antistitis, justæ petitioni benignè annuentis.

Concilium incerti temporis, de quo mox egimus, eo loci collocare visum est, quod sine die, sine Consule reperiatur, unde certam illi epocham figere valeamus; quamvis ut præmonui quos Prumiensis Abbas laudavit Canones & forma excommunicationis, saltem infra sæculi noni initia rejici non posse, satis convincant. Quin & locus dubitandi sit, num fortè Concilij illius quod sub Ludovico Balbo habitum mox diximus pars fuerit: attamen cum nulla nobis ratio appareat uniendi, quæ disjuncta & separatim sub diversis titulis posita sunt, ac ex varijs locis deprompta, placuit ea divisim proponere, quamvis observatio illa quam in Witonis Elogio dedi pag. 43, circa Concilia hæc incerti temporis, aptiùs collocanda sit pag. 37, ante præcedens Concilium.

Porro cùm ea mutatio quæ per compositionem facta est inter Regem Franciæ Carolum dictum Simplicem, & Robertum Principem Normanorum in ea jam parte Neustriæ subsistentium, quæ eorum appellatione, Normaniæ deinceps nomen sortita est, rebus Ecclesiæ æque ac politicis novam induxerit faciem, ac eâdem facilitate eorum plerique mores ac religionem Christianorum ejurarent, quâ paulò ante nomen & Baptismum sumpserant; cùm non pauci seriò ac diligentiùs de rebus quæ ad divinum cultum, & fidei dogmata spectant paulatim instructi & informati, ad castra pœnitentiæ confugerent. Incertus Wito Rotomagensis tunc Antistes, an apostatis & relapsis aditum iteratò præbere satius foret, an Canonicum in eos exercere rigorem, quo & lapsis conveniens pararetur remedium, & alios in posterum in officio continere valeret: Heriveum Remensem Archiepiscopum, sibi amicitiæ vinculo conjunctissimum consuluit, qui rem tanti momenti non à se definiendam ratus, ad Romanam sedem detulit. Joannis IX Epistolam ea de re ad Heriveum damus, tum ipsiusmet Remensis Præsulis amplum ad quæsita responsum, capita 22 complectés; in eis varia Witoni nostro benignitatis exempla suggerit,

quibus ipsum ac successorem ejus Franconem feliciter usos fuisse valde, probabile fit ex insigni conversione tum Rollonis, cùm etiam totius Normanæ gentis, cujus pietas mirum postea in modum effulsit, ut mox videre licebit.

Nactus fui paulo seriùs Gerardi Monachi prologum in vitam S. Romani, ad Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem, quem paginâ 136 dedi, nempe inter Epistolas Hugonis alterius Ambianensis, quamvis ad Hugonis II tempora, nimirum pag. 58 præmitti debuisset, ut patet ex Notis Mabillonij nostri Tom. I. Analectorum, ipsum satius fore duxi eo loci exhibere quàm penitùs silentio prætermittere. Ceterùm ampliorem nobis segetem Conciliorum, Epistolarum, Diplomatum, aliarumque id genus scripturarum ad res Ecclesiæ pertinentium suppeditabunt decem sequentes Archiepiscopi, à Roberto Normaniæ 44. Præsule, quàm longè potior numerus eorum qui aut præcesserunt aut subsequentur.

Conventum Episcoporum duplicem habitum Fiscanni circa annum 990, ex manuscripto hujus Abbatiæ exhibemus. Primum in dedicatione Ecclesiæ, alterum in quo confirmatum est privilegium exemptionis hujus Monasterij quod adeo solemni ritu peractum est, ut ad nostram usque ætatem per tot revoluta sæcula, suis gaudere privilegijs nobile Monasterium optimi Pontifices scientes volentesque pacificè annuerint. Tertium addimus incerti temporis, in quo Diploma in gratiam Ecclesiæ, à S. Petri Carnutensis Abbatia dependentis ab eodem Præsule Roberto donatum est, ad quem binas Fulberti Carnutensis Epistolas subjicimus.

Celebre Concilium habuit Malgerius anno 1050 in quo 19 Canones conditi sunt de rebus fidei, & de varijs ad Sacramentalia spectantibus, partim etiam ad disciplinam Ecclesiasticam; huic præfixa est Epistola Synodica ejusdem ad Episcopos ceterosque orthodoxos Provinciæ Rotomagensis. Sanè fuisset is longè felicior si ad Canonum præscripta ipsemet vitam conformasset, ac Guillelmi Ducis invidiam & odium non incurrisset, quo satagente Concilium Provinciale apud Lexovium coactum est à Legato sedis Apostolicæ, in quo ab Episcopali munere arcetur idem Malgerius, jussus in Gerneseyam insulam sese recipere, ubi brevi interijt. In cujus locum Maurilius suffectus, quo sedente varij Episcoporum conventus congregati fuere Rotomagi, primus ubi de reformatione Cleri seriò actum anno 1055. etsi nulli nobis supersint illius Canones, æque ac aliquot aliorum, quorum sola nomina, rerum nostrarum antiqui scriptores retinuere. Synodum Cadomensem consequenter damus pro communi tum Ecclesiæ tum publicæ rei pace procuranda congregatam; cujus tres tantùm Canones supersunt. Epistolam Joannis tunc Abrincensis Episcopi, quâ libellum suum *de divinis Officijs* Metropolitano suo dicat, præposuimus Concilio, quod idem Maurilius in dedicatione Cathedralis suæ habuit, in quo professionis fidei formulam contra Berengarij errorem editam plura suadent, quam idcirco ibi subjunximus. Tum aliquot aliorum Conventuum egimus mentionem, quorum obiter tantùm ut superiùs dixi meminerint Historiæ Normanicæ scriptores.

Post Maurilij obitum, sede vacante, Alexandri II. Legatus Concilium habuit Rotomagi pro deligendo ei successore, Joanne scilicet Abrincensi, ad

quem idem Alexander Diploma translationis in Metropolitanam sedem direxit. Quod autem in Joannis elogio de Maurilio scribens sanctum dixerim, absit verbo invidia, ut qui ampliorem ei cultum conciliare non contendam, quàm qui ei à Rotomagensi seu etiam ab universali Ecclesia hactenus fuerit habitus, quod præmonitum velim Lectorem, ne quis temeritati ascribat, quod non nisi antiquitatis exemplo fretus hìc sciens apposui.

Quinque Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi ad Joannem sibi amicissimum Epistolas de rebus Ecclesiæ, hìc exhibemus, pietatis & eruditionis plenas, æque ac eam quam ad eum Hildebertus Cœnomanensis Episcopus scripsit. Tum obiter perstringimus Concilium incerti loci I. ordine, à Legatis Alexandri II. pro electione ejusdem Lanfranci in Archiepiscopum Cantuariensem sub Joanne coactum, cujus quidem nulli Canones. Non item alterius quòd biennio post Rotomagi habitum fuit, in quo 24 conditi fuere pro restituenda Ecclesiastica disciplina, quos ex integro damus, ab Orderico Vitali collectos, videndæ observationes in illud, & in præcedentia, suo loco. Sequitur post Regium Diploma fundationis Abbatiæ S. Stephani Cadomensis, tertium Provinciale Concilium in causa tumultûs exorti in Cœnobio & festo S. Audoëni, ubi ex manuscripto Codice ejusdem Abbatiæ rei veritas sincerè declaratur; tum ex alio S. Mariæ de Fontaneto 14 Canones hìc proferuntur, ut probabile satis videtur, in hoc eodem Concilio conditi.

Prioratus S. Victoris apud Caletes à regali Abbatia S. Audoëni in sua origine dependens, in Abbatiam erectus fuit Chartâ ad id confectâ in solemni Concilio Rotomagensi, præsente Guillelmo Rege, non autem præsidente (ut per errorem illìc corrigendum irrepsit) sub certis conditionibus ibidem appositis. Quod autem Sammarthani in isto Concilio contigisse scribunt, nimirum Joannem lapidibus à Presbyteris concubinarijs appetitum, incredibile prorsus videtur, id præsente Rege attentatum, qui ut mox vidimus huicce Concilio interfuit, longè verò similius, id eos in minori conventu seu Synodo perpetrasse, ut notat Ordericus pag. 507.

Joanne ob ægritudinem in Synodo Rotomagensi per Legatum Gregorij VII. qui in eam rem ad Regem Anglorum scripserat, deposito; Guillelmus ejus successor varia congregavit Concilia, inter quæ præcipua habentur Juliobonense anno 1080 cujus quadraginta Canones exhibemus: Rotomagense quod Capitula 8 complectitur, Lexoviense quatuor. Obiter autem hìc notandum, Molineum ejusmodi 4 Canones Dadræo falsò tribuere. Denique varias ad eum Epistolas antiquitatis Ecclesiasticæ studiosis subjunximus.

Quæ Gaufredi tempore habita fuere Concilia nullos nobis Canones dedere, præter illud quod Matthæus Albanensis Legatus anno 1128 habuit, dum ipse Gaufredus ad mortem ægrotaret, cujus tria tantùm capita supersunt, quibus Diploma in gratiam Canonicorum Augensium subditur.

Epistolam Cleri Rotomagensis ad Honorium II. summum Pontificem pro Hugonis Ambianensis electione dedimus, quamvis autem varij sub ea habiti fuerint Episcoporum conventus, nullum tamen superesse Canonem constat, sed plures solùm Epistolas summorum Pontificum, Regum, & Episcoporum ad eum, ac vicissim illius ad diversos. Damus quoque illius præfationem in

Libros tres à se editos contra hæreses sui temporis, tum Diplomata aliquot in gratiam Monasteriorum suæ Diœcesis concessa.

Cùm in ea tempora inciderit Rotrodus, queis D. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi crudele dissidium cum Henrico II. Anglorum Rege Ecclesiam fœdè omnino deturpavit, varij pacis conciliandæ causâ conventus in Normania sunt habiti, quibus aut præfuit, aut interfuit Præsul noster, ac præsertim Abrincatensi Concilio, quod à funestâ D. Thomæ cæde habitum fuit, in quo per Legatos sedis Apostolicæ post absolutum cum debita satisfactionis spōsione Regem, tredecim Canones disciplinam Ecclesiasticam spectantes conditi referuntur; unà cum varijs ad Rotrodum Epistolis, necnon & Diplomatibus.

Amplam nobis ac variam rerum ad Ecclesiam nostram spectantium segetem suppeditant Galterij Constantiensis tempora. Ac primùm quidem cùm inter Philippum Augustum ac Henricum II. Angliæ Regem discordia recrudesceret, anno 1188 conventus Gisortij habitus est Episcoporum ac procerum utriusque Regni, in quo ambo potentissimi Reges reconciliati saltem ad tempus, Crucem unà cum pluribus alijs susceperunt. Celebre insequenti anno Concilium habuit Rotomagi Metropolita noster, cujus duo supra tringinta Canones seu Capitula referuntur ex codice Bibliot. Bigotianæ. Indicatur præterea conventus Episcoporum & Procerum * Vernonem inter & Andeliacum habitus, pro sancienda pace inter Philippum & Richardum cor Leonis dictum. Cum variè circa eam ætatem exagitata fuerint jura Ecclesiæ, Ipsius utelæ varijs ultra citraque pactis & conventionibus cautum, quarum aliquas hìc proferimus, ac imprimis chartam de Interceptionibus Clericorum adversus Domini Regis jurisdictionem anno 1204 conscriptam, cujus apographum imperitâ libellionis manu levioribus aliquot erroribus conspersum restituere haud omnino liberum fuit. Septem summorum Pontificum rescripta subjungimus, quatuor Alexandri III. præpostero quidem ordine à Typographo per subreptionen seriùs hìc apposita, ut quæ ad Rotrodi tempora referri debuissent, æque ac Urbani III. Bulla ad successorem Robertum reservari. Ibi autem Innocentij III. rescriptum additum est, quod nimirum de ijsdem Crucesignatis ageret, de quibus rescripta Alexandri, quamvis post Cælestini tempora debuisset cum alijs Bullarum ejusdem Pontificis summarijs, ordine chronologico reponi. Cùm autem gravia fuerint Regum Galliæ & Angliæ cum Galterio negotia, inde plura utrinque seu Diplomata seu Epistolas dedimus, quæ de rebus Ecclesiæ Rotomagensis agunt, plura item in gratiam aliquot Monasteriorum ab eodem Galterio concessa privilegia seu Confirmationes, ac etiam Fundationes proferimus, quæ omnia à pagina 169 ad 200. consequenter posita, studiosus lector reperiet. Subditur Viviani Constantiensis Episcopi Epistola ad Philippum Augustum de Regalia Archiepiscopatûs Rotomagensis.

* ad Gisortium

Excipit Roberti Polani elogium, Innocentij III ad eumdem Epistola, quâ quæsitis ab eo respondet, tum Honorij item III parenetica ad Robertum & Suffraganeos, ubi de neglectis statutis Concilij Generalis (nimirum Lateranensis 4 quod ante triennium habitum fuerat) expostulat, ac ut deinceps diligentiùs observentur mandat. Post utramque summorum Pontificum Bullam subjungimus Philippi Augusti Francorum Regis cum Archiepiscopo pactum

de varijs ad Jurisdictionem Ecclesiasticam spectantibus, ac ejusdem Regis constitutionem de Judæis suæ potestatis; Tum Diploma ab Archiepiscopo concessum Præmonstratensibus de Bella-stella Diœcesis Abrincensis, quo nimirum eis quà Metropolitanus bona, immunitates, & alia confirmat. Sequuntur Gallonis Cardinalis Constitutiones, decem articulis seu capitibus distinctæ in nova Conciliorum editione, quorum tria postrema ad studium Parisiense spectant.

Post obitum mox dicti Archiepiscopi, subortâ difficultate in successoris Theobaldi confirmatione per Sedem Apostolicam rescribit Honorius III, quid facto opus per delegatos quibus rem committit. Fragmentum Chronici Ecclesiæ Rotomagensis dedimus, quo dissidium Theobaldi cum Ludovico hujus nominis VIII describit, quod feliciter per Romanum Gregorij IX Legatum ad prædictæ Ecclesiæ honorem & utilitatem definitum est. Non ita adhuc solennis fuerat sanctorum apotheosis quo tempore per Theobaldum nostrum, & alios ad quos spectabat, apud Curiam Romanam feliciter allaboratum est pro hujusmodi honore S. Laurentij Dublinensis Archiepiscopi memoriæ promovendo. Is in Augensi Canonicorum Regularium Cœnobio Diœcesis Rotomagensis mortales exuvias reliquerat; Quo autem ritu peracta fuerit Romæ canonisatio, ac postea Augi, ex MS. codice hujus Cœnobij exponitur. Tum subdimus compositionem factam inter Theobaldum & Abbatem & Conventum de Alba-marla ordinis S. Benedicti; ad quem Metropolitanum & Suffraganeos, Conradi Sedis Apostolicæ Legati Epistola profertur.

Successit Theobaldo Mauritius, cujus Epistolas damus ad Decanos suos, quibus mandat quid agere debeant interdicti tempore, quo universam tum Diœcesim supposuerat, eo nimirum quòd Ludovici Regis jussu Ecclesiæ Rotomagensis bona detinerentur. Judicialis autem sententia meliùs dici debuit scriptura, quæ ibi Epistolæ secundæ titulo inscribitur, ut legenti patebit, Ratihabitionem compositionis factæ pro Cornevillana Canonicorum Regularium Abbatia factam per Maurilium consequenter posuimus, tum electionem Radulfi de Cirreyo in Episcopum Ebroïcensem.

Post utraque Statuta Petri de Colle-medio antiqua scilicet ac nova, quæ plura ad disciplinam Ecclesiasticam valde utilia complectuntur, subdimus tres Capituli sancti Melloni literas, quibus renascentis hodiéque Pontesianæ fabulæ frutices penitus revelluntur. Tum compositionem Petrum inter ac Suffraganeum Hugonem Sagiensem, super quibusdam Controversijs factam, ac insuper Diploma Ludovici IX. pro nemoribus Devillæ. Quâ ratione vacanti Ecclesiæ Ebroïcensi providerit Metropolitanus brevi ibidem ex Archivo Archiepiscopali exponitur, unde etiam Innocentij IV. Bulla pro visitatione Provinciæ Petro concessa, deprompta fuit. Ejusdem Pontificis Bullam ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Rotomagensis pro electione Odonis Clementis in Archiepiscopum Rotom. missam eruimus, ubi quàm præclarè sentiat de eadem Cathedrali Innocentius attestatur.

Præcepta deinde apponuntur, facta Decanis ruralibus post Synodum hyemalem anni 1245. quæ plura continent ad regimen Ecclesiarum Parochis intimanda Sequitur Charta reformationis Præbendarum Collegiatæ Andeliacensis Ecclesiæ.

Plura nobis Odo alter Rigaltius scilicet monimenta reliquit, ac primò quidem Concilium Provinciale apud Pontem Audomari, quod de Clericis præcipuè ac de crucesignatis pauca continet, tum ejusdem Archiepiscopi præcepta aliquot, pro sigillandis per Decanos & alios varijs actibus. Bullarum elenchus quas idem Rigaltius à summo Pontifice Innocentio obtinuit, ibidem profertur, deinde ejusdem Charta Reformationis Collegialis Ecclesiæ de Rotunda nempe quoad Præbendas & residentiam; ac demum donatio Archidiaconatûs Pontisarensis cum pertinentijs, à sancto Ludovico Francorum Rege eidem Archiepiscopo facta, tandem prædicti Regis ac Philippi illius Filij edicta pro deferendis per Judæos signis quibus à Christianis discernantur. Damus insuper tres Alexandri IV. Bullas in gratiam regalis Abbatiæ S. Audoëni concessas, quarum scilicet postrema ad instantiam Odonis Archiepiscopi annuam pecuniæ attributionem per Parochos S. Viviani pensitandam moderatur.

Concilium secundum habuit Guillelmus de Flavacuria apud Pontem Audomari 24 capitibus distinctum, variantes nonnullas lectiones ad marginem, & ex antiqua collectione, per modum appendicis quinque alia capitula adjunximus. Tum aliud Concilium apud B. Mariam de Prato seu de Bono-nuntio, in suburbio Rotomag. septem tantùm Canonibus seu Capitulis constans exhibemus, quæ ambo plura suppeditant ad Jurisdictionem Ecclesiasticam & disciplinam conservandam. Fit etiamnum mentio duorum aliorum, licet eorum acta solis retentis nominibus interierint. Primum apud Devillam Castrum olim Archiepiscopale, ab urbe Rotomagensi altero milliario distans habitum fuit. Secundum apud Pintarvillam pagum sexto itidem circiter milliario à prædicta urbe: ejus unicum Canonem ex alio Concilio apposuimus, tum varias aliquot Chartas ad res Ecclesiæ nostræ spectantes.

Concilium alterum Provinciale congregavit Ægidius *Asselin* apud B. Mariam de Prato, cujus supersunt solummodo sex Canones, quos duobus Regijs diplomatibus ad eumdem Archiepiscopum præposuimus. Fit etiamnum mentio ex veteri Ecclesiæ Bajocensis Breviario, habiti anno 1315 Concilij, cujus nihil prorsus residuum est quàm quod ibi enuntiatur.

Tertium porro Pratense Concilium Petrus Rogerij adunavit anno 1335 ubi tredecim Canones conditi sunt quibus plura pro statu rerum, temporum & personarum Ecclesiasticarum sapienter ordinata fuere. Subjungimus Diploma concessum Guillelmo de Flavacuria pro nemoribus Devillæ. Ceterùm nihil prorsus longa Pontificum series ad Radulfum *Roussel* collectioni nostræ conferet, præter Casus reservatos in Synodo habita anno 1415, seu Sedi Apostolicæ, seu Archiepiscopo & Vicarijs ejus, & Epistolam Rotomagensium optimatum ad Concilium Basileense. Habuit autem anno 1445 prædictus *Roussel* Provincialem Synodum in Palatio Archiepiscopali, cujus extant unum supra quadraginta capitula moribus ævi illius reformandis egregiè concinnata, & ordinis Ecclesiastici tam sæcularis quàm & regularis erroribus corrigendis aptissima. Vetat imprimis Capitulum VII. abusum qui fortè nimio plus eâ ætate increverat, quo turpis lucri gratiâ, nonnulli Imagines Beatissimæ Virginis, varijs nominibus seu titulis appellabant: Solent enim res sanctiores avaritiæ cœno fœdari; constat tamen priscam veterum religionem coluisse, ac ritè efflagitasse

gitasse opem sanctissimæ Virginis, seu habitâ ratione titulorum quibus passim in sacris codicibus, ac per orthodoxos Patres decoratur, sive etiam miseriarum quibus oppressi mortales ad illius tutelam confugiunt, & sub diversis eam nominibus venerantur, quod nullomodo Concilij hujus menti contrarium putamus, præsertim cùm ab antiquis Ecclesiæ têporibus & altaria & templa ac etiam Imagines, seu in memoriam percepti alicujus insignis beneficij, quemadmodum S. Mariæ ad Nives, de Bono-nuntio, de Victoria & alia id genus, sive ob alias rationes approbavit universalis Ecclesiæ usus antiquus æque ac modernus, utì videre est apud melioris notæ autores, qui passim de ijs tractarunt; unde sordidam potiùs eorum cupiditatem damnavit Concilium, qui populorum concursum ad ea loca ubi jam sub ijs nominibus colebatur ad sua pertrahere ambientes, nullo alio prætextu, simili nomine (aut etiam ad mentem suam convenientiori) imagines de novo effingere eisque nomina imponere ad libitum, sine superiorum permissu attentarent, neque enim negari potest, quod oculis omnium patet, Deum scilicet velle, sanctissimam Virginem, ac cælites in aliquibus potiùs locis honorari, quæ idcirco innumeris exornet miraculis, quàm in alijs. At de his satis.

Bullæ quam pro Primatia Rotomagensis Ecclesiæ à Callisto III. Guillelmus de Estotavilla obtinuit & Statuto per Vicarios ejusdem Archiepiscopi facto, subjungitur Concilium sub Georgio II. de Ambasia collectum quod sex tantummodo Canones continet, quorum quidem primum ex apographo mancum restituere, ac nonnulla quæ ei desunt verba supplere haud licuit per aliud exemplar. Tum nonnullæ pro Capitulis tam sæcularium quàm & Monachorum quæstiones cum suis responsis proponuntur, & nos sensim ad maximum & amplissimum Concilium nostrum deducunt, quod sub Cardinale Carolo I. Borbonio habitum fuit anno 1581, in quo potissima quæ ad optimum Reipublicæ Christianæ statum necessaria sunt, tam copiosè, tam dilucidè, tamque prudenter exposita ex mente Concilij Tridentini habentur, nihil ut possit desiderari; quin & si fortuito casu cetera interijssent, illud unicum satis esse possit ad disciplinam Ecclesiasticam, ubi exciderit, resarciendam, & novam rebus Ecclesiæ si diligenter observetur, tota Provincia formam inducendam.

Finem huic collectioni imponet Synodicum Harlayanum, seu varia Statuta Synodorum quæ per utrumque, avunculum scilicet ac nepotem, coacto Presbyterio Decreta simul edita fuere, ex quibus prima Synodus anno *1616.* linguâ vernaculâ typis mandata, scrupulum movit, an ob conformitatem reliqui operis latinè reddenda esset. Satius tandem creditum est si ea prout jam publici juris facta fuerat iterum donaretur. Ut autem duplex editio facta est, altera anno *1616.* altera biennio post, quæ nonnihil discrepant, auctiorem secuti sumus nempe anni *1618*, reliqua Statuta ex editione *1653* mutuati sumus.

Ceterùm haud omnino sum nescius, lector, quidquid demum industriæ, quidquid laboris & diligentiæ adhibere potuerim ejusmodi collectioni parandæ non statim omnibus placituram. Erit forsan cui varia antiquitatis sacræ monimenta quæ Concilijs adjeci, non probentur, quæ alioquin eru-

ditis quibusvis non minoris pretij habeantur, quàm prophanæ quisquiliæ veterum quas tanti facere solent. Scio insuper non defore qui in tam ampla segete spicas, quæ haud indiligentem messoris manum & oculos effugerint, in posterum metant, aut qui colligant analecta; neque enim omnia possumus omnes; & ut facile est inventis addere, erit fortasse qui aditum faciliùs obtinebit ad ea loca in quibus per otium liceat forulos omnes rimari, & latentes seu in Bibliothecis seu in Chartularijs thesauros eruere, ac è pulvere & situ educere in lucem, sicque novâ accessione incrementa huic collectioni conferet non spernenda. Quidquid sit, fatebor ingenuè, nihil à me prætermissum, emendicatis etiam per amicos hinc inde subsidijs, & ubi licuit, quo majori studio per literas conquisita quæ in hac editione desiderari potuissent quamvis oleum operamque sæpiùs perdiderim, cùm ita compositi sint plerique mortales ut eorum magna pars quæ sua sunt quærant ac satagant plurimùm, pauci omnino ac rari quæ publicæ solùm utilitatis.

Auspicaturus autem hanc Conciliorum editionem è re visum est veterem formulam celebrandi Concilij Provincialis in Ecclesia Rotomagensi heic præmittere, cujus & nonnullorum aliquot ad res nostras pertinentium pridem nobis copiam fecerat vir rei antiquariæ diligens ac studiosus perscrutator Petrus *Pelhaître*, Cathedrali Bibliothecæ præpositus, ex veteri manuscripto Benedictionali ejusdem Ecclesiæ, quam etiam postmodum ab eodem sibi communicatam noster D. J. *Mabillon* in 2. Analectorum suorum tomo congessit, adjectâ annotatione quâ conscriptam autumatur circa sæculi XI. finem ob adducta ibi rationum momenta.

Ritum autem hunc celebrandi Concilij eumdem ipsum credit, quem „ universa tum Ecclesia Gallicana observabat. Exstat (inquit) modus celebrandi Concilij Provincialis, tum in Ordine Romano, tum apud Isidorum Mercatorem ex 4 Concil. Tolet. ubi quædam cum Rotomagensi ritu conveniunt, sed plura discrepant ab eodem. In hoc autem Rotomagensi illustris est professio fidei de Corpore & Sanguine Domini, quam præsidente sedi Rotomagensi, venerabilis memoriæ Maurilio, communi assensu contra spurcissimos Berengarij ejusque sequacium latratus diffinierant Episcopi Provinciales, quam integram suo loco dabimus. Sic autem incipit.

VETUS FORMULA
ELEBRANDI CONCILIJ PROVINCIALIS
IN ECCLESIA ROTOMAGENSI.

PRIMA horâ diei induantur Episcopi & Abbates in sacrario, Archidiaconus dalmaticâ, Subdiaconus tunicâ, ceteri Ministri albis, & duo qui Letaniam cantaverint, cappis; & sic procedentes veniant ante altare, & ibi super tapeta prosternantur Episcopi. Ipsi verò qui cappis induti fuerint, confestim incipiant antiphonam: *Exaudi nos Domine, quoniam be-*

nigna; quâ cum Psalmo: *Salvum me fac* & *Gloria Patri* expletâ, incipiant Letaniam. Moxque surgentes Episcopi pergant ad locum, ubi sedilia in choro disposita fuerint: ubi finitâ Letaniâ, Archidiaconus acceptâ benedictione à Pontifice, Evangelium: *Ego sum Pastor bonus* legat: quo perlecto clamet altâ voce: *Orate.* Statimque omnes tam Episcopi quàm Clerici solo tenus prosternentur, & orantibus eis surgat solus Metropolitanus, dicens hanc Orationem: *Adsumus, Domine, sancte Spiritus*, &c. ut in Ordine Romano.

Finitâ Oratione, & responso ab omnibus, *Amen*, rursum Archidiaconus dicit: *Erigite vos.* Confestim omnes surgant, & cũ omni timore Dei, tam Episcopi quàm Presbyteri sedeant: sicque omnibus in suis locis in silentio consedentibus, faciat Pontifex subscriptum sermonem de Evangelio, & de his quæ pertinent ad ea quæ tractanda sunt. Tunc Archidiaconus codicem Canonum in medio proferens jussu Archiepiscopi, recitat capitula de agendis Concilijs Provinciæ. De Concilio Calchedonensi heram *XVIIII. *Statuit sancta Synodus secundum Patrum regulas bis in anno in unum convenire per singulas Provincias Episcopos, ubi singula corrigantur quæ emerserint. Qui verò convenire noluerint, canonicè corrigantur.* Item de capitulis Orientalium Patrum. *Propter Ecclesiasticas curas & altercationum solutiones, bene placuit per singulas Provincias bis in anno Concilium fieri, convocante Metropolitano omnes Provinciæ Episcopos. Qui verò venire contempserit, nisi summâ necessitate, reus erit fraterni Concilij.* Item de Concilio Toletano IV. hera XVIII.

* *al.* æra XVIII.

SERMO.

Oportet nos, Fratres carissimi, in omni Concilij conventu Fidem recitare, quam sancti Patres Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini I. Calchedonensis Concilij sanxerunt, corroboraverunt, ut eam firmiter & unanimiter teneamus, nec in aliquo ab eis dissentiamus, sed in nobis veritas Fidei, & firma & perseverans actio justitiæ & pietatis. Vnde si placet vestræ sanctitati, justum nobis videtur, ut in audientia omnium recitetur, ut omnium mens in ea perseverabiliter corroboretur. Tunc jubente Archiepiscopo, dicit Archidiaconus.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium necnon & invisibilium conditorem, &c. Et quòd de Spiritu sancto non ad plenum ibi disputatum est; insurgente falsâ Eu-

nomij & Macedonij contra Spiritum ſanctum minorem Patre & Filio, annexum eſt à præfatis ſanctis Patribus Conſtantinopolitanæ Synodi ſubſequens capitulum.

Credimus & in Spiritum ſanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas, unam Catholicam atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

Hanc, Fratres, Fidem quæ vobis expoſita eſt; oportet ut firmiter teneatis & tenere vero corde profiteamini. Dicant omnes: *Hanc tenemus, hanc laudamus, hanc tenere profitemur.*

ut infrà, in Maurilio — *Oportet etiam, Fratres cariſſimi* * &c. *pag. 74.* Nunc Fide noſtrâ expoſitâ, oportet ut de commiſſo nobis ordine aliqua loquamur.

Finito ſermone Archiepiſcopus præcipiat Archidiacono, ut primum capitulum XI. Toletani Concilij legat. *In loco benedictionis conſidentes Domini Sacerdotes, nullis debent aut indiſcretis vocibus perſtrepere, aut quibuſlibet tumultibus perturbari; nullis etiam vanis fabulis vel riſibus agi, & (quod eſt deterius) obſtinatis concertationibus tumultuoſas voces effundere. Si quis enim* (ut Apoſtolus Jac. 1. ait) *putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Cultum enim ſuum* * *juſtitia perdit, quando ſilentium* * *judicij obſtrepentium turba confundit, &c.*

* al. *ſua* * al. *ſilentia*

Tunc dicat Pontifex hanc exhortationem: *Ecce ſanctiſſimi, præmiſſis Deo precibus Fraternitatem veſtram cum pia exhortatione convenio, & per divinum nomen obteſtor, ut ea quæ de nobis, de Deo, de ſacris Ordinibus, vel noſtris moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia intentis auribus auſcultetis,* &c. ut in Ordine Romano. Tunc recitatis ſententijs incipiat Concilium celebrari. Item de contemptoribus Canonum in Toletano Concilio VII. * *Si quis contra ea quæ in ſancto Concilio diffiniuntur, temerarius violator exſtiterit, communione & honore multetur.*

* *Sequentia non extant in Toletano Concil. VII*

Genecleus Epiſcopus dixit: *Omnia ergo quæ à cœtu glorioſiſſimo ſtatuta ſunt, placet ab omnibus cuſtodiri?* Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: *Placet ut cuſtodiantur ab omnibus.*

Genecleus Epiſcopus dixit: *Si (quod non opinamur) ab aliquo fuerint violata quæ ſtatuitis, quid debeat fieri?* Ab univerſis Epiſ-

copis dictum est : *Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse ab hoc cœtu se separabit.*

IN FINE CONCILIJ.

Divinæ Trinitatis inseparabile numen, sicut inspiratione mirabili nostrum tractatum primordio illuminavit, ita consummatione sublimi eumdem jam perficiendo concludit, ut in illo sit nostrum explicuisse, à quo nobis fuit inchoasse. Damus ergo gloriam & honorem eidem sanctæ atque indivisibili Trinitati, quæ nobis & ex se dicere, & in se dicta complevit : quæ reformavit in extremitate sæculorum remedia pietatum, & resolvit ligamina vinculorum. Sit gratiarum actio & reverentiæ plenitudo à nobis omnibus in commune ipsi clementissimo Principi, bonorum gratifico largitori, cujus votorum instantiâ benigna Deus attulit complementa, cujus dispositio pijssima pressurarum removit exitia : cujus temporibus conferat vigere justitiam, & exuberare misericordiam opulentam : cujus post præsentis ævi tempora diuturna, cum Sanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam. Nos autem omnes hanc Decretorum nostrorum seriem, ex rectæ Fidei vel pietatis ac justitiæ fonte manantem, coram Deo & sanctis Angelis ejus, Orthodoxis omnibus & nunc & in futurum impensissimè commendamus, obsecrantes ut hanc & reverenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendant. Contemnentibus autem eam divinæ veritatis ultio pavenda proveniat : obseruantibus autem misericordia profluens, pax perpetua & gloria sempiterna contingat. Hujus quoque sententiæ fortitudine vel vigore, Decreti nostri seriem, quam in serenissimi Domini nostri edidimus nomine, pro rebus à divæ memoriæ patre suo quolibet titulo conquisitis, decernimus omnino custodiri. Legem denique, quam pro coercenda Principum cupiditate idem clementissimus edidit Princeps, simili robore firmamus, atque ut futuris temporibus modis omnibus observetur, pari sententiâ definimus. Quæ etiam ne taciturnâ temporum vel obliviosâ vetustate deserantur, huic nostræ Constitutioni utraque decrevimus innectenda, ita cunctorum memoriæ commendanda, ut à cunctis regulis superiùs ordinatis nusquam maneant segregata. Cetera quoque Decretorum nostrorum judicia, quæ ab hac sancta Synodo noscuntur esse confecta, si quis convellere fortasse decreverit, aut implere neglexerit, vel infringere quandoque voluerit; per judicium omnipotentis Dei anathema sit. Soli autem Deo nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

APPROBATIO.

EGO infrà scriptus Presbyter sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, & insignis ac Metropolitanæ Ecclesiæ Rotomagensis Canonicus, legi attentè observationes in universa Provincialia Neustriæ Concilia autore R. P. Dom. Angelo *Godin* Monacho Benedictino, in quibus nihil deprehendi quod sit rectæ fidei aut bonis moribus contrarium, immo omnia accurata, docta, erudita, ac proinde si excudantur jurisque publici fiant, rei litterariæ, potissimumque viris Canonum & Ecclesiasticæ disciplinæ studiosis profutura. Ita censui Rotomagi die 4 Aprilis anno *1675.*

J. A. AUVRAY.

APPROBATIO.

MATRIS nostræ nequaquam oblivioni mandandas leges, sed ejus præcepta in corde retinenda monuerat quondam sapientissimus Regum: *Ne dimittas* (inquit) *legem matris tuæ*, Proverb. c. 1. & 6. Ingenti tamen nostratum & dedecore & damno oblivioni dabantur Metropoleωs Neustriacæ Synodicæ leges, & partim aut ineditæ latebant partim jacebant non lectæ aut penitus neglectæ, cui ut malo mederetur non minus eruditione quàm religione spectabilis Domnus Angelus *Godin* Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri Monachus partim erutas è tenebris partim è grandioribus voluminibus collectas in commodiorem formam redigere paraverat & in lucem emissas additis observationibus illustrare, cùm pijs ejus laboribus mors invidit: verùm his fruendi inter mortuam spem suscitavit religiosus itidem & eruditus vir D. Franciscus *Pommeraye* ejusdem Congregationis Monachus, votisque nostris cumulatiùs satisfecit, nec enim Concilia modo Rotomagensia, sed & acta, Pontificiasque Epistolas, Diplomata, aliaque Ecclesiastica monimenta, necnon & easdem observationes accuratiùs recensuit in quibus nihil Catholicæ fidei non consonum, nihil non informandis moribus atque promovendæ pietati proficuum. Ita censui Rotomagi die 10 Maij *1677.*

THOMAS BULTEAU.
Doctor Theologus Parisiensis.

SUMMA PRIVILEGIJ.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV. Privilegio VII. Kal. Martij, anni M. DC. LX. concesso, & ejusdem mens. ejusdem ann. V. Non. in Typographiæ Parisiensis codicem relato, cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS, libros ab ejusdem Congregationis Monachis compositos, per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus consensum edat. Utì uberiùs Diploma ipsum explicat.

EXTRAIT DES REGISTRES DE LA COVR de Parlement.

IL eſt permis à D. François Pommeraye Prêtre, Religieux de l'Abbaye Royalle de S. Oüen de Roüen, Ordre de S. Benoiſt, Congregation de S. Maur, de faire imprimer un Livre intitulé : *Sanctæ Rotomagenſis Eccleſiæ Concilia, ac Synodalia Decreta, Archiepiſcoporum ſeries, Diplomata, Epiſtolæ &c.* en telle marge, papier & caractere qu'il luy plaira; & ce pour le temps & eſpace de dix années à conter du jour que ledit Livre ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois, & par tel Imprimeur-Libraire que ledit Pommeraye voudra choiſir pour ladite impreſſion : faiſant deffenſe à tous Imprimeurs-Libraires & autres perſonnes de quelque qualité qu'elles puiſſent être de faire imprimer, vendre & debiter en tout ou partie ledit Livre ſans l'aveu dudit D. F. Pommeraye, ou de celuy qui aura droit de luy, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits & de quinze cens livres d'amende, comme il eſt plus amplement porté par ledit Privilege. Fait à Roüen en Parlement le neuviéme Janvier mil ſix cens ſoixante & ſeize.

Signé MONGOUBERT.
Collationné.

Ledit D. François Pommeraye Religieux, a cedé ſon droit de Privilege à Bonaventure le Brun Imprimeur-Libraire en cette ville de Roüen, pour en joüir en tout ſon contenu, ſuivant l'accord fait entr'eux.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Imprimeurs-Libraires de cette Ville de Roüen, le 17. Février 1676. Signé L. COSTE'

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 28 de May 1677.

Anno Christi	Summi Pontifices.	Archiepiscopi Rotomagenses.	Episcopi Bajocenses.	Episcopi Abrincenses.	Episcopi Ebroïcenses.
0	S. Petrus. 43				
	S. Linus. 67				
	S. Cletus. 78				
	S. Clemens. 91	S. Nicasius.			S. Taurinus. 95
100.	S. Anacletus. 101				
	S. Evaristus. 111				
	S. Alexander. 119				
	S. Sixtus. 130				
	Telesphorus. 141				
	S. Hyginus. 152				
	S. Pius. 152				
	S. Anicetus. 165				
	S. Soter. 173				
	Eleutherus. 177				
	Victor. 192				
200.	Zephirinus. 201				
	Callistus. 219				
	Urbanus 224				
	Pontianus. 231				
	Anterus. 235				
	S. Fabianus. 237				
	S. Cornelius. 251				
	Lucius. 253				
	Stephanus. 255				
	Sixtus II. 257				
	S. Dionysius. 259	S. Mellonus. 260	S. Exuperus.		S. Gaudus.
	Felix. 270		S. Renobertus.		
	Eutichianus. 275				
	Caius. 283				
	Marcellinus. 296				
300.	Marcellus. 304				
	Eusebius. 309				
	S. Melchiades 311	S. Avitianus. 311			
	S. Sylvester. 313				
	Marcus. 336	Severus. 325	S. Ruffinianus.		
	Julius. 338				
	Liberius. 352	Eusebius. 341			
	Felix II. 355				
	Damasus. 367	Marcellinus 366			
	Siricius. 385	Petrus. 387			
	Anastasius. 398	S. Victricius 394			
400.	Innocentius 401				
	Zozymus. 417	Innocentius 417			
	Bonifacius. 418				
	Cælestinus. 423	Sylvester 429			
	Sixtus 3. 432				
	S. Leo. 440	Malsonus: 442			
	Hilarius. 461	Germanus 451	S. Lupus. 465		
	Simplicius 467	Crescentius. 462	* S. Patricius.		

Episcopi Sagienses.	*Episcopi Lexovienses.*	*Episcopi Constantienses.*	*Reges Galliæ.*	*Duces Normaniæ.*
S. Lutrinus. *al.* Latuinus S. Sigiboldus S. Landericus.		S. Ereptiolus. S. Exuperius	Pharamond⁹. 420 Clodio. 428 Meroveus. 448 Childericus. 458	

Anno Christi	Summi Pontifices.	Archiepiscopi Rotomagenses.	Episcopi Bajocenses.	Episcopi Abrincenses.	Episcopi Ebroicenses.
400.	Felix 3. 483 Gelasius. 1. 492 Anastasius 2. 496 Symmachus 498	S. Gildardus 488	* S. Manueus. * S. Contestus. * S. Vigor.		Maurusius. 499
500.	Hormisda. 514 Joannes 1. 523 Felix 4. 526 Bonifac. 2. 530 Joannes 2. 532 Agapitus. 535 Sylverius. 536 Vigilius. 539 Pelagius. 555 Joannes 3. 559 Benedictus. 573 Pelagius 2. 577 S. Gregorius magnus. 590	S. Flavius, 525 S. Evodus. 542 S. Prætextat9 550 Melancius. 589	* Lucadius. 538 * Leudovaldus. * Geretrannus. *al.* Geretrandus	Nepus. 511 Perpetuus. 533 Ægidius. 549 S. Paternus. 550 S. Senerius. S. Severus. S. Leodovaldus 578	Licinius: 538 * Viator.
600	Sabinianus. 604 Bonifacius 3. 606 Bonifac. 4. 607 Deusdedit. 614 Bonifacius 5. 617 Honorius. 626 Severinus. 640 Theodorus. 642 Martinus, 649 Eugenius. 653 Vitalianus. 656 Adeodatus. 669 Donus. 676 Agatho. 678 Leo 2. 683 Benedictus 2. 684 Joannes 5. 685 Cono. 686 Sergius. 687	Idulphus. 602 S. Romanus. 631 S. Audoënus 646 S. Ansbertus 689 Grippo. 695	* Ragnobertus. 630. * Gerebald9. 693	Chidoaldus. 630 * Ragentramnus. 680.	* Laudulfus 615 Ragnericus. 640 * S. Æternus. 672 * S. Aquilinus 680
700	Joannes 6. 701 Joannes 7. 705 Sisinnius 708 Constantin9 708 Gregorius 2. 714 Gregorius 3. 731 Zacharias 741 Stephanus 2. 752 Paulus 757 Stephanus 3. 768 Hadrianus. 772 Leo 3. 795	Rollandus 719 S. Hugo 732 Robertus 740 Grimo 744 Raginfred9 748 S. Remigius. 753 * S. Hugo 760 Maynardus 770	Framboldus. * S. Hugo.	S. Autbertus. 709	Desiderius. 709 * Gerboldus 794 seu Girvoldus.

Episcopi Sagienses.	Episcopi Lexovienses.	Episcopi Constantienses.	Reges Galliæ.	Duces Normaniæ.
Hillus.			Clodoveus. 482	
Hubertus 500		S. Leontianus 500		
Litaredus. 510			Childebertus 511	
*		Possessor		
* Passivus 530	Theobaudis 530			
		S. Laudus. 533		
		* S. Rumpharius.		
		S Urcissinus.		
S. Milehardus, 550		S Ulphobertus.		
		Lupicius.		
Leudobaudus 560	Ætherius.	Romacharius.		
		Huldericus.	Glotarius 1. 558	
*		Waldomarus.	Cherebertus 562	
Hildebrandus 575			Chilpericus 571	
* Rodobertus			Clotarius 2. 585	
S. Raverennus				
*				
			Dagobertus 628	
			Clodoveus 2 638	
	Launobaudus 650	Charibonus 550		
		Rolmundus	Clotarius 3. 654	
* Amlacarius 660	* Radulphus.	Salomon	Theodoric9. 1. 668	
* Gaufridus		Agathius	Childericus 2. 669	
* Robertus		Livinus		
		Wifridus		
Aunobertus 682		Aldebertus		
		Josué		
		Leo	Clodoveus 3. 691	
		Angulo.	Childebert9 2. 695	
* Radulphus.				
		Hubertus.		
			Dagobertus 2 711	
* Hugo 724		Wilardus.	Chilpericus 2. 715	
* Benedictus			Theodoric9 2. 721	
* Lotharius 750			Chilpericus 3 743	
			Pipinus. 752	
* Godegrand9 765			S. Carolumanus 767	
* Regemfridus.				

Anno Christi	Summi Pontifices.	Archiepiſcopi Rotomagenſes.	Epiſcopi Bajocenſes.	Epſcopi Abrincenſes.	Epiſcopi Ebroicenſes.
800	Stephanus 4. 816	Gilbertus 800	Thiorus. 809		* Guntbertus
	Paſchalis 817				
	Eugenius 2. 824				
	Valentinus 827				
	Cregori⁹ 4. 827	Ragnoardus 828	Charevillus 835	Joannes 840	
	Sergius 2. 844	Gombaldus 836	al. Carejultus	* Remedius	
	Leo 4. 847	Paulus. 849	Baltfridus. 846	Anſegaudus 850	* Hilduinus 850
	Benedictus 3. 855	Wenilo. 855	al. Walfridus.		
	Nicolaus 858		Tortoldus 859	* Waltbertus 862	
	Hadrianus 2. 867	Adalardus 869	al. Turtoldus		
	Joannes. 8. 872	Riculfus 872	Erchambertus 860		
	Marinus 882	Joannes 1.			
	Hadrianus 3. 884				
	Stephanus 5. 885	S. Leo 889			* Sebar 875
	Formoſus 891	Wito. 889			
	Bonifacius 6. 895				
	Stephanus 6. 897				
900	Theodorus 2 901	Franco 901			
	Joannes 9 901				
	Benedictus 4 905				
	Leo 5. 907				
	Chriſtophorus 907				
	Sergius 3. 908				
	Anaſtaſius 3. 910				
	Lando 912				* Guiſchardus 925
	Joannes 10. 912	Guntardus 919	Henricus 927		
	Leo 6. 928				
	Stephanus 7. 929				
	Joannes 11. 931				
	Leo 7. 936				
	Stephanus 8. 940	Hugo 3. 942			
	Marinus 2. 943				
	Agapetus 2. 946				
	Joannes 12. 955				
	Benedictus 5. 964				
	Joannes 13. 966				
	Donus 2. 972				
	Benedictus 6. 973				
	Benedictus 7. 973				
	Joannes 14 984				
	Joannes 15. 986	Robertus 1 988	Richardus 988	Norgotus 989	* Geroldus 990
	Gregorius 5. 996		Radulfus 990		
	Sylveſter 2. 998				
1000.	Joannes 16. 1002				
	Joannes 18. 1002				
	Sergius 1008				
	Benedictus 8 1011				
	Joannes 19. 1024		Hugo de Bayeux	Maingiſus. 1024	Hugo 10[illegible]
	Benedictus 9 1033	Malgerius 1037	alijs. 1027		
	Gregorius 6 1042				

Episcopi Sagienses.	Episcopi Lexovienses.	Episcopi Constantienses.	Reges Galliæ.	Duces Normaniæ.
Patratus 825			Ludovicus Pius 815	
Reginaldus 834	Freculfus 840			
Saxobodus 845		Erluinus 846		
Hildebrandus 853	* Airardus 853			
	*	Seginandus 860		
	*	Lista.	Ludovicus 3 & Carolo mannus 881	
	Ansigisus. 882	Ragenardus	Carolus crassus 885	
			Odo 888	
			Carolus simplex 892	
		Herlebaldus 900		
S. Adelinus		Agebertus		
		Theodoricus 911		Rollo 912
		Herbertus		Guillelmus 1. 917
		Algerundus	Robertus 920	
		Gillebertus.	Radulphus 922	
			Ludovicus Transmarinus 936	
				Richardus 1. 944
			Lotharius 955	
	Rogerius 980			
Azo seu Atso 986			Ludovicus 5. 986	
Richardus		Hugo 989	Hugo capetius 988	Richardus 2. 996
		Herbertus 2	Robertus 2. 997	
Radbodus				
				Richardus 3. 1027
Sigefridus 1026	Robertus 1024			Robertus 1. 1028
	Herbertus 1030	Robertus 1030	Henricus 1030	Guillelmus 2. 1035
		*		

Anno Christi	Summi Pontifices.	Archiepiscopi Rotomagenses.	Episcopi Bajocenses.	Episcopi Abrincenses.	Episcopi Ebroicenses.
1000.	Clemens 2. 1046 Damasus 2 1047 Leo 9 1049 Victor 2 1055 Stephanus 9 1057 Nicolaus 2 1059 Alexand. 2. 1060 Gregorius 7 1073 Victor 3. 1088 Urbanus 2. 1088 Paschalis 2. 1099	†. Maurilius 1055 Joannes 2. 1069 Guillelmus 1079	Odo 1048 Turoldus 1098 Richardus 1098	* Joannes *de Bayeux* 1059 Michael 1068 Turgisus 1096	Guillelmus 105[illegible] Balduinus 1065 Gislebertus 1072
1100.	Gelasius 1118 Callistus 2. 1119 Honorius 2. 1114 Innocētius 2 1131 Celestinus 2. 1143 Lucius 2. 1145 Eugenius 3. 1147 Anastasius 4 1154 Hadrianus 4 1156 Alexand. 3. 1159 Lucius 3. 1180 Urbanus 3. 1185 Gregorius 8 1187 Clemens 3. 1189 Celestinus 3. 1191 Innocētius 3 1198	Gaufridus 1110 Hugo Ambianensis 1130 Rotrodus 1165 Galterius 1184	Richardus *de Glocestre* 1130 Philippus *de Harcour.* 1142 Henricus 1165	Richardus de Bellafago 1134 Richardus *de Subligny* 1145 Herbertus 1152 Achardus 1161 Richardus 3 1171 Guillelmus Burellus 1182 Guillelmus *Foulon* 1190	Audoënus *al.* Odo 1112 Rotrocus 1129 * Ægidius. 117[illegible] * Guarinus 1196
1200.	Honorius 3. 1216 Gregorius 9 1227 Celestinus 4 1241 Innocentius 4 1243 Alexand. 4 1254 Urbanus 4 1261 Clemens 4. 1265 Gregorius 10 1271 Innocētius 5 1273 Hadrianus 5 1273 Joannes 21 1273 Nicolaus 3 1278 Martinus 8 1280 Honorius 4 1285 Nicolaus 4 1288 Celestinus 5 1294 Bonifacius 8. 1298	Robertus 2 1208 Theobaldꝰ 1222 Mauricius 1231 Petrus de Collemedio. 1237 Odo Clemens 1245 Odo *Rigaut* 1247 Guillelmus 2 1276	Robertus *de Ablagel.* 1205 Thomas *de Freauville.* 1232 Guido 1248 Ode de Loeris 1259 Gregorius de Neapoli 1274 Petrus *de Benais* 1276	Guillelmus de Ofcilleio 1209 Guillelmus *de Ste Marie Eglise* 1239 Hugo 1252 Richardus Anglus 1257 Rodulfus Thevillus. 1270 Gofridus *Boucher* 1293	* Lucas. 1202 Radulfus 1220 Richardus de S. Leodegario 1223 Radulphus *de Chierres* Joannes *Daubergenville* 1244 Radulphꝰ *Grossparmi* 1257 Radulphus de Chevriaco 1264 Philippus de Cacutio 1269 * Eustatius 1281 Nicolaus de Autolio 1281 Matthæus de Essartis. 1299
1300.	Benedictus 11 1303 Clemens 5. 1306	Bernardus 1306 Ægidius 1311	Guillelmꝰ *Bonnet* Guillelmus *de Trie* 1303	Nicolaus *de Lusarche* 1309	Gaufridus *du Plexis* 1315

Episcopi Sagienses.	*Episcopi Lexovienses.*	*Episcopi Constantienses.*	*Reges Galliæ.*	*Duces Normaniæ.*
Yvo *de Bellesme* Robertus de Ria 1072 Girardus 1087 Serlo 1091	Hugo *d'Eu.* 1047 *	Caufridus 1048 Radulfus.	Philippus 1060	Robertus 2. 1088
Joannes 114 Girardus 1145 Frogerius 1158 * Liziardus 1190	Fulcherius 1101 Joannes 1107 Arnulfus 1120 Radulfus de Varnavilla. 1182 Guillelms de *Rupierre* 1193	Rogerius 1110 Richardus 1128 Algarus. Richardus 2 1151 Guillelmus 1182	Ludovicus 6 1108 Ludovicus 7 1137 Philippus 2 1181	Henricus 1 1107 Eustachius Boloniensis 1135 Gaufridus 1143 Henricus 2 1150 Richardus cor Leonis 1189 Joannes sine terra 1199
Sylvester 1203 Gervasius 1220 Hugo 1231 Gaufredus de maieto 1243 Thomas *d'Aulnou* 1255 Guillelmus 1278 Joannes *de Berniere* 1290 Philippus *le Boulenger* 1293	Jordanus *du Hommet* 1200 Guillelmus de Ponte archæ 1220 Fulco *d'Astin* 1250 Guido de Merula 1267 Guillelmus de Asnerijs 1277	Vivianus. 1200 Hugo *de Morville* 1220 Ægidius de Cadomo 1238 Joannes *d'Essey* 1250 * Robertus *de Harcour* 1255 Eustachius 1270	Ludovicus 8 1223 S. Ludovicus 1227 Philippus 3. 1271 Philippus 4 1285	Philippus 2. 1204
Richardus *de Senlilly* 1315	Guido *de Harcour* 1305		Ludovicus 10. 1314	

Anno Christi	*Summi Pontifices.*	*Archiepiscopi Rotomagenses.*	*Episcopi Bajocenses.*	*Episcopi Abrincenses.*	*Episcopi Ebroicenses.*
1300.	Joannes 22 *1316* Benedictus *12* *1335* Clemens *6* 1342 Innoc. *6* 1351 Urbanus *5* *1361* Gregorius *11* 1371 Urbanus *6* 1378 Bonifacius *9* *1369*	Guillelm. 3 1319 Pet. Roger. 1331 Aimericus 1338 Nicolaus 1342 Joannes 3 1347 Petrus 3 1351 Guillelm. 4 1356 Philippus 1369 Petrus 4 1375 Guillelm. 5 1375 Guillelm. 6 1388	* Petrus *de Levis* 1324 Guillelmus 1330 Guillelmus 1347 Petrus 1347 Ludovicus 1370 Milo *de Dormans* 1373 Nicolaus *du Bosc.* 1375	Michael *de Pontorson.* 1311 Joannes 1 1312 Joannes 2 1327 Joannes 3 *1339* Fulco *Bardoul* 1358 Robertus 1379 Laurentius 1379 Joannes de *S. Avit.* 1390	Andreas 1320 Joannes *1339* Guillelmus 1334 Vincentius 1339 Gaufridus *Faë* * al. *Fare* 1334 Robertus 1340 Guillelmus 1375 Bernardus 1377 Philippus 1384 Guillelmus 1390
1400.	Innoc. 7 1404 Greg. 12 *1406* Alexand. *5* 1409 Joannes 23 1411 Martinus 5 1417 Eugenius 4 *1431* Nicolaus *5* 1447 Callistus *3* 1455 Pius 2 1458 Paulus *2* 1465 Sixtus 4 1471 Innocentius 8 1484 Alexand. *6* 1492	Ludovicus 1406 Joannes 4 1422 Hugo 1430 Ludov. 2. *1436* Rodolfus *1443* Guillelmus 7 *1453* Robertus 3 *1482* Georgius 1 1484	Joannes 1408 Joannes *Lengret* 1412 Nicolaus *Habart* 1420 Zeno *de Castillon* 1432 Ludovicus *de Harcour* 1459 Carolus *de Neufchastel* 1480 Renatus *de Prie* 1491	* Martinus *Pinard* 1442 * Ludovicus *de Bourbon* alijs *de Vendome* 1484	Guillelmus *de Cantiers* 1400 Paulus de *Capranica* 1416 Martialis Fornerius 1427 Pasquerius *de Vaux* 1435 Guillelmus *de Floques* 1447 Joannes 1464 Petrus 1472 Joannes 1477 Radulphus 1479
1500.	Pius 3. *1503* Julius 2. 1503 Leo 10. *1512* Adr. 6. 1521 Clemens 7. 1524 Paulus 3. 1534 Julius 3. 1550 Marcell⁹ 2. 1555 Paulus 4. 1555 Pius 4. 1558 Pius 5. 1566 Gregori⁹ *13* 1572 Sixtus 5. *1585* Urbanus 7. 1590 Gregori⁹ *14.* 1590 Innoc. 9. 1590 Clemens 8. 1592	Georgius 2 1510 Carolus 1550 Carolus 2 1582 Carolus *3.* 1594	Ludovicus de Canossa *1517* Petrus *de Martigny* 1531 Augustinus 1531 Stephanus *Poncher.* 1550 Carolus *de Humieres* 1568 Reginaldus 1571 Bernardus *de S. François.* 1572 Mathurinus *de Savonnieres* 1582 Carolus 1588 Renatus 1590	Ludovicus *Hebert* 1510 Joannes *de Lengeac* 1527 Robertus Cænalis 1533 Antonius *le Cirier.* 1561 Augustinus *le Cirier* 1575 Georgius *Pericard* 1583 Franciscus *Pericard.* 1586	Ambrosius *le Veneur.* 1513 *Gabriel le Veneur* 1532 Claudius *de Saintes* 1575 Jacobus *Davy du Perron* 1596
1600.	Leo 11. 1605 Paulus 5. 1605 Greg. 15. 1621 Urbanus 8. 1624 Innoc. 10. 1644 Alexand. 7. *1655* Clemens 9. 1667 Clemens 10. 1671	Franciscus 1. 1604. Franciscus 2. 1614. Franciscus 3. 1651 Franciscus 4. 1671 87.	Arnaldus 1601 Jacobus 1607 Eduardus 1647 Franciscus *de Servien* 1653 Franciscus *de Nemont.*	Henricus *Boyvin* 1617. Carolus 1640 Rogerius 1645 Gabriel *Boyleve* 1651 Gabriel Phil. *de Froulé* 1669	Guillelmus 1608 Franciscus 1613 Jacobus *du Perron* 1646 Ægidius *Boutault* 1649 Henric. *de Maupas du Tour* 1661

240 Innocentius XI. 1676.

Episcopi Sagienses.	*Episcopi Lexovienses.*	*Episcopi Constantienses.*	*Reges Galliæ.*	*Duces Normaniæ.*
Richardus *de Lentilly* 1315 Guillelmus *Mauger* 1319 Gervasius *Belleau* 1356 Guillelmus *de Rancé.* Georgius *Langlois* 1379	Guillelmus de Caromonte 1336 Joannes 1360 Ademarus 1361 Alphonsus *Chevrier* 1382 Nicolaus *Orême* 1382 Guillelmus *d'Etouteville.* 1397	Guilllellmus *de Thieville.* 1319 Ludovicus *d'Erqueri.* 1320 Sylvester *de la Cervelle.* 1371 Nicolaus *de Toulon* 1387 Guillelmus *de Creve-cœur.* 1387	Ludovicus 10 1314 Philippus 5. 1316 Carolus 4. 1320 Philippus 6 1328 Joannes 1351 Carolus 5. 1364 Carolus 6. 1381	
Petrus *de Beaublé.* Robertus *de Rouvre* 1422 Theobaldus 1433 Joannes *de Peruse.* Robertus *de Cornegruë* 1454 Ægidius *de Laval* 1483	Petrus *Frênel* 1415 Branda Castillonus 1420 Zanonus de Castilione 1424 Petrus *Cauchō* 1432 Paschasius *de Vaux.* 1443 Thomas 1447 Antonius 1477 Stephanus *Blosset* 1482	Ægidius *Deschāps* 1408 Joannes 1414 Pandulfus 1414 Ægidius 1418 Joannes *de Castillon* 1444 Richardus 1458 Benedictus 1470 Julianus *de la Roüere.* 1474 Gaufridus 1487	Carolus 7. 1422 Ludovicus 11 1461 Carolus 8 1484 Ludovicus 12 1498	
Claudius *Husson* 1502 Jacobus *de Silly* 1512 Nicolaus *Dangu* 1539 Petrus *Duval* 1548 Ludovicus *du Moulinet.* 1564	Joannes *le Veneur* 1505 Jacobus *d'Annebaut* 1543 Joannes *Hennuyer* 1560 Joannes *de Vassé* 1580 Annas *Descars* 1585	Hadrianus *Gouffier* 1510 Bernardus *d'Vnce* 1516 Renatus *de la Tremoille* 1520 Philippus *de Cossé* 1540 Paganus *le Sueur* 1550 Stephanus *Martel* 1559 Artus *de Cossé* 1574 Nicolaus *de Briroy.* 1597	Franciscus 1. 1515 Henricus 2 1548 Franciscus 2. 1558 Carolus 9. 1561 Henricus 3. 1574 Henricus 4. 1589	
Claudius 1601 Joannes 1606 Jacobus 1. 1611 Jacobus 2. 1614 Franciscus *Rouxel de Medavy* 1651 Joannes *Forcoald* 1671	Franciscus 1600 Guillelmus 1618 Guillelmus 1622 Philippus 1636 Leonorius *de Matignon* 1646 Leonorus *de Matignon* 1676	Guillelmus 1620 Nicolaus *Bourgeois* 1623 Leonorius 1623 Claudius 1646 [redacted] De Lesseville carol. franc. de [redacted] 1668 lomenie	Ludovicus 13 1611 Ludovicus 14. 1643	65

TABELLAM hanc Chronologicam lectoris oculis subjicimus, ut unico prospectu deprehendere liceat coævos Pontifices, qualem ut plurimùm Sammarthani fratres exhibuere iu sua Gallia Christiana, quam tamen & mancam omnino, & lacunis ac hiatibus deformem in prioribus illis ac remotioribus sæculis dolemus, seu scriptorum incuriâ ac oscitantiâ, qui inter Dypthica sacra Ecclesiarum suarum, sola ac pauca Pontificum prænomina retinuere, seu temporum injuria cetera penitus interierint: adeo ut inter offusas & ignorantiæ & antiquitatis tenebras cespitare & sæpe sæpius hærere invitis contingat, Chronologiæ potissimùm amatoribus, quibus hac in parte durum omnino videtur certas ac fixas temporum epochas haud posse statuere; si enim quinque aut sex postrema tollas sæcula rari omnino supra occurrent Episcopi, quorum sessioni adscribi possint veri ac indubitati limites, quamvis enim variæ occurrant subscriptiones aliaque id genus documenta quibus constare possit eos tali vixisse tempore, cum tamen nullus plerisque assignetur certus in tabulis Ecclesiasticis ad Pontificatum ingressus, aut ab eo egressus, quin ut jam monui, sine die sine Consule describantur, restat ut conjecturis detur locus ubi potiora ac firmiora desunt, velint nolint critici. Quod præmonitum volui lectorem ut omnis rixandi occasio tollatur; & ne litigandi, ac omnia susdeque evertendi occasionem aliqui inconsiderate sumant ex falso & supposito Chronologiæ fundamento, quod quidem de cetero, fidem historicam elevare nullomodo debet cum dubia prout sunt ingenuè proponit, non autem incerta pro veris & indubitatis audenter adstruit, hæc autem dicta sunto ut obstruatur os loquentium iniqua.



SYLLABUS

CONCILIORUM, EPISTOLARUM, DIPLOMATUM, &c.

Quæ in hoc volumine continentur, quo Præsule, quóve tempore habita, ubi Concilia asterisco prænotata Canonibus seu Statutis instructa, quæ & alia signo crucis è MSS. eruta designantur.

ã



SANCTÆ ROTOMAGENSIS ECCLESIÆ CONCILIA AC SYNODALIA DECRETA.

ARCHIEPISCOPORUM SERIES, DIPLOMATA, EPISTOLÆ, &c.

GESTORUM BREVIS EPITOME.



ANCTUS NICASIUS Rotomagi à Beato Clemente destinatus Episcopus, dum in itinere apud Velocasses Evangelij semina spargit, à Fescennino Præside comprehensus, Scamnis unà cum Quirino Presbytero & Scuviculo, Diacono capite plectitur 5. Idus Octobris. Quorum Corpora divinitùs erecta sublatis capitibus, cùm Itam fluvium ignoto vado trajecissent, à Pientia matrona honorificè sepulta sunt in insula, quæ proptereà Vadiniacum appellatur.* Hæc strictim eruditus vir Joannes Prevotius in libello quem publici juris fecit anno 1653, quemque ex integro ferè placuit describere; quamvis ubi res ita postulavit plura addiderimus, quæ cuivis observare in promptu erit. Quisquis ampliorem & exquisitiorem eorum notitiam volet, consulat Historiam à nobis editam anno 1667. in qua res omnes, quæ ad Archiepiscopos spectant fusè descriptæ sunt, & ad Critices & Chronologiæ regulas, quâ potuimus diligentiâ examinatæ; ac præcipuè celeberrima hæc Quæstio de Sancti NICASIJ cæterorúmque Missione, quæ tanta utrinque animi contentione, & tandiù ab eruditis agitata fuit, an à Clemente? an seriùs?

2. S. MELLONUS, vel ut habent antiqui codices MALLONUS, aut MELLO, Martyrologio Romano MELANIUS, Cardiolæ in majori Britannia natus, Romæ à Sancto Stephano I. Papa baptizatus & ordinatus, primus Rotomagi fidem prædicat & Sedem figit; Ecclesiâ in honorem Sanctissimæ Trinitatis & Deiparæ Virginis in eo loco extructâ, ubi Præcordium à mortuis excitaverat. Migrat in cœlum 11. Kalend. Novemb. Sepelitur extra urbem in crypta Basilicæ Sancti Gervasij. Corpus posteà Danorum metu Pontisaram translatum, in Ecclesia Collegiata ejus nominis asservatur.

3. AVITIANUS, qui & AVIDIANUS, S. Sylvestri I. Papæ synchronus, interest Concilio I. Arelatensi cum Nicetio Dia-

cono anno 314 Volusiano & Aniano Consulibus, Constantini magni jussu celebrato.

4. SEVERUS Sedem inijt anno 325. Tenuit annos 15 juxta Ordericum Vitalem. Alius ab Abrincensi Episcopo, cujus Corpus in Ecclesia Metropolitana colitur.

5. EUSEBIUS, unus ex Episcopis, quibus consentientibus & mandantibus Concilium Coloniæ Agrippinæ celebratum est anno Christi 346. Sedisse fertur annos 25.

6. MARCELLINUS Eusebio successit, ac præfuit ex Orderico annis 20.

7. * PETRUS I. anno 386 Pontificatum auspicatus, non quidem 19 tenuit ut ex Orderico quidam scripsere, sed 9. tantùm; quod Amanuensis cujusdam errore factum evidenter demonstramus in Victricij elogio, qui novennario denarium numerum mendosè præposuerit.

8. * S. VICTRICIUS, ex Milite Confessionis titulo insignis, ex Confessore in locum Petri ad Rotomagenses infulas evectus; non quidem anno 405 ut quibusdam placuit, sed 394 quod varia ejus acta evidenter probant. S. Martino Turonensi Episcopo amicitiâ junctus (teste Severo Sulpitio *) ei apud Carnutes adfuit, cùm mutæ ab utero Puellæ linguam resolvit. Charissimus etiam fuit Divo Paulino Nolensi Episcopo, qui miris eum laudibus effert duabus Epistolis; videlicet 27ª & 28ª. Has eo libentiùs hìc proferam, quæ singularem Pastoris & Cleri Rotomagensis, imò & totius Urbis pietatem genuinè omninò adumbrant, posteàquam dedero Epistolam Decretalem ab Innocentio I. ad eum scriptam. Quamvis autem utrasque in Historia Archiepiscoporum Rotomagensium vernaculæ linguæ redditas exhibuerim *, ab hac tamen decretali huic nostræ Conciliorum Collectioni initium facere decrevimus. Porrò VICTRICIUM Sedisse non undecim tantùm annis comperio, sed 23, & ad 417 pervenisse. Sacræ ejus Reliquiæ ingruentium Barbarorum metu, Brainam in Territorio Suessionensi ad Cœnobium Præmonstratensis Ordinis fuerunt asportatæ.

Dial. 3.

pag. 50. & seq.

INNOCENTIUS VICTRICIO EPISCOPO *Rotomagensi.*

ex edit. Binij. * secundum Ecclesiasticas Regulas.

* atque auctoritatem

*Regularum

Etsi tibi, Frater charissime, pro merito & honore Sacerdotij, quo plurimùm polles, vivendi & docendi Ecclesiasticæ Regulæ * nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minùs collectum esse videatur: tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam ad auctoritatem* magnoperè postulasti, voluntati tuæ morem admodùm gerens, digestas vitæ & morum probabilium disciplinas annexas litteris meis misi; per quas advertant Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus ac regulis Christianorum vita in sua cujusque professione debeat contineri, qualisque servetur in urbis Romæ Ecclesijs disciplina. Erit dilectionis tuæ, per plebes finitimas, & consacerdotes nostros, qui in illis regionibus proprijs Ecclesijs præsident, Regularem * hunc librum, quasi didascalicum atque monitorem sedulò insinuare, ut & nostros cognoscere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent; aut si quid adhuc desideratur, facilè poterunt ex bona imitatione supplere.

Incipiam igitur adjuvante Sancto Petro Apostolo, per quem & Apostolatus & Episcopatus in Christo cœpit exordium, ut quoniam plures sæpè emerserunt causæ, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina; ut de cætero sollicitudo sit unicuique sacerdoti in sua Ecclesia curam hujusmodi habere (sicut

Apoſtolus prædicat Paulus) talem Eccleſiam Deo exhibendam, *non habentem maculam aut rugam*, ne alicujus morbidæ ovis afflatu conſcientia noſtra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantiâ, vel deſidiâ non tenent Eccleſiaſticam diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt; rectè poſtulaſti, ut in illis partibus iſtiuſmodi quam tenet Eccleſia Romana forma ſervetur, non quo nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt ab omnibus obſervari cupiamus; quæ tamen Apoſtolicâ & Patrum Traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad Theſſalonicenſes Paulo monente: *State ac tenete Traditiones noſtras, quas tradidi vobis, ſive per verbum, ſive per epiſtolam.* Illud certè tuam debet mentem vehementiùs excitare, ut ab omni labe ſæculi iſtius immunis ante Dei conſpectum ſecurus inveniaris; Cui enim multum creditur, plus ab eo exigitur* uſura pœnarum. Ergò quoniam non pro nobis tantùm, ſed pro Populo Chriſti cogimur præſtare rationem, diſciplinâ deificâ populum erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui ſtatuta Majorum non tenentes, Caſtitatem Eccleſiæ ſuâ præſumptione violarent, populi favorem ſequentes, & Dei judicium non timentes. Ergò ne ſilentio noſtro exiſtimemur his præbere conſenſum, dicente Domino: *Videbas furem, & currebas cum eo*, hæc ſunt quæ deinceps intuitu divini judicij omnem Catholicum Epiſcopum expedit cuſtodire.

Ephes. 5. 27.
2. Theſ. 2. 14.
* *alibi* cum uſura
Pſalm. 49. 18.

CAPUT I.

Quòd extra conſcientiam Metropolitani non ordinandus ſit Epiſcopus.

Primùm, ut extra conſcientiam Metropolitani Epiſcopum nullus audeat ordinare. Integrum enim eſt judicium, quod plurimorum ſententijs confirmatur. Nec unus Epiſcopus ordinare præſumat Epiſcopum, ne furtivum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim & in Synodo Nicæna conſtitutum eſt, atque definitum. *Can. 4.*

II. *Qui cingulum militiæ poſt Baptiſmum acceperit, Clericus fieri non debet.*

Item ſi quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſæcularis habuerit, ad Clericatum omninò admitti non debet.

III. *De cauſis Clericorum ab Epiſcopis Provinciæ terminandis, vel ad Sedem Apoſtolicam referendis.*

Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter Clericos, tam ſuperioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejuſdem Provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur. Nec alicui liceat, ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri; relictis his ſacerdotibus qui in eadem Provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare Provincias. Quod ſi quis fortè præſumpſerit, ab officio Clericatus ſummotus, velut injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale judicium referatur. *Can. 5.*

IV. *Ut Clericus uxorem, nisi virginem, non ducat.*

Ut mulierem Clericus non ducat uxorem, quia scriptum est, *Sacerdos uxorem virginem accipiat*, non viduam, nec ejectam. Utique qui ad Sacerdotium labore suo, & vitæ probitate contendit, cavere debet, ne hoc præjudicio impeditus pervenire non possit.

V. *Ut qui non virginem duxerit, Clericus non fiat.*

Ut si quis mulierem, licet Laïcus, duxit uxorem, sive ante Baptismum, sive post Baptismum, non admittatur ad Clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In Baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.

VI. *Ut Clericus non ordinetur qui secundam habuit uxorem.*

1 Tim. 3. 2. Ne is qui secundam duxit uxorem Clericus fiat, quia scriptum est: *Unius uxoris virum*; & iterum, *Sacerdotes mei semel nubant*, & alibi, *Sacerdotes mei non nubent ampliùs*. Ac ne ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si fortè quis accepit uxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum, satis errat à regula: quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur, cum utique uxor ex legis præcepto ducatur, in tantum ut & in Paradiso cùm parentes humani generis conjungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit, *à Deo* Prov. 19. 14. *præparabitur viro uxor*. Quam formam etiàm Sacerdotes omnes servare usus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere uxorem ante Baptismum, acceptam post Baptismum non computari; cùm benedictio quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Deo antiquitùs institutæ doceatur. Quòd si non putatur uxor esse computanda, quæ ante Baptismum ducta est, ergò nec filij, qui ante Baptismum geniti sunt, pro filijs habentur.

VII. *Ut alterius Clericum nullus ordinet, neque ab alio ejectum recipiat.*

Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hóc etiàm Synodus statuit Nicæ- *Can.* 16. & 17. na, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.

VIII. *Venientes à Novatianis vel Montensibus quomodo suscipiendi.*

Ut venientes à Novatianis vel Montensibus, per manus tantùm impositionem suscipiantur; quia quamvis ab Hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati, præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

IX. *Quòd Sacerdotes & Levitæ ab uxoribus suis abstinere debeant.*

Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omninò debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur; Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nam si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omninò tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquàm ex semine Aaron, ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die Ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, quâ vel à sacrificijs divinis, vel à Baptismatis officio vacent? Nam si Beatus Paulus ad Corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi*; & hoc utique Laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere. Quod si contaminatus fuerit carnali concupiscentiâ, quo pudore sacrificare usurpabit? aut quâ conscientiâ, quóve merito exaudiri posse se credit? cùm dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum*? Sed fortasse licere hoc credit, quia scriptum est, *Unius uxoris virum.* Non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: *Vellem autem omnes sic esse, sicut & ego.* Quod apertiùs declarat, sic dicens: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt; vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu.*

Levit. 44 & 20. 1. Cor. 7 5. Tit. 1 15 1 Tim. 3 1 Cor. 7 v 7. Rom. 8. v. 8 & 9.

X. *Monachi si Clerici fiant, continentiæ propositum servare debent.*

De Monachis, qui diu morantes in monasterijs, posteà ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere eos à priore proposito deviare. Aut enim sicut in monasterio fuit, & quod diu servavit, id in meliore gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, posteà baptizatus, in monasterio sedens, ad Clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omninò habere non poterit: quia nec benedici cum Sponsa potest jam corruptus. Quæ forma servatur in Clericis, maximè cùm vetus Regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus Clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omninò non ducere.

XI. *Ut Curiales Clerici non ordinentur.*

Præterea frequenter quidam è fratribus nostris Curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, Clericos facere contendunt: quibus posteà major tristitia, cùm de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia de adscito nascitur. Constat enim eos in ipsis munijs etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inventas esse non dubium est, & ludorum vel munerum apparatibus aut præesse, aut interesse. Sit certè in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sæpè pertulimus Imperatore præsente, cùm pro his

ſæpiùs rogaremus, quam ipſe nobiſcum poſitus cognoviſti. Quibus non ſolùm inferiores Clerici ex Curialibus, verùm etiam jam in Sacerdotio conſtituti, ingens moleſtia ut redderentur imminebat.

XII. *De virginibus ſacris ſi nupſerint, aut lapſæ fuerint.*

Item quæ Chriſto ſpiritaliter nupſerunt, & velari à ſacerdote meruerunt, ſi poſteà vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit. Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi unus ex eis fuerit defunctus: quanto & illa magis tenenda eſt, quæ antè immortali ſe Sponſo conjunxerat, & poſteà ad humanas nuptias tranſmigravit?

XIII. *De virginibus non velatis, ſi neglecto propoſito nubant.*

Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licet velatæ non ſint, ſi fortè nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Deo tenebatur. Nam ſi inter homines ſolet bonæ fidei contractus nullâ ratione diſſolvi; quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerit Virgo, ſolvi ſine vindicta non
Tim.5 debet? Nam ſi Apoſtolus Paulus quæ à propoſito viduitatis diſceſſerunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines quæ prioris promiſſionis fidem frangere ſunt viſæ?

Hæc itaque regula, Frater chariſſime, ſi plenâ vigilantiâ fuerit ab omnibus Dei Sacerdotibus obſervata, ceſſabit ambitio, diſſenſio conquieſcet, Hæreſes & Schiſmata non emergent, locum non accipiet Diabolus ſæviendi: manebit unanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur, veritas ſpiritali fervore flagrabit, pax prædicata labijs cum voluntate animæ concordabit. Implebitur & dictum
Philip.2 Apoſtoli, ut unanimes unum ſentientes permaneamus in Chriſto, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vendicantes, non hominibus, ſed Deo noſtro Salvatori placentes, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Datum xv. Kalendas Martias, Honorio Auguſto VI. & Ariſtæneto V. C. Conſulibus.

---

* DICAM hìc obiter, novatores cavillandi occaſionem ſumpſiſſe, in Canonem 12 cujus titulus eſt *de Virginibus ſacris ſi nupſerint, aut lapſæ fuerint*, quas prohibet ad pœnitentiam admitti, niſi poſt mortem mariti, aut ut verbis Canonis utar, niſi is cui ſe junxerant receſſerit de ſæculo, injuſtum reclamant mites ejuſmodi critici, lapſæ mulieri fictè an ſincerè ad converſionem venienti gratiæ aditum præcludi, veniam denegari.

At nullius momenti eorum objectio, facilè omnino diſſolvi poteſt, nihil enim æquitati congruentius quàm quod ab Innocentio ſtatutum eſt, quippè haud cenſenda mulier verè ad Deum converti, quandiù cum homine illo converſabitur, qui legitimus ejus non eſt Sponſus, at revera adulter, ac conſequenter ad pœnitentiam non eſt admittenda, quæ ſciens ac volens in peccato perſeverat. Quod autem vir ille legitimus ejus Sponſus non ſit ex

eo conficitur, quod quæ solemni voto virginitatis semel Christum sibi Sponsum assumpsit; sacrum istud ac spirituale vinculum abrumpere, aut violare nequaquàm potest, ac mortali sese homini commiscere absque grandis piaculi, imò & sacrilegij nota. Ideóque si verè converti velit ac sincerè primò ac præ omnibus & corpore & affectu sejungi debet ab existimato hoc marito, si secùs agat, velut fucata ac fictitia illius pœnitentia à ministris Ecclesiæ meritò rejicienda est. Ita Eminentissimi Cardinales Baronius & Bellarminus Decretum istud Innocentij contra ineptam novatorum censuram propugnarunt; disertè item asserit Syrmondus tom. 4. Concil. Innocentium dum ejusmodi Decreta Victricio dedit, ea verè ex Apostolicæ & Sanctorum Patrum Traditionis fonte deprompta, non autem à se primùm excogitata, quod minutatim & per partes eo loci demonstrat.

PAVLINVS VICTRICIO EPISCOPO *Rotomagensi.*

ARGUMENTUM.

Expostulat cum Victricio, quòd Vrbem ingressus se non inviserit. Hunc collaudatum tum ob insignem vitæ pietatem, tum doctrinæ integritatem hortatur ut in ea permaneat, proponens ei futuræ vitæ brabium.

SIcut aqua frigida sitienti, & bonus nuntius de terra longinqua, ita nobis refrigerio & refectioni fuit eloquium sanctitatis tuæ, quod per Epistolam brevem quidem verbis, sed charitate prolixam in manu charissimi portitoris accepimus, hoc est, filij nostri Candidiani, cujus gratiæ congratulati sumus, quia propter verba labiorum sanctorum prompto spiritu impigrum carnis infirmæ jumentum angariavit in vias duras, non virtute, sed fide fretus, & sine dubio per orationes tuas quasi pennas columbæ, aut pedes Cervi ad implendum charitatis ministerium roboratus accepit, & indè in parvo corpore quasi gigas factus exultavit ad currendam viam, & replevit animam nostram benedictione dulcedinis, afferens nobis Epistolas desiderabiles super aurum & lapidem pretiosum nimis, & supra mel & favum dulces; Quibus mentem nostram de peccatis amaram quasi myrrham illam in manu Moysi per lignum mysterij; ita beatitudinis tuæ sanctus & dulcis adfatus in dulcedinem lætitiæ spiritali suavitate mutavit. Nam & indè tristati amaritudinem duxeramus, quòd ex urbe ad nos sicut sperabamus brevi itinere non veneras, qui ad urbem per tanta terrarum spatia perveneras. Fateor enim me hujus boni damno, non solum contristatum, sed & confusum fuisse. Numquid enim magis mihi ipsi, ne dicam alijs manifestata fuerant peccata mea, quàm quòd mihi de tam proximo vultus tui lumen inviderant. Numquid enim Dei manus quæ tam longè te perduxerat, propè non valuisset adducere? sed peccata nostra grandi muro desiderijs nostris opposita, inter nos & te separaverunt. Væ mihi misero peccatori immunda labia habenti, qui audeo dicere, te prope nos vel nos prope te fuisse. Cùm etiam si ad nos usque venisses, æquè tamen à sanctitate tua longè fuissemus. Neque enim locis potuisset æquari, aut conjungi tanta virtutum distantia, & longinquitas meritorum. Veruntamen fructibus sanctitatis tuæ opus istius pietatis accesserat, &

merces in cœlo tua de tam pio labore crevisset, si & circa infirmitatem nostram facie & manu tua cominùs visitandam; verbum illud Domini salutaris implesses, quia non est opus medico sanis, sed malè habentibus. Nolo te enim, benedicte vir Domino, ita securum esse de nobis, ut putes jam sanatos esse omnes languores animæ nostræ, in quibus Domino peccavimus, & peccamus. Quamlibet ipse summus unguentarius, qui ad remedia salutis nostræ conficit varias unguentorum salutarium atque virtutum suavitates, medicamentum vitæ nostræ, non solùm de effusione spiritus sui, sed etiam de corporis nostri assumptione confecerit, factus (ut scriptum est) pro nobis peccatum per similitudinem carnis peccati in veritate carnis nostræ, ut de peccato damnaret peccatum, hoc est, radicem peccati nostri, ipse peccati liber de materia prius peccatrice damnaret, delens illud quod adversum nos erat mortalis edicti chirographum per sanguinem Passionis suæ, & inimicitiam quâ separabamur à Deo peccatis intervenientibus, interfecit in semetipso, & triumphavit potestates adversarias carne suâ, dans nobis exemplum vivendi atque vincendi in nobismetipsis spiritales & invisibiles inimicos spiritali & invisibili prælio, quod geritur inter legem mentis & legem carnis, captivare nos nitentem in legem peccati: sed ora Deum & exora, ut apprehendat arma & scutum, & exurgat in adjutorium nobis, & dicat animæ nostræ, salus tua ego sum: Ne fiat via nostra tenebræ & lubricum, & operiat nos umbra mortis, & dicat inimicus, prævalui adversus eos: Te verò, tendente pro nobis arcum orationis, non convertemur in arcum perversum. Exurgat in nobis Deus, ut dissipentur inimici nostri, quia propter miseriam inopum & gemitum pauperum, quorum participes sumus, exurrexit Dominus, ut averteret mala nostra inimicis nostris, & salvos faceret peccatores, quorum præcipui sumus, sicut infirmi servorum Christi, qui nec ea quæ debemus facere possumus, cùm & supra debitum legis aliquod voluntarium munus adjicere debeamus de affectu nostro, ut magister ipse fecit, cujus tu imitator es, qui potestatem habens de Evangelio vivendi, noluit tamen uti potestate suâ, & abutens licito, hanc occasionem sibi cumulandæ apud Christum mercedis invenit, ut Evangelium sine sumptu poneret. Tua verò sanctitas non solùm de abusione licitorum & abstinentia commodorum visibilium, christianæ paupertatis divitem gloriam tenet; sed sicut comperi, etiam de multitudine adversantium & tolerantia tentationum, quoniam insurrexerunt in te testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Sed nodus in scirpo, & nævus in lumine non potuit inveniri. Non enim sub modio latebat lucerna tua, quæ eminet & splendidè fulget supra candelabrum sanctum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, & multis Domino accendendis luminaribus fomes existat. Et ideò inconcussum, & stabile permansit candelabrum tuum, quia manibus humanis impellebat ut caderet: non autem merebaris, ut illius manu in ruinam commoveretur, qui habet septem stellas, & ambulat inter septem canbelabra aurea, habens in ore gladium bis acutum, quo armavit dexteram mentis suæ, ut utriúsque testamenti face, cadentia inimici jacula victor extinguas, & cadant à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis, tibi autem non appropinquent, quem inexpugnabili scuto teget veritas Dei, ut arcus eorum infirmentur, qui in te dicuntur acuisse linguarum machæras. Sed ut sagittæ parvulorum, ita infirmati sunt ictus eorum, nec

nec potuerunt in corpore armis Dei potentibus ſepto, locum vulneris invenire. Dominus enim protectio tua, & Dominus illuminatio cordis tui. Qui te in ſpiritu veritatis inſtruxit, ut in doctrina Pauli magiſter ſis Gentium, cùm fide & veritate, non in inflatione ſcientiæ, neque in ſublimitate ſermonis annuncias myſterium Chriſti, ſed nihil te judicans ſcire inter homines niſi Chriſtum Jeſum, & ipſum crucifixum. Cùm ergo fides & confeſſio tua (ut credimus atque confidimus) coæternam Trinitatem unius divinitatis & ſubſtantiæ, & operis & regni eſſe teſtetur, cumque Patrem Deum, & Filium Deum, & Spiritum ſanctum Deum, ut eſt, qui eſt, & erat, & venturus eſt, qui miſit te ſicut Moyſem & Apoſtolos evangelizare gentibus bona Domini, quod ita ut ipſe à Deo doctus es doces, unitatem Trinitatis ſine confuſione jungens, & Trinitatem ipſius unitatis ſine ſeparatione diſtinguens, ita ut nulla alteri perſona conveniat, & in omni *perſonarum trium Deus unus eluceat, & tantus quidem Filius quantus & Pater, quantus & Spiritus ſanctus, ſed ſemper quiſque ſui nominis proprietate diſtinctus, individuam retinet in virtutis & gloriæ æqualitate concordiam. Certi autem ſumus, quòd & Filium Dei ita prædicas, ut eundem & Filium hominis confiteri non erubeſcas. Tam verè hominem in noſtra natura quàm verè Deum in ſua, ſed Filium Dei ante ſæcula, quia ipſe eſt Dei Verbum Deus qui erat in principio apud Deum, æquè Deus *coomnipotens & cooperator Patris. Per ipſum enim omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et hoc Verbum pietatis immenſæ myſterio caro factum eſt, & habitavit in nobis. Non autem caro tantùm corporis noſtri, ſed homo totus & corporis noſtri & animæ aſſumptione: Animæ autem rationalis, quæ juxta naturale opificium Dei habet inſitam mentem, alioqui in tenebris Appollinaris erravimus, ſi hominem aſſumptum Deo animam mentis humanæ vacuam, qualis eſt pecorum & jumentorum dicamus habuiſſe, & eum hominem quem ſuſcepit Dei Filius, qui neceſſe eſt ea veritate qua veritas eſt, & qua creavit hominem, totum ſuſceperit, ut opus ſuum plena ſalute renovaret. Nulla eſt autem ſalus noſtra niſi plena eſt, quia non hominem, ſed aliud neſcio quod irrationabilis creaturæ animal ſuſcepit Dei Filius, ſi mentem ſuam propriam hominis aſſumpti anima non habuit, & contra naturam generis humani ille potiſſimùm primogenitus omnis creaturæ homo in formam perfectionis humanæ aſſumptus, in tantum mente ſua indiguit, ut non de humano, ſed de diuino ſpiritu mentem habuiſſe dicatur. Quod illorum ore dicitur, in quorum corde concipitur hoc venenum, ut & veritas mentita ſit. Sed prope te & in te eſt Verbum veritatis & veritas Dei, neque indiges Spiritu ſancto, qui Dominum Jeſum Dei Filium, Deum in gloria Dei Patris, & ad dexteram virtutis, regem regum manere, & ex reſurrectione mortuorum judicem vivis & mortuis adfore confiteris, & credis & prædicas. Memento noſtri & gloriare ſecundum Apoſtolum, quia hæc in brevi tentatio in æternum tibi gloriæ pondus operata eſt, & repoſuit tibi coronam juſtitiæ, quam accipies de manu Domini, & in victoriæ materiam tibi bellum excitari permiſſum eſt, ut & tibi ſecundum beatum Paulum Doctorem tuum liceat gloriari in paſſionibus tuis, & dilatato ſuper inimicos tuos ore dice-

Ex edit. He ib. Roſveid
* perſona.
* omnipotens.

re, quomodo laboraveris in longanimitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductor & verax, ſicut ignotus & ecce agnitus, quaſi caſtigatus & non mortificatus; quaſi triſtis, ſemper autem gaudens; ſicut egens, multos autem locupletans. Nam hæc ipſa tentatio ſanctitatis tuæ multis in profectum Evangelij venit. Quia nemo in te confuſus eſt, elucente gratiâ Chriſti & veritate fidei tuæ, non ſolùm in directione doctrinæ tuæ, ſed etiam in virtute converſationis, quæ in cælis eſt. Non eſt enim (inquit) regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. Quid ergo quæritur, cùm in te id quod & verbo præſtat emineat? Quis enim dubitet in ejus ſpiritu fidem veritatis habitare, in cujus vita videt fidei extare virtutem?



PAULINUS VICTRICIO EPISCOPO ROTOMAGENSI.

ARGUMENTUM.

ep. 18

Paſchaſium Diaconum diutius apud ſe retentum excuſat Victricio Epiſcopo. Deinde Victricij laudes graphicè deſcribit, quomodo ſub paludamento & habitu militari ſeſe verum Chriſti Confeſſorem ac Martyrem præſtiterit, utque poſt lapſum temporis, in barbaris regionibus plura Monaſteria inſtituerit.

QUod optantibus aliquamdiu non contigerat, id repentè inſperantibus, Domino donante provenit, ut occaſio nobis ad venerandam ſanctitatem tuam ſcribendi per domeſticum fidei, & eum potiſſimùm fratrem qui in Domino tuus pariter ac noſter eſſet, daretur. Accidit enim Romæ nobis ad celeberrimum Natalis Apoſtolici diem concurrere, benedictum Diaconum fratrem noſtrum Paſchaſium, quem præter gratiam fraterni in ſacro miniſterio contubernij, hoc venerabilius amabiliuſque ſuſcepimus, quòd de ſanctitatis tuæ clero, & corpore & ſpiritu eſſe cognovimus. Sed fatemur violentiam noſtram, quâ illum de Urbe ad ſanctitatem tuam redire cupientem quamvis feſtinationem piam juſtiſſimi deſiderij probaremus, tamen in tuo amore complexi Nolam perduximus, ut & hoſpitium illic humilitatis noſtræ quædam per illius ingreſſum tui ſpiritus aura benediceret, & diutius quaſi quadam tuæ gratiæ portione frueremur; videntes & tenentes eum, quem & inſtitutionis tuæ diſcipulum, & viæ comitem, modeſtia morum, cordis humilitas, manſuetudo ſpiritus, fides veritatis, & ſermo in omnibus ſale conditus probabat. Itaque da veniam fratri noſtro in nobis, vel nobis in illo, quia ſive illius tarditas arguatur, ſive præſumptio noſtra culpetur, utrumque delictum charitas Domini excuſabit tibi, quâ vel ille nobis parere compulſus eſt, vel nos eum non timuimus invadere, & pro noſtro jure retinere, non arrogantiâ pervicaci, ſed corde

puro & fide non ficta, nostrum credentes esse quod tuum est: teque ita vicissim reputaturum non ambigentes, ut illum non abfuisse tibi duceres, eo tempore quo nobiscum fuisse cognosceres. Nam etsi regionum intervallis corporaliter disparamur, spiritu tamen Domini in quo vivimus & manemus ubique effuso conjuncti sumus, ut unius corporis membra, & cor unum, & unam animam habentes in uno Deo. Quamobrem spiritali speculo mentem erga nos tuam considerantes, nosque connexos invicem tibi de affectione nostri pectoris vendicavimus nobis, ut unanime animum tuum in fratre retinendo gratia Domini quæ tibi largiter data est idipsum operante, ut in corporis etiam tui membris & in vestimenti tui fimbrijs diligaris, quamvis multos morarum illius dies perdiderimus, dum corripiente nos in sua misericordia Domino ad emendationem spiritalem carnali ægritudine verberabamur. Sed qui consolatur humiles, & sanat contritos corde, consolatus est nos in præsentia fratris nostri benedicti Paschasij. De qua dum refrigerabamur in spiritu, etiam corpore reficiebamur. Amicus enim bonus medicina cordis est, & bene duobus in unum coactis Christus interstat. Neque verò in infirmitate tantùm nostra contribulatus & compassus est, sed in nostri charissimi filij Ursi, quem comitem indivulsum peregrinationis suæ habuerat, gravissimo languore diu confectus est. In quo & fidem ejus & charitatem in Domino plenam perspeximus. Nam quantum ille laborabat in corpore, tantum hic in spiritu macerabatur. Et ideo respexit illum Dominus in hujus humilitate, cumulans & hoc beneficium, ut usque ad mortem infirmatus, fide tamen & labore Paschasij quem Dominus experiri voluit potentiam apud se sancti sui confessoris dilectissimi Felicis Dominedij nostri de periculo inveniret salutem. Per hujus enim ipsius manus genitus, in lectulo baptizatus redit. Præstabit idem Dominus qui illum orationibus sancto fratri nostro Paschasio, & sollicitudini cum eo nostræ & inprimis Ecclesiæ tuæ, & proculdubio semper in tuis ubilibet positis respiciens, redonavit, perducat in conspectum tuum incolumem & salvum, & liberum peccato, servumque justitiæ. Non ambigimus & ipsum, si ad te meruerit pervenire, magna fidei incrementa facturum patre Paschasio, & te amborum magistro. Notum enim nobis fecit Tytius tuus charissimus frater & fidelis minister in Domino, non quidem te magis quàm in te Deum prædicans, quanta Dominus per te lumina in obscuris antè regionibus accendisset, qui educens nubes ab extremo terræ, te quoque in lucem populi sui de extimo orbis eduxit, & clarum fulgur in pluviam uberem fecit. Sicut terra Zabulon quondam & Nephthalim via maris trans Jordanem Galilææ, & qui sedebant in regione umbræ mortis lucem viderunt magnam: ita & nunc in terra Morinorum situ orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui sedebant in latebris, via maris arenosa, extra Jordanem, antequam pinguescerent fines deserti in ea, orta sibi per tuam sanctitatem à Domino luce gaudentes corda aspera Christo intrante posuerunt, ubi quondam deserta silvarum ac litorum pariter intuta advenæ barbari, aut latrones incolæ frequentabant, nunc venerabiles & angelici sanctorum chori urbes, oppida, insulas, silvas, Ecclesijs & Monasterijs plebe numerosis, pace consona cele-

brant. Quod quamquam in totius Galliæ populis & ubique gentium Christus operetur, qui totum orbem circuit, quærens dignos se, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, & in vijs directionis oſtendit ſe hilariter, & omni providentia occurrit amatoribus ſuis: tamen in remotiſſimo Nervici litoris tractu, quem tenui antehac ſpiritu fides veritatis afflaverat, & potiſſimùm in vas electionis excerpſit, in te prima refulſit clariùs, incaluit ardentiûs, & propiùs apparuit, & in quo ſanctificaret illic nomen ſuum, & per cujus nomen etiam ſolis ab occaſu in omnem terram ſonus ejus exiret, aſſumpſit. Denique nunc Rotomagum & vicinis antè regionibus tenui nomine pervulgatum, in longinquis etiam provincijs nominari venerabiliter audimus, & inter urbes ſacratis locis nobiles cum divina laude numerari. Haud immeritò, cùm totam illic qualis in Oriente memoratur Hieruſales faciem, Apoſtolorum quoque præſentia meritum tuæ ſanctitatis adduxerit, qui peregrinam memorijs ſuis urbem affectu ſanctorum ſpirituum, & effectu operum divinorum ſedibus ſuis comparant, qui in te ipſum aptiſſimum ſibi diverſorium repererunt. Juvat videlicet amicos Dei & principes populi veri Iſraël, id eſt, populi appropinquantis ſibi in ea urbe remorari & cooperari tibi, in qua cum Angelis ſanctis continua diebus ac noctibus Chriſti Domini prædicatione mulcentur. In qua illis per devotiſſima fidelium corda famulorum plurimæ virtutes amicæ gratam requiem & familiare metantur hoſpitium. Ubi quotidiano ſapienter pſallentium per frequentes Eccleſias & Monaſteria ſecreta concentu, caſtiſſimis ovium tuarum & cordibus delectantur & vocibus, & nunc illos intemerata virginitas in ſacri corporis templo tenet, ut in viſceribus pudicis requieſcente Chriſto hoſpites faciat. Nec minore eoſdem voluntate ſanctis operibus & pio miniſtratu inexpugnata noctu diuque famulantium viduarum paſcit integritas, vel ſubjugatorum Deo conjugum arcana germanitas, quæ orationibus ſedulis lætum in operibus ſuis Chriſtum ad viſitationem non jam maritalis tori, ſed fraterni cubilis invitat, cum ipſo ſanctiſque ejus viciſſim mixta, concubitu caſtitatis ſpiritibus viſitantum immaculato amore confunditur. Nunc verò per miſericordiæ viſcera reficiuntur, & in filijs pietatis atque juſtitiæ conquieſcunt, te in omnibus eruditionis tuæ filijs diligentes, & in te Chriſtum amantes, ac per hoc virtutes Dei, id eſt, potentiam in Chriſto ſuam in tua potiſſimùm civitate, ut conſortem te ſuum teſtentur, operantes. Gratia illi & gloria, qui opera manuum ſuarum non omittens, omnem hominem vult ſalvum fieri, & in agnitionem veritatis venire, & pedibus Evangelij toto orbe diſcurrens, te quoque ſpecioſum verbi ſui pedem facere, in quo exultaret ut gigas ad currendam viam, & in præparationem Evangelicam pacis ſuæ veſtigio calceare dignatus eſt, ut per te quoque ſuper aſpidem & baſiliſcum ambularet, & conculcaret leonem & draconem. Ac ne tam illuſtris lucerna ſub modio taciturnitatis obſcura latitaret, ſic te Apoſtolicæ ſedis evectu quaſi ſuper candelabrum ſublime conſtituit, ut tota domo multorum illuminatione luceres. Sed quibus te itineribus ad viam ſuæ veritatis adduxit? carnalibus munijs ad ſpiritalia ſuæ virtutis

instituens, creavit initio militem, quem postea elegit Antistitem, & passus est militare te Cæsari, ut Deo disceres militare, ut dum labore castrensi corporis robur exerces, spiritalibus te prælijs roborares, confessioni spiritum firmans, & passioni corpus indurans, quod divinæ providentiæ circa te fuisse consilium, ingens postea exitus tuus à militia, & ingressus ad fidem docuit. Cùm primò Christi amore succensus, ordinante ipso Domino quandam operis sui pompam per insignem concilio militari diem progressus in campum es, toto illo quem jam mente respueras, muniminum bellicorum præcinctus ornatu, cunctisque mirantibus accuratissimos in te habitus, ac terribiles apparatus repentè obstupefacto conversus exercitu ante pedes sacrilegi Tribuni militiæ sacramenta permutans, arma sanguinis abjecisti, ut arma pacis indueres, contemnens armari ferro, qui armabaris Christo, & ilico antiqui serpentis invidiâ concitato in furias Tribuno, districtus in verbera & vastis fustibus fractus, nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris, geminataque mox corpori pœna, acuto testarum fragmine laniata immanibus plagis membra substratus es, tunc mollius fulciente Christo, cujus tibi gremium lectulus erat, & dextra pulvinar, unde ad majorem hostem necdum vulneribus obductis accenso potius eorum dolore, quàm fracta virtute reparatus, fortior prosiluisti, oblatusque Comiti de potentiore inimico gloriosiùs triumphasti, nec ausis ultra diaboli satellitibus superata ingerere tormenta, capitalemque sententiam meditantibus, ut vel fine carnalis tuæ vitæ vinci desinerent, Dominus noster fortis & potens & invictus in prælio, conspicuis mirabilibus pectora quamlibet obdurata confudit. Nam carnifex qui in itinere quo percussorem tuum sacra victima sequebaris, cervicem tuam insultans minaciter attingendi temeritate violaverat, quasi ictus sui locum præcurrente gladium manu palpans, excussis ilico oculis cæcitate percussus est. O Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum! Injuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogavit ignosci; contumeliam martyris statim ultus est, qui passionem suam noluit vindicari. Sed ea ipsa ira pietas est. Idcirco enim unus cæcatus est, ut plures illuminarentur, & ipse forsitan qui oculos carnis amiserat, lumina mentis acciperet. Statim deinceps majore documento qui feralis custodiæ ministerium triste curabant, quas ipsi arctiùs innodatas & ad ossa depressas, vel exiguo rogantibus vobis beneficio relaxare noluerant catenas, conversa in conspectu ipsorum prece vestra ad Deum Christum, sponte de manibus absolutis fluere viderunt, nec ausi renectere quod Deus solverat, ad Comitem pavidi cucurrerunt, veritatem Dei pro confessoribus confitentes, quod auditum religiosè & creditum Comes Principi suo cum testimonio militum retulit. Et ut ipsius quoque repentina ad clementiam de furore conversio inter mirabilia Dei numeraretur, factus est in te prædicator Christi, in quo esse devoverat persecutor, puto & ipsum tanquam Saülem aliquando spiritu sancto Dominus impleverat, quia & te sicut David suum diligebat, ut sicut ille rex quondam, dum ad Prophetas persequendos proficiscitur, * effectus est: ita & Comes ille respersus gratia Domini, quæ de fidei tuæ

* Propheta.

abundantia redundabat, qui ad puniendum confessorem venerat, & ipse confessor abscederet: credidit enim, & quos sæviens prædamnarat ut reos, laudans emisit ut sanctos, & testimonium perhibuit veritati, qui testes fidei punire cupiebat. Quid ergo miremur tam potentem te esse meritorum, tam divitem gratiarum, cum hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? dubitemus etiam nunc an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? Et si legitimè coronandus sis agone decurso, cùm currere cœperis à corona? Quis daret nobis pennas sicut columbæ & volaremus ad te, & requiesceremus in conspectu sanctitatis tuæ, coram in ore tuo Christum Deum admirantes atque venerantes, tergeremus capillis pedes illius in tuis pedibus, & lachrymis rigaremus, & in illis cicatricibus tuis quasi Dominicæ passionis impressa vestigia lamberemus. Suaviora enim sunt vulnera amici quàm oscula inimici. Væ mihi misero peccatori immunda labia habenti, cui fructus iste non contigit, cùm in manu fuerit. Meminisse enim credo dignaris, quia sanctitatem tuam olim Viennæ apud beatum patrem nostrum Martinum viderim, cui te Dominus in ætate impari parem fecit. Ex illo igitur licet brevi notitia te attigerim, tamen magna dilectione complexus sum, & quanta tunc licuit copia veneratus sum sanctitatem tuam, & me ac meos, qui te absentes, tamen quia jungente Christo unum sumus, per me videbant, commendavi in æternum tibi, gaudeoque nunc quòd hoc saltem mihi gloriari licet, quia faciem tuam in carne viderim: sed lugeo negligentiam infelicitatis meæ, quòd occasionem tanti boni ignarus amiserim, & contenebrantibus me illo tempore, non solùm peccatis, quibus etiam nunc premor, sed & curis hujus sæculi, quibus nunc propitio Deo liber sum, sacerdotem te tantum, quod in medio erat viderim, & quod inerat insignius, martyrem vivum videre nescierim. Memineris, quæso te, nostri in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum ornamentisque felicibus comptum, & infulis pariter atque adoreis coronatum, & niveas sacratorum Antistitum vittas, & floridas Confessorum purpuras occurrentium manus afferent Angelorum, teque ipsum ut argentum igne examinatum, & aurum in fornace sæculi hujus probatum, ipse summus auri sui argentique purgator accipiet, & ut pretiosam diademati suo margaritam Rex æternus aptabit, nec tuarum tibi tantùm præmia se debere virtutum judex justus agnoscet, videns innumeros circa te sanctorum utriusque sexus greges, quos illi quotidie institutis tuis generas, formula omnibus perfectæ virtutis & fidei, sicut & frater Paschasius ostendit. In cujus gratia & humanitate quasi quasdam virtutum gratiarumque tuarum lineas velut speculo reddente collegimus. Verè tu beatus tot beatorum parens, tantæ messis sator, centesimum & sexagesimum ac tricesimum fructum Deo fecunditate tuæ terræ efferens, & mensuram parem de varijs partuum tuorum fructibus recepturus, te altissimus inter regni sui maximos nominavit, cui concessit facto æquare sermonem, ut & doctrina tibi vitæ tuæ sit & vita doctrinæ. Quo fit ut nemo se audeat excusare discipulus velut difficultatis imperio, cùm prius adstringatur virtutis exemplo. FINIS.

9. * INNOCENTIUS, quem veteres tabulæ Evodo immediate anteponunt, Victricium tamen sequi inde convincitur quòd Bonifacij I. & Cælestini etiam I. Pōtificatu sederit. Graviter hallucinatur qui Decretalem, de qua mox egimus, ad eum directam nulla prorsus authoritate commentus est Tailpedius. INNOCENTIO sanctitatis titulum detulere non pauci.

10. * SILVESTER ab omnibus fere antiquis Evodo postponitur, quem videlicet medium fuisse Innocentium inter ac SILVESTRUM asseruere, ac sedisse quatriennio. Inde fit incerta omnino SILVESTRI epocha, ac detractum istud quatriennium & ejectum inferius Evodum. Sunt enim qui eum sedem inijsse volunt anno 430, & annis 8 tenuisse. Cogimur tamen veterum chronicorum authoritate freti ad 16 illius administrationem protrahere. Sanctum Lupum Bajocensem Episcopum Dei monitu consecrasse Fasti ejusdem Episcopatus notant, eumque sancti titulo honorant.

11. MALSONUS præfuisse fertur 8 annis rerum divinarum cognitione clarus.

12. * GERMANUS interfuit Concilio Turonensi anno 461. Non autem Calchedonensi ut Demochares & Severtius scripsere nullius antiqui testimonio. Sedit annis 11, ut qui supervixerit prædicto Concilio Turonensi, unico saltem anno.

13. * CRESCENTIUS quamvis longo 26 annorum regimine apud Ordericum notus, nulla tamen rerum præclarè gestarum fama, apud ullum Scriptorem celebris.

14. S. GILDARDUS, Salentiaci apud Veromanduos patre Nectardo, matre Pretagia natus, frater S. Medardi Noviomensis Episcopi. Interest Concilio 1. Aurelianensi, tempore Clodovei 1. Francorum Regis Christianissimi. S. Laudum seu Lautonem Episcopum Constantiensem Dei monitu ordinat regnante Childeberto 1. * Sedisse fertur apud Prevotium annis 15. At pace tanti viri dixerim, prout evidenter omnino in illius elogio demonstravi, 37 annis præfuit, nimirum ab anno 488 ad 525, Childeberti Regis 13, quod ex prædicta S. Lautonis consecratione, quæ fieri non potuit nisi circa annum 524, cuivis attente consideranti evidenter patebit. Sepelitur Rotomagi in quadam Ecclesia S. Mariæ, quæ nunc dicitur ad S. Gildardum; unde postea Suessionem ad sancti Medardi Basilicam transfertur.

15 * FLAVIUS, quem falsò Dadreus sub Dagoberto Majorem domus fuisse scripsit, verosimilius in Gallia Christiana Robertus supremum Thesauri Regij præfectum sub Clotario 1, cui author fuit circa 24 Regni annum Basilicam D. Petri postea D. Audoeni unà cum Monasterio construendi. Interfuit Concilio 2. 3. & 4. Aurelianensi cum plerisque Suffraganeis, 23 annis solummodo rexisse Ecclesiam Rotomagensem constat ex tabulis Ecclesiasticis, sancti titulo decoratus.

16. S. EVODUS, Florentini & Celinæ filius, Ecclesiæ alumnus, ex ejus actis ad hæc Clotarij tempora referendus, cum alioquin in veteribus elenchis Innocentio sufficiatur. Obijt Andeliaci 8 Idus Octobris. Sepultus Rotomagi in Ecclesia Cathedrali S. Mariæ, inde Corpus postea Brainam translatum, in sui nominis Cœnobio etiamnum colitur.

17 * S. PRÆTEXTATUS Chilperico gratissimus, cujus filium Meroveum sacro de fonte suscepit lustricus parens, eundem Chilpericum Rotomagi cum Gozuintha Brunechildis sorore iteratas nuptias contrahentem, adaras sacro fœdere junxit. Interfuit Concilio Parisiensi 3. Summam illius animi demissionem testatur subscriptio Turonensi 2. apposita. Matisconensi etiam 2. præsens fuit. Fredegundis flagitiosissimæ fœminæ dolis, eidem Regi infensus, quæ Chilpericum usque adeo dementaverat, ut Audoverâ primâ uxore in Claustrum ablegatâ, Gozuinthæ necem machinata fuerit ut ejus thorum invaderet, quam etiam PRÆTEXTATO moliretur per Regem & aliquot Episcopos Curiales, nisi Gregorius Turonensis, qui præsens interfuit, fortiter restitisset. Verùm fraudulentis Coëpiscoporum promissionibus circumventus PRÆTEXTATUS, & ad falsam inductus prætensi criminis confessionem in exilium fuit à Rege ejectus, eoque mortuo sedi restitutus, tandem crudelissimæ Fredegundis & Melantij factione occiditur in Ecclesia die Dominico

Christi resurgentis memoriæ sacro. Vixit in Pontificatu annos 42 vario prorsus & inæquali rerum eventu.

* Reperitur anno 587 Conventus apud Andelaüm in Collectione Conciliorum Sirmondi, qui primo statim aspectu visus fuerat ad PRÆTEXTATI Pontificatum pertinere, cum Andelaüm idem fuisse apud antiquos constet ac Andelagum, quod nunc Andelagium aut Andelium duplici titulo; Rotomagensis enim Ecclesiæ tunc patrimonium fuit, ac etiam Ecclesiasticæ Jurisdictionis. At re propiùs inspectâ, locum, ubi ejusmodi conventus habitus fuit non apud Velocasses, sed in Lingoniensi Diœcesi positum fuisse comperi ex Notis Sirmondi pag. 615.

18 MELANTIUS Pontificatum ejecto primùm Prætextato adeptus, inde expulsus, demum post ejus cædem, cujus particeps inventus est, Fredegundis factione denuo sedem occupat. Nominatur in Epistola sancti Gregorij Papæ data mense Julio, Indictione 4. ad diversos Galliæ Episcopos, qua eis Benedictinos in Angliam transfretantes prædicationis causa commendat.

19. * HIDULFUS Episcopatum inijsse creditur circa initium anni 603, ac juxta Ordericum tenuisse 28 annis, quibus divini verbi prædicatione plurimum inclaruit. Interfuisse fertur Concilio Parisiensi in Basilica D. Petri, nunc S. Genovefæ, habito ad annum 615 cum 78 alijs Episcopis, quorum nomina injuriâ temporis interiere.

20. * S. ROMANUS, Benedicti & Felicitatis filius, è Sicambrorum Regibus originem trahens, ex Clotarij 2. aula, in qua Deo amabilis, Regique ac Palatinis venerandus, Referendarij munus summa cum laude obierat, ad Rotomagensis Ecclesiæ Cathedram, non ambitiosa cupiditate, sed bonorum omnium expetitus votis, atque etiam Angelico præordinante oraculo vocatus accessit. Gentilitatis expulit reliquias, fanis aliquot in urbe & in alijs Diœcesis partibus quæ supererant funditus eversis, cives varijs quibus vexabantur calamitatibus ab eo divinitus erepti sunt. Multis denique effulsit miraculis, quæ qui scire voluerit consulat ipsius elogium * in quo præsertim famosi illius Privilegij originem addiscet, quo

*p. 117.

hodieque Rotomagensis Ecclesia potitur reum à morte vindicandi; Quod quidem Privilegium non ex fabula emanavit ut nupero Scriptori placuit. Quam ejus crambem recoctam haud ita pridem eruditus vir Hadrianus Behotius Ecclesiæ Rotomagensis tunc Archidiaconus penitus abiumpsisse credebatur, dum alterius critici qui limis etiam oculis prædictum despectabat Privilegium, leviora prorsus argumenta validis rationibus & authoritatum momentis expugnavit. At de his in Historia Archiepiscoporum Rotom. egimus, quæ si Deus dederit fusius in Historia Cathedralis Ecclesiæ data opera & ex professo pertractabimus. Tandem expleto 15 annorum ministerio ad æternam vitam migravit 10 Kalend. Novemb. Sepultus ad S. Gildardum, inde postea ad Ecclesiam Cathedralem translatus est.

21. S. AUDOENUS, qui & DADO, Sanciaci apud Suessiones natus, beatorum Autarij & Aigæ filius, Adonis & Radonis frater, Resbacense Monasterium in paterno fundo extruxit, ex Dagoberti 1. Regis Referendario, unà cum S. Eligio Noviomensi Antistite ordinatur Rotomagi ad S. Petrum anno Clodovei 2. tertio, pridie Idus Maij, Dominica ante Litanias. Interest Concilio Cabilonensi sub eodem Clodoveo. Ecclesiam Cathedralem numeroso & regulari clero, multisque prædijs ac muneribus auxit & ornavit, * æque ac Regalem Abbatiam S. Petri tunc in suburbijs, quam insuper & corporis & nominis sui hæredem reliquit. Divini verbi semina usque in Hispanias quasi per præludium sparsit novus adhuc tyro, ubi longa siccitate arentis terræ fecundis imbribus sanavit sterilitatem, multa insuper edidit miracula. S. Wandregisilum in Subdiaconum & Diaconum, sanctum Hermelandum in Presbyterum ordinavit. Eo sedente plurima in Diœcesi Monasteria constructa sunt, Fontinellense & Fiscannense à sancto Wandregisilo, Gemmeticense, Pauliacense, Warinenense à S. Sidonio, & Villare à S. Philiberto, cui nequissimi Ebroïni artibus AUDOENUS infensus, cognita rei veritate ad pristinam mox cum eo amicitiam redijt. Ad limina Apostolorum peregrinatus: dum quietem meditatur filicernius pacis sequester ad Pipinum Coloniam mittitur. Re ad votum composita, ac

ac Theodorico nuntiata, Rotomagum reversus iteratò ad Conventum * Clippiaci Episcoporum & Procerum evocatur, in itinere ad Auduram fulgentis in aëre crucis visione stupefactus, lignea ibi cruce cum sacris pignoribus collocata ægris omnibus subsidium posuit, ubi postea Monasterium quod nunc Crucis S. Leutfredi nominatur ædificatum est. Clippiaci febre correptus desijt vivere post sedem annorum 43, mensium 3, dierum 10. Sacrum corpus Theodoricus ac celeberrimus ille cœtus cum magna solemnitate Pontisaram usque comitatur, & inde Rotomagum delatum, ad Basilicam Divi Petri sepultum innumeris claruit miraculis. * Nullum ex tot egregijs Antistitibus (pace singulorum dixerim) Ecclesia Rotomagensis hactenus illustriorem habuit Audoeno.

*Clichi

*Prevoti9 in schadis. MSs.

Superest ejusdem Epistola ad Desiderium Cadurcensem *tom. 1. Hist. Franc. Querce*.

Item Desiderij Cadurcensis ad S. Audoenum. *Ibidem.*

Scripsit etiam vitam S. Eligij Noviomensis Episcopi, quam Rodoberto Parisiensi Episcopo revisendam cum Epistola misit, cui idem Rodobertus nihil reprehensione dignum se reperisse respondit, at eũ pinxisse sibi videri illic sanctitatis suæ, immo beatissimi Antistitis integerrimam formam &c. Hanc edidit D. Lucas Dacherius. *

*Spicileg tom.5

De ea Sigebertus. *Vitam S. Eligij scripsit duobus libris, explicans miracula quæ in vita vel post mortem ejus gesta sunt per eum: 3. lib. rhetoricè & commaticè totam vitam ejus recapitulans. Ex tribus Audoeni libris tertium omisit Surius, quod nonnisi priorum epitome foret, immo & operis prologum præterijt, ut notat Vossius, multaque libro 1. & 2. fusiùs dicta paucioribus constrinxit. Cæterùm apud Helvetios in Bibliotheca S. Galli extat etiam Audoeni Rotomagensis Episcopi liber de vita S. Remigij. Planeque censeo hunc ipsum esse Audoenum illum ad quem scripta est vita S. Aquilini Episcopi Ebroicensis* * Dicam hic obiter quod à plerisque prætermissum non dubito, nimirum circa initium capitis 2. lib 2. ejus vitæ, Dacherianæ etiam recensionis movisse quibusdam scrupulum, quòd D. Audoenus de S. Eligio & de se loquens, dicat: *Hi Sancti viri Eligius & Audoenus*, &c. prorsus enim incredibile tantum virum tam graviter peccasse cõtra leges modestiæ christianæ se sanctum nominando. Unde liquido apparet interpolatum eo loci fuisse, seu à Surio, seu ab amanuensibus, qui honoris causa post obitum D. Audoeni librum exscribentes sanctum utrumque nominarint.

*Joan. Ger. Voss. de hist. Lat. p. 67.


22. * S. ANSBERTUS, Siuvini filius apud Velocasses in paterna villa, quam hodieque Calceium * vocant, nobili genere natus, Angadrismæ Roberti qui tunc Clotarij 3 annulo præerat sibi promissæ, contra utriusque votum sponsalibus mirabiliter liberatur. Relicta Clotarij aula & annuli regalis munere, Fontinellæ Monasticen professus est. Angadrisma sanctimonialium Cœnobio apud Bellovacos, quod Oratorium dicitur, præfecta, ibi sancto fine quievit. Ad regimen Monasterij sui sancto Lamberto suffectus est Ansbertus, à quo brevi Lugdudensi Archiepiscopo, Clippiaci post obitum D. Audoeni invitus licet ac renitens omnium suffragijs consecratus est. Qui inter palatinos, ac deinde inter Monachos virtutum omnium genere claruerat, Pastorali cura ac sollicitudine eo spectabilẽ se præbuit, quo in eminentiori dignitatis gradu provectus longe perfectiorem vivendi rationem à se exigi judicavit. Præsessoris sui vestigijs insistens, nulla religionis aut caritatis exempla prætermisit, ac omnibus non tam præesse quàm prodesse studuit. D. Audoëni sacrum corpus triennio post ejus obitum exacto, in editiorem & decentiorem locum solemni ritu ac pompa levavit. Tandem cum Pipini Crassi Francorum Principis invidiam subijsset, in Hannoniam ad Altimontense Monasterium migrare compulsus, nova ibi pietatis cæterarumque virtutum luce refulsit, tamdiu exulavit donec compertâ ejus innocentiâ, impetrataque à Pippino revertendi facultate dum meditaretur reditum, ad cœlestem patriam evocatus est 5. Idus Februarij. Sacrum ejus corpus varijs post obitum miraculis inclaruit, Fontinellam relatum in Ecclesia sancti Pauli sepelitur, unde post annos 11 unà cum sanctis Wandregisilo & Wlfranno solemniter transfertur à S. Baino in Basilicam S. Petri. Postea Boloniam, indè Gandavum asportatum Arnulfus senior Flandriæ Comes in Blandiniensi Monasterio collocavit anno 944.

*Chaussi

Hujus sancti Pontificis Episcopatum celebrem facit Synodus Rotomagensis ab eo habita; cui dedimus locum inter vetera hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Concilia, cum antiquius nullum ante hæc tempora Concilij vestigium apud scriptores Ecclesiasticæ Historiæ, aut Conciliorum collectores re-

periatur. Ejus acta sive scriptorum incuriâ, sive temporum injuriâ exciderunt, quæ supersunt ex gestis S. Ansberti, quæ Aigradus Fontanellensis Monachus apud Surium * ex codicibus manuscriptis prosequitur, ab oblivione vindicata, ad nos usque pervenerunt. Hæc ut ibidem extant exhibemus.

tom. 1. 9 *Febr.*



CONCILIUM PROVINCIALE ROTOMAGENSE,

SUB SANCTO ANSBERTO CELEBRATUM

ANNO CHRISTI 693. SERGIJ PAPÆ VI. INDICTIONE 6. THEODORICI FRANCORUM REGIS XIII. SANCTI ANSBERTI ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI anno 5.

* *Aigradus cap. 6. Act. S. Ansb.*



NTEREA (*inquit*) dum multimodam in omnes gratiam memoro, etiam quòd super Fontanellensis Cœnobij sancta Congregatione quietam sollicitudinem, & pervigilem curam indesinenter habuerit, testatur inter reliqua prærogativæ ejus gesta, etiam Privilegij sui autoritas, quam prædicti Cœnobij habitatoribus ob Dei amorem & sanctorum reverentiam summâ devotione edidit. Denique cum sanctissimorum Sacerdotum & omnium civium Rotomagensium electione, & gloriosi Regis Theodorici consensu in Pontificem consecratus fuisset, nimio dilectionis fervore quem erga venerabile Cœnobium semper habuerat Privilegij sui autoritatem eidem edidit, ut per succedentia tempora secundum sancti * Patris Regulam, & ut præcedentium Regum Clodovei videlicet & Clotarij, simulque Childerici & Theodorici Privilegiorum autoritates darent, ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent: in quo etiam justæ allegationis verbo præsentes futurosque, qui ibidem Domino militaturi erant, constringit; ut sicut sub ejus regimine, ita & deinceps & ipsi & posteri eorum secundum Regulam sancti Patris Benedicti fideliter Christo deservirent. Quòd si aliquando peccatis exigentibus, aut negligentia Pastorali à via rectitudinis & observatione Regulæ sancti Benedicti in futuro deviare conarentur, aut cogerentur; tunc convocatio sanctorum Sacerdotum reliquorumque militum Christi unanimiter fieret, eorumque per consilium in pristinum reducerentur statum. Si verò hac Pontificali autoritate postpositâ, qualibet cavillatione sinistram elegissent viam ac conversationem, sub vinculo anathematis æternaliter se damnandos scirent.

* *Reg. S. Bened. c. 64.*

Facta est autem hæc Privilegij autoritas Incarnationis Dominicæ † DCXXCII. Indictione 10, qui est præfati gloriosi Regis Theodorici annus 13, & præfati venerandi Præsulis annus 5, in Synodo generali, Rotomago urbe habita, ubi plurima Deo accepta & sanctæ Ecclesiæ utilitatibus profutura disputata sunt. * Vide Notas & Observat.

Adfuerunt quoque sanctissimi Pontifices, alijque venerabiles viri ab ipso præcipuo Præsule evocati, quorum subter tenentur nomina adscripta.

ANSBERTUS, Episcopus urbis Rotomagensis huic Concilio præfui & subscripsi.

Radbertus Episcopus.
Regulus Episcopus.
Airardus Episcopus Carnotenæ urbis.
Ansoaldus Episcopus Pictaviensis urbis.
Aquilinus Episcopus Ebroïcinæ urbis.
Cadoënus Episcopus.
Arnonius * Episcopus. Ed. Sir. *Armonius.
Salvius Episcopus.
Desiderius Episcopus.
Fulcrannus Episcopus.
Joannes Episcopus.
Willebertus Episcopus.
Gerebaldus Bajocassinæ urbis Episcopus.
Taurinus Episcopus.
Annubertus * Episcopus Sagiensis urbis. *Aunobertus.
Celsus Abba.
Audomarus Abba.
Scaldio * Abba. * Secladio. Querc.
Boschindus * Abba. * Boschintus
Genardus, Vicedominus gloriosus antefati magni Pontificis.
Ermentrannus, Ferrocinctus & * Fortunatus Archidiaconi venerandi. * Fortianus.

Aderat quoque Presbyterorum residentium & Diaconorum circumstantium magnus numerus. Ragnomirus Lector hujus Concilij gesta, & hanc * Privilegij autoritatem ipso sancto Pontifice jubente recognovit & subscripsit. * hujus

23. * GRIPPO : Offusa rebus Ecclesiæ nostræ caligo seu scriptorum inopia, seu temporum calamitate, cæcutire nos usque adeo cogit in Præsulis hujus ac sequentium aliquot elogijs, ut præter solum eorum nomen vix aliquid aliud occurrat dicendum; quin & agnata sibi nomina non minimam in plerisque fecere difficultatem. Adde quod nulla integro ferè sæculi dimidio Concilia celebrata fuerint quibus lucis nonnihil affulgeret, certe veteres quidam manuscripti Reginaldum GRIPPONI præposuere, quem alij cum Radilando, seu Ranilando, aut Rolando eundem prorsus esse voluerunt Scriptores neoterici, quique sub diversis istis nominibus GRIPPONI postponitur. Hujus nominis filium habuit Martellus, cui Rotomagensis Ecclesiæ proventus dedisse etiamnum juveni nimium suadet hominis immoderata habendi cupiditas, his GRIPPONEM potitum cum Archiepiscopi nomine 24 annis; fusiùs in edita Rotomagensium Archiepiscoporum Historia explicatur.

24. * ROLANDUS, ſeu RADILANDUS, RANILANDUS, & REGINALDUS de quo mox egimus, ſediſſe fertur non annos 3. ſed 13. Ovonem genere Friſonem Monachum Fontinellenſem in Preſbyterum ordinavit, quem S. Wlfrannus à ſuſpendio mirabiliter liberaverat.

25. S. HUGO I. Drogonis Burgundiæ Ducis ex Adaltrude filius, primùm Metenſis Eccleſiæ Primicerius, Pariſienſem & Bajocenſem Eccleſiam unà cum Rotomagenſi rexit, ſimul Abbas Fontinellenſis & Gemmeticenſis. Obijt Gemmetici circa annum 740 Sediſſe traditur annos 8. * Elenchi hujus brevi as haud patitur prolixam hic diſſertationem nos attexere, quâ graviſſimas difficultates enodemus de duplici S. HUGONE, ut nonnullis placet, de Chronologia ſeu temporum ratione, quæ valde imp exa eſt & alijs ſalebris. Conſulat cui placuerit quæ in Hiſtoria Archiepiſcoporum Rotomagenſ. fusè ſatis tractavimus ex antiquorum autoritate, & ubi nihil melius occurrit aut ratione aut conjecturis, videat Sammarthanos *tom.* 1 & Mabillonium *parte 1 ſæculi 3. pag. 405. & ſeq.*

26. * RATBERTUS, ſeu ROBERTUS I. ejus tantum mentio fit in veteri lectionario in Feſto S. Romani. Is enim cùm ſacris vigilijs intereſſet, lectore miraculum quod S. Romano contigit recitante, in dubium id revocaſſe fertur, ſtatimque dubij ſolutionem à venerabili Preſbytero quondam magiſtro ſciſcitanti novo prodigio vetus confirmatum fuiſſe. Sedit annos 4.

27 * GRIMO, à S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo Apoſtolica autoritate conſtitutus, donatur Pallio à Zacharia Papa. Eccleſiam Cathedralem S Mariæ prædijs ac beneficijs auxit. Sediſſe traditur annos 4.

28. * REGINFRIDUS, ſeu RAIMFREDUS Rotom. Archiepiſcopus, ac Fontanellenſis Abbas, compater ſpiritualis Pipini Regis, variè à varijs depingitur. In codice Rotomagenſi laudatur ut pius & liberalis, à Fontinellenſibus damnatur inſcitiæ & tyrannidis, utpote qui alimenta corporis & tegumenta fratribus ſubtraxit & proprijs uſibus retorſit, ac his Cathedralem ditarit, dedit enim Cramiſiacum Canonicis, & alia quæ in Caroli Calvi Diplomate continentur. Privatur primùm ut diſſipator Fontinellâ, deinde Archiepiſcopatu. Moritur paulò poſt Cloviali ad Sequanam, & Rotomagi ſepelitur. Nominatur primo loco in Epiſtola 6 Zachariæ Papæ ad diverſos Galliæ & Germaniæ Epiſcopos, quam videre poteris tomo 1 Concil. Gall. Sirmondi pag 549. In ea laudat illorum inter ſe & cum Eccleſia Romana conjunctionem, hortaturque ut miniſterijs ſuis conſtanter inſiſtant cum Archiepiſcopo Bonifacio ſedis Apoſtolicæ vicario.

29. * S. REMIGIUS, ſeu REMEDIUS, Caroli Martelli filius Pippini Francorum Regis frater, in locum Reginfredi ſuffectus eſt circa finem anni 753. quod inde conficitur cum 17 anni regiminis ei tribuantur ab omnibus, ac deſiiſſe dicatur vivere anno 771. 14 Kalend. Febr. debuit initium ſumere 753, non 755. De eo memorandum illud refertur, quod cùm Zachariæ Papæ & Pippini voluntati obtemperans S. Benedicti corpus, quod à 90 annis in Floriacenſi Cœnobio ex Italia allatum quieſcebat Caſſinatibus Monachis, inſtante Carlomanno, reſtituere conaretur unà cum ſocijs cœcus repentè factus ſit, ac divinitus à propoſito deſiſtere coactus (quam decretoriam rei circonſtantiam ex Adrevaldo, Sammarthani diſſimulant) ac ſic mutato conſilio viſum mirabiliter recuperavit. Romanum cantum Galliarum Eccleſijs in melius reſtituit miſſis in urbē Monachis, qui pſallendi artem in ſchola Romana diligentiùs ediſcerent. Cathedralem S. Dei Genitricis Eccleſiam facultatibus auxit, attributis quibuſdam prædijs unde Canonicis ad vitam neceſſaria præberentur. Plura alia curæ Paſtoralis cæterarumque virtutum reliquit monimenta, quibus ſanctorum numero aſcribi meruit. Sepultus in Eccleſia Cathedrali, inde ad Cœnobium S. Medardi tranſlatus, ut teſtatur Nitardus. Relata pars Reliquiarum ejus ad Baſilicam S. Audoëni anno 1090.

* OCcurrit anno 755 Vernum Concilium die 11 Julij anno 4 Pippini Regis habitum ut habet præfatio quæ extat cum Canonibus 25. quod ut quibuſdam placet ad Metropolitanam Rotomagenſem Eccleſiam pertinet, qui Vernum Palatium idem omnino eſſe contendunt cum urbe illa ſuper Sequanam quæ Vernonium hodie dicitur, diſtatque 12 circiter leucis Rotoma-

go estque Ebroïcensis Diœcesis. Certe mentionem reperio Verni hujusce Palatij 2. Quercetani p. 290. in vita & actibus Ludovici pij anno 802. in hæc verba. *Hyeme porro transacta Carolus Imperator tempus opportunum nactus, utpote ab externis quiescens bellis, cœpit circumire loca sui regni mari contigua. Quod dum Ludovicus Rex comperisset, Rotomagum misso Legato Hademaro petijt eum in Aquitaniam divertere &c. Pater negavit, & ut sibi Turonum occurreret mandavit, quo filius veniens, gratulabundè nimis ab eo susceptus, & in Franciam redeuntem Vernum usque prosecutus est, à quo digrediens in Aquitaniam regressus est.* An autem Vernum istud Vernoniam urbem designet, locus dubitandi inde fit, quòd Carolo Turonibus in Franciam redeunti, haud satis constet Vernonium itineri pervium esse. Adde quòd nulla in præsenti Concilio mentio fiat neque Remigij Metropolitani, neque Ebroïcensis, aut alterius è suffraganeis, quin & in altero Concilio, ut inferiùs dicam expressa mentio fiat aliorum Episcoporum. Verum clarè adeo ac dilucidè quæstionem hanc dissolvit eruditus vir Hadrianus Valesius in sua notitia Galliæ, ut nullus ambigendi locus relinquatur Verno Palatio non designari urbem Vernoniam, at Regale Palatium, quod venationi aptissimum Compendium inter ac Lutetiam positum fuit.

30 * MAINARDUS, cui præposuimus in Hist. Arch. Rot. Hugonem, quem Caroli Magni filium dixere prisci quidam scriptores Ecclesiastici, de quo fusè satis ibi disseruimus, & quæ nobis suppetebant tum rationis tum autoritatis momenta protulimus quæ, cui libet, consulat. Communiorem hìc Archiepiscoporum seriem tam recentiorum quàm etiam priscorum sequuti, MAINARDUM, seu MEGINARDUM damus, quem in aula Caroli magni Palatinis dignitatibus clarum plura suadent, ac præcipuè inter Missos Dominicos anno 770, nimirum paulò postquam ad sedem Metropolitanam evectus fuit. Anno præcedenti Imperator Pascha Rotomagi egerat cum ea celebritate qua solebant Reges. Interfuit MAINARDUS Concilio Francfordiensi anno 795 & dedicationi Ecclesiæ S. Richarij anno 800.

31 GILBERTUS, aut WILBERTUS Ludovici Pij Regis à secretis, ab eo jam Imperatore Missus Dominicus cum Ingoberto Comite, in Provinciam Rotomagensem destinatur anno (ut vult Sirmondus) 823. Perperam ei anni 48 assignantur, cùm ut plurimùm sedem tenuerit 28 annis.

32 * RAGNOARDUS nominatur in Capitularibus Placiti Aquisgranensis, in quo deputatus est cum tribus alijs ad Concilium Parisiense anno sequenti celebrandum, cui etiam præsens fuit & Wormatiensi, necnon & apud Theodonis-villam anno 835. Obijsse credimus anno insequenti.

33. * GUNTBALDUS, quem plura suadent fuisse Monachum apud sanctum Medardum, ubi Ludovicus Pius à Lothario filio retrusus fuerat, quo pius Imperator usus fuit ad res suas recuperandas, à quo donatum fuisse Archiepiscopatu multum credibile est. Interfuit Concilio Parisiensi anno 846, item anno sequenti pro reparando judicio Ebbonis Remensis Archiepiscopi. Inter Epistolas Hincmari 4. GUNTBALDO inscripta est, cujus mentionem fecit Flodoardus: in ea agitur de quodam Presbytero propugnante jura Ecclesiæ. Ejus tempore Normanni Oschero duce irruptione in ostia Sequanæ factâ Rotomagum incendunt anno Christi 841. pridie Idus Maij. Obijt 848 Nonis Januarij.

* RECurrit ad annum 844 eadem difficultas quam superiùs tractavimus de Concilio quod habitum fuit in Verno Palatio, quamvis ex ipso titulo qui tom. 2. Quercetani pag. 406. habetur, in patulo res fiat. *Canones* (inquit) *12 Concilij in Palatio Verno habiti, ubi præsedit Ebroïnus Pictavorum Episcopus, & Wenilo S.nonum Episcopus, necnon & Ludovicus S. Dionysij Abbas, & Hincmarus post Remorum Episcopus, anno 5. Regni Domini nostri Caroli* &c. At nulla ibi mentio GUNTBALDI Metropolitani, neque Josephi, qui tunc Ebroïcensi Ecclesiæ præerat. Est autem prorsus incredibile Concilium habitum in eorum * Parochia, quin ambo præsentes fuerint, aut alteruter subscripserit: attamen nullius ibi Provincialium mentio, unde facilè convincor ad Ecclesiam nostram non attinere, ut suprà demonstravimus in Remigij Elogio.

* Diœcesi.

34. PAULUS, sub Almarico Turonensi

Archiepiſcopo unà cum Joſeph Ludovici Regis Præceptore ac Cancellario ſtudijs eruditus, ordinatur A. C. 849. 8. Idus Januarij. Intereſt Concilio Turonenſi 8. A. C. 849. & 2. Vermerienſi 853. Ei anni 6. aſſignantur. Obijſſe fertur A. C. 855.

35. * WENILO; ſeu WANILO, ordinatur juxta vetus Chronicon A. C. 855. Intereſt Concilio Tullenſi apud Saponarias A. C. 859. Aquiſgranenſi, & Tullenſi 2. apud Tuſiacum, 860. Sueſſionenſi 866. & Trecenſi, 867. denique examinationi Willeberti in Epiſcopum Catalaunenſem electi apud Cariſiacum A. C. 868. Unde colligitur veterum Elenchorum error (qui & in pleriſque reperitur) annos ei duntaxat 11. tribuentium. Confirmationem rerum Eccleſiæ ſuæ à Carolo Calvo Rege impetrat datam Germerigia Palatio 4. Nonas Novemb. anno ejus Regni 24.

Extat ad eum Epiſtola Liutadi Vincienſis Epiſcopi quam hìc damus.

Liutadi Epiſcopi Vincienſis ad Wenilonem Rotomagenſem Archiepiſcopum, de Wlfado Diacono, quem olim ſibi traditum ab Ebbone Remenſi, nunc ipſi concedit.

Ex vet. cod. Vaticano.

Π. Υ. Α. *Reverentiſſimo & ſanctiſſimo patri Weniloni Rotomagenſi Archiepiſcopo Liutadus Vincienſis Epiſcopus æternam in Domino ſalutem.*

Ed. Sir. * conloquium.

Optarem valde, ſi nobis ſpatia terrarum ſinerent, fraternum & amiciſſimum vobiſcum habere * colloquium, atque de noſtris communibus opportunitatibus tractare. Sed quia id prolixitas itineris denegare videtur, veſtram ſanctitatem humiliter exoro ut mei memoriam coram ſancto altari habere dignemini, veſtræque me commendare Eccleſiæ, quoniam veſtam caritatem jam in gremio Eccleſiæ noſtræ recepimus, & pro vobis quotidianis precibus Deum exoramus. Cæterùm comperiat ſanctitas veſtra, quemdam fratrem noſtrum, & filium Eccleſiæ noſtræ, nomine Wlfadum, Subdiaconum me petente traditum mihi per literas, quas Eccleſiaſtica conſuetudo formatas appellat, à venerabili Ebbone quondam Remenſi Archiepiſcopo. Et quia impendentibus quibuſdam cauſis, poſtquam mihi traditus erat, in propria remanſit Eccleſia, me ſuggerente ordinavit eum idem Ebbo in gradu Diaconatus. Nunc autem, quia ſcitis eum propter cauſas neceſſarias in partibus veſtris morari; ſicut mihi commendatus erat, vobis eum committo, veſtræque cuſtodiæ & providentiæ delego, & ut ad majores gradus eum provehatis ſuppliciter exoro. Credimus enim quoniam & ſapientia & mores ad hoc eum dignum indicant. Commendamus igitur veſtræ beatitudini, Eccleſiæque veſtræ, præfatum fratrem noſtrum Wlfadum, & de profectu ejus petimus vos lætari in æternum. Ac ſicut mos Eccleſiaſticus eſt, & inventum ac conſtitutum à CCCXVIII. in Nicæna Synodo Epiſcopis, formatam Epiſtolam facientes, ut in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis noſtrum opus largitionis & dimiſſionis hujus noſtri dilecti fratris roboratum, fructuoſius & utilius fieret. In ſupputatione calculationis aſſumpſimus prima elementa Græca Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Π. Υ. Α. quæ octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant: noſtram quoque qui ſcribimus primam literam Λ. veſtramque cujus beatitudini ſcribimus ſecundam Υ. accipientis fratris tertiam

A. civitatis nostræ, de qua scribitur, quartam Σ. Indictione I. canonicum ordinem tene tes, huic nostræ Epistolæ affigimus: atque Græcarum literarum numeros in summam collectos Epistolam tenere facimus, id est LXXX. CCCC. I. XXX. CCCC. XXX. CC. I. ut per omnia rata & legitima nostræ dimissoriæ autoritas procederet. Separatim autem, ut Epistolam clauderemus, nonagenarium & nonum numerum Græcis elementis etiam signavimus, & omnino firmavimus. ϟθ.

Indictio I. *& Wenilonis Episcopatus congruunt anno Christi* DCCCLXVIII. *Proprius formatæ numerus*, DCLXI. *quem efficiunt litteræ* Α. Υ. Α. Σ. *& indictio* I. *Numerus communis non* DCLX. *ut in alijs*, *sed* DXXC. *omissa litera* Π. *quæ prima erat nominis Petri. Summa ergo utriusque numeri* MCCXLI.

---

* PIstense Concilium, cui in sua Diœcesi interfuisse fertur WENILO anno 862. Dixeram cum Colvenerio & pluribus alijs in Historia Archiep. Rotomag. apud urbem Pisciacensem habitum. At lectis observationibus R. P. Cellotij in Concil. Duziacense, nullus dubitandi modus restat quin locus ille, in quo Synodus hæc Regalis habita fuit, non quidem Pisciacensis urbs, sed Pistensis, seu Pistrensis Pagus sit, illic positus ubi Andella in Sequanam influit; in quo Carolus Calvus varias tunc munitiones extruebat, quibus ascendentes Normannorum naves impediret, ac eorum super Sequanæ alveum excursiones in Franciam. Favet quòd etiamnum varia supersint ibi rudera, certa hujus antiquitatis monimenta, quamvis scrupulum movere possit quod R. P. Sirmondus in eam rem scribit nimirum duplici nota Pistas designari: 1 quod fuerint ad Sequanam, 2 quòd pontem & munitiones habuerint; Atqui designatos caracteres meliùs convenire urbi illi, quæ hodie Pons-arcarum dicitur quàm Pistrensi pago, rem propiùs intuenti patebit. Illic enim notas omnes illas reperiri clarum est, quibus Annales Bertiniani, Aimoinus, Flodoardus, & autor vitæ S. Condedi apud Mabillonium nostrum sæculi sui Benedictini secundi pag. 863, & alij veteres Pistas designant, nimirum pontem, castellum & munitiones, ad eum locum ubi Andella ex una parte & Audura ex alia in Sequanam influunt, cùm ne ullum quidem pontis vestigium Pistris appareat. Certe tam exigua Arcas inter & vallem Pistrensem distantia rixari non sinit diutius, quin quod uni convenit de alio dici non potuerit, maximè quantum ad præsentem difficultatem; nihil enim obstat quin Synodus hæc regia ubivis acta Rotomagensibus meritò accenseri possit, quam ex integro hìc ideò proferimus.

+ vieilles murailles abbatues.



CONCILIUM
IN LOCO QUI DICITUR PISTIS, AD SEQUANAM FLUVIUM CELEBRATUM
Anno Christi DCCCLXIII. tempore Nicolai Papæ I.

Videtur autem potius quidam esse regni procerum conventus, quàm Episcoporum Synodus: sed quia habet quædam digna lectu, huc ascripsimus: ita Surius. *Auctor annalium* * *hujus conventus nusquam meminit, fortasse quia politicus magis quàm Ecclesiasticus conventus est.*

Pithœanorum seu Fuldésium.

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei Rex, & Episcopi, Abbates quoque & Comites, ac ceteri in Christo renati fideles, qui ex diversis * principijs super fluvium Sequanam in locum, qui Pistis dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquandiu sedes fuit Northmannorum convenimus anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXIII. * anno vero XXII. * regni Domini nostri Caroli Regis gloriosi, indictione decima.

*f. provincijs. DCCCLXIJ *in edit. Sirm.* an. regni dicitur. XXIII. qui ab exeunte Junio aut ineunte Julio ducebatur.

CAPITULA.

I.



REGES & Episcopi, qui ante nos fuerunt, ducti amore & timore divino, cum ceterorum fidelium Dei consilio atque consensu plura statuerunt capitula, providentes qualiter sancta Ecclesia statum debitum & honorem, & regni habitatores in omni statu & ordine haberent legem atque justitiam. Nos etiam pro qualitate rerum & opportunitate temporum quædam huic causæ convenientia capitula superaddidimus. Sed diabolo satagente, supervenientibus perturbationibus tam à Paganis, quam & à nomine tenus Christianis miserabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, & in tantum in hoc regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus & sentiamus completum, quod olim est per
Isa. 1. Prophetam prædictum: *Terram vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit in vastitate hostili, & pervenit gladius usque ad animam, quoniam*
Psal. 53 *alieni insurrexerunt in nos, & fortes quæsierunt animas* * *vestras, & non*
*nostras *proposuerunt Deum ante conspectum suum*, contra quos defensionem paravimus. Sed defensionis auxilio, sicut necesse fuerat, hactenus adjuti non sumus. Unde, compellente cordis dolore, nobis est exclamandum, quod

Rex

Rex bonus obsidionis angustia tribulatus exclamavit, dicens : *Dies tribulationis & blasphemiæ dies iste : venerunt filij usque ad partum, & vires non habet parturiens.* Hæc omnia vidimus, sensimus & dolemus : quia cum hostes irruerunt, defensores nostri præparati sunt, sed ad præparata non convaluerunt, quia illum sanctum Spiritum, qui requievit super adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione, Christum Dominum nostrum, & quem per impositionem manus Episcopalis in consignatione accepimus, contristatum malignis operibus à nobis effugavimus, spiritum scilicet consilij & fortitudinis, quem quia ita, ut nobis necesse fuerat, non habemus, ideo contra inimicos nostros stare viriliter, & vincere fortiter non valemus. Quæ utraque sibi necessariò sunt conjuncta, quia neque virtus sine consilio, nec consilium sine virtute utile esse potest. Quid igitur prosunt, qui per consilium præparantur, dum ad prælium fortitudine non procedunt? Filij quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium efficiendi operis procedunt. Sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia concipit, hæc ad utilitatem aliquantam, per partum operis non producit : videmusque impletum, quod ad nos est ante prædictum populo contra voluntatem suam facienti : *Anathema in medio tui, non poteris stare coram inimicis tuis*; qui contrà placatus, placentibus sibi dixit : *Nullus stabit contra vos.* Sed & ideo terram nostram in conspectu nostro alieni devorant, quoniam alienos à Deo diabolos, effugatâ gratiâ sancti Spiritus, in animas nostras recepimus. Ideo terra nostra deserta est, sicut in vastatione hostili, quia flores & fructus fidei, spei, & caritatis, & humilitatis, & castitatis, & sobrietatis, ac ceterarum virtutum, ab ara cordis nostri devastavimus, & pro illis spinas vitiorum, & urticas peccatorum, & cicutas vanitatis in nobis ipsis, etiam laborantes, ut inique agamus, non decrescere, sed & incrementare cum studio fecimus. Ideo habitatores terræ occisi & fugati sunt, quia nos ipsos peccati gladio occidimus, & omnia bona, quæ nobis Dominus, sive in intellectu naturali, sive in doctrina, sive in divitijs, sive in honoribus, sive in familiaritatibus, quas nobis contulit apud * nobis potentiores, ad carnis voluntatem convertimus, & nos & omnia quæ nobis Dominus dedit, ab illius voluntate, pro qua nobis facienda illa donavit, avertimus. Quod unusquisque potest in seipso recognoscere, si etiam de singulis membris suis cogitat, quid fecit & quid facit, per id quod Deus ad operandam suam salutem donavit. Et sicut de membris corporis inveniet apud seipsum, ita de membris animæ poterit invenire, quæ per spiritualia vitia dispergit atque disperdit, & spiritales in se virtutes à Deo sibi collatas, aut effugat, aut conculcat. Ideo Ecclesiæ & villæ incensæ sunt, quia ignis avaritiæ & rapacitatis atquæ invidiæ & adulteriorum, ac ceterarum immunditiarum, non solùm per naturalem sexum, sed etiam per eum sexum, qui est contra naturam sine pœnitentia, & sine resipiscentia in nobis exarsit & ardet. Et quoniam illum spiritum, qui super humilem & quietum, & sermones suos trementem requiescit, per superbiam & inobedientiam ac præsumptionem à nobis expulimus : ideo sanctorum ac protectorum nostrorum corpora de sepulcris

4. Reg. 19. — Isa. 11. — Psal. 9. — Jos. 7. — Deut. 11 — Isa. 1. — Jer. 9. — * videtur expungendum. — Rom. 1. — Isa 66.

ſuæ requietionis effoſſa ſunt. Et quia nos ſpiritui maligno, juſta Dei permiſſione poteſtatem habenti, & ſuper nos aſcendenti non reſiſtimus, ut fugiat à nobis: idcirco ſervi & ancillæ Dei de locis ſuis expulſi ſunt, & nos de quiete cæleſtis paradiſi, de conſortio cæleſtis Eccleſiæ, id eſt, Angelorum ſanctorum ejecti ſumus, niſi per dignos pœnitentiæ fructus ad hæc unde cecidimus redeamus; & quia nos tales efficimur, de quibus Domi-
Iſa. 1. nus per Prophetam dixit: *Cauſa viduæ non ingreditur ad eos*, quaſi apud nos facta eſt venalis juſtitia, ut ad eam nemo poſſit pervenire, niſi viam ei aperuerint munera. Ideo vota fidelium & precia peccatorum, quæ ſacris locis collocata fuerunt, propter peccata noſtra de hoc regno ſunt penitus exportata, & vendentes juſtitiam & veritatem, & in his ſcilicet ipſum Chri-
Cor. 10 ſtum, qui eſt nobis à Deo factus juſtitia, & qui dixit: *Ego ſum via, veritas*
Joa. 14. *& vita*, niſi dignè pœnituerint, cum Juda traditore Chriſti æterna expectant incendia, & quia ſanguis ſanguinem tetigit, id eſt, culpæ culpis ad-
Oſée 4 junctæ ſunt, & ſicut ſcriptum eſt: *Adulterium, & homicidium, & menda-*
Pſal. 37 *cium, & furtum, & perjurium inundaverunt, & iniquitates noſtræ ſuper-*
* ordine. *greſſæ ſunt capita noſtra:* ideo nobiles noſtri & de Epiſcopali * ordinatione & de alijs ordinibus interierunt, & capti, cum maximo detrimento & Regni & Eccleſiæ ſunt aut redempti, aut interempti. Et quia nos per peccata noſtra à terra viventium peregrinati ſumus, idcirco, ſicut ſcriptum eſt:
Jer. 14. *Propheta & Sacerdos iverunt ad terram quam ignorabant.* Et poſt hæc omnia pius pater cujus multis miſerationibus non ſumus conſumpti, quoniam non defecerunt miſerationes ejus, materna pietate nos flagellat, & expectat ut ipſa vexatio donet intellectum auditui noſtro, qui illa credere
Iſa 28 noluimus, quæ per ſcripturas nobis ſe illaturum promiſit, ſi illius voluntatem non faceremus: Et oſtendit nobis in exterioribus vaſtationibus, quæ de interioribus depopulationibus intelligere debeamus, & ijs intellectis ad illum redeamus, qui iterum nobis in ſcriptura multipliciter promiſit, inter
Zach. 1 quæ veraciter ſic veritas dixit: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos,*
Ezech 33. *& quare moriemini in peccatis veſtris?* Et quia non credidimus promittenti; credamus tandem aliquando vel juranti. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo*
Ibidem *mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: Niſi converſi fuerimus*, ſi-
Pſal 7. cut jam videmus, *gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum*, id eſt, vindictam *tetendit & paravit*, ad exercendam duriorem vindictam, ſicut item de re-
Pſal. 10 probis ſcriptum eſt: *Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Et hoc, quod videmus & ſentimus, pars eſt vindictæ, quia majora & plura & graviora venient ſuper nos, niſi fuerimus converſi, ut ſcriptum
Sap. 5 eſt: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Unde ſicut dicit Apoſto-
Rom. 6 lus, *ſicut exhibuimus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ad ſerviendum immunditiæ & iniquitati, ita exhibeamus membra noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, quia ſtipendia*, id eſt, retributio, *peccati, mors: gratia*
* ipſa donata eſt. *autem Dei* pro bonis operibus * donata, *eſt vita æterna.* Et ſicut quando ſolemus de iſtis frequentibus itineribus reverti ad manſiones noſtras detonſi, & decalvati cum drappis & calceamentis depannatis, & tunc nos reficimus & reparamus: ita vel nunc reparemus nos per cor contritum & humiliatum

& per confessiones ex puro corde, & per benignitatem mentis, & per concordiam cum Dei voluntate, quia per discordiam & regnum istud temporale imminutum & pene desertum, & æternum regnum perditum habemus. Quia nec omnes reges esse possumus, nec regem super nos à Deo constitutum, qui, sicut scriptum est, *imposuit homines super capita nostra*, Psal. 63 habere sustinemus, non attendentes quia (sicut dicit Apostolus) *non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Rom. 13 Quoniam Deus qui essentialiter est Rex Regum & Dominus dominantium, * partitione nominis & numinis Dei, id est, potestatis suæ voluit & esse, & vocari Regem & Dominum pro honore & vice sua in terris. *participatione. Et sicut Archangelus, qui nunc est Diabolus, cum suis sequacibus, quia per humilitatis subjectionem conditori suo subditus esse noluit, & per coæqualitatem caritatis coangelis suis socius esse despexit, de cælo cecidit : ita & illi, qui potestati à Deo constitutæ propter Deum & in Deo subjecti esse nolunt, & patres vel coæquales in regno habere non sufferunt; per quam debitam subjectionem, & parilem æqualitatem, Dei amici & Angelorum consortes esse poterant, subjecti diabolo, & Dei inimici constituuntur. Quapropter de diabolo scriptum est : *Ipse est rex super universos filios superbiæ*, & illius Job. 41 subjectis Dominus apud quem non est vicissitudinis obumbratio, quamdiu in ipso malo perseverant, semper in Evangelio dicit : *Vos ex patre diabolo estis*, Joan. 8 non quia à diabolo sunt facti aut generati, sed quia diabolum imitati. Reparemus ergo nos per pœnitentiam & confessionem, & per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam; & quantum quisque recognoscit à Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lacrymas, & tunc proficient in aqua ista * quas facimus firmitates, si per *Sequana. bona opera restruxerimus quas in nobis destruxerunt peccata virtutum munitiones, quæ & tunc proficient, si mala, quæ fecit quis priùs, prout poterit emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam deprecando, atque mala cetera per dignam pœnitentiam abolendo; & tunc proficient, si inante custodierit, ne de illis se sordidet, de quibus se emendavit, quia scriptum est : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus. Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Isa. 1. Quia qui se bonis operibus & lacrymis & orationibus à peccato mundat, & iterum gravia peccata perpetrat, talis est, ut sanctus Petrus dicit, *sicut sus, quæ se jactat in luto, & sicut canis, qui remanducat vomitum suum.* 2. Pet. 2 Et timere debet, ne ipsas lacrymas in conspectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit à peccatis. Quæ non dicimus, ut si iterum alius ceciderit post confessionem in peccatis, ut in peccatis quasi desperatus jaceat, sed ut à peccatis, quantum potest, se caveat : & si fragilitate ceciderit, quia scriptum est. *Numquid qui cadit non adjiciet ut resurgat?* Psal. 40 dicat: *Nunc cœpi*, Psal. 76 & per immutationem dexteræ excelsi semper per pœnitentiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, & sine fine perditus fiat.

II.

Unde quia solent medici, quando genera infirmitatum, vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere, unde omnes possint sanari:

ita nunc communiter hanc medicinam, cooperante & medicante Domino, statuimus ad recuperandam & conservandam sanitatem nostram, ne & in isto sæculo graviùs affligamur, & in futuro sæculo, quando de isto corpore exierimus, æternis tormentis cruciemur: id est, ut unusquisque Episcopus in sua parochia, & missi in illorum missaticis, & comites in illorum comitatibus, cum maximo studio & summa diligentia curam habeant, ut quicumque raptores & prædatores ubi sunt cujuscumque homines sint, ad rationem reducantur, & secundum legem, quæ ibi malefacta habent, emendent, aut solvant secundum legale placitum, aut per indulgentiam sibi impetrent perdonari. Et Episcopi secundum qualitatem & quantitatem peccatorum absque acceptione personarum, rapacibus & his similibus vitijs nominatis, & convictis, pœnitentiæ leges injungant, inspecta discretione & qualitate, prout cuique ad salutem viderit expedire. Ad quæ specialiter exequenda, quædam de pluribus capitulis prædecessorum Regum & Synodalium hic ponere dignum duximus, commonentes Episcopos & Comites, ut illa capitula, quæ inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, & in Carisiaco Episcopis & missis nostris per universum regnum nostrum ad exequendum donavimus: sed & illa quæ consensu fidelium nostrorum fieri jussimus, quando confratri nostro Lothario glorioso Imperatori apud Valentinianas locuti fuimus, & fidelibus nostris denuntiari, & observare præcepimus, ad præsentiam reducant, & illa relegant. Et quia hæc pauca hìc brevitatis causa subscripsimus in talibus rebus, quæ eis advenerint ad emendandum, &* hinc inde si non invenerint, per illa & per alia capitula Regia & Synodalia quæ emendanda sunt, & emendanda prævIderint, emendare procurent. Si vero & juxta diabolicam calliditatem, & secundum humanam fragilitatem nova quæcumque acciderint, quia nova morborum genera nova quærunt medicamentorum experimenta, morem sequentes prædecessorum nostrorum, sancti Spiritus gratiâ illustrati, contra venena diaboli ministrare curabimus medicinalia antidota Christi.

* Hic inde Capitula n. 1.

III.

Communi placito constituimus, ut usque ad missam sancti Remigij, id est, Kalendas Octobris spatium habeant illi, qui in istis temporibus istas deprædationes, & alia malefacta criminaliter & publicè fecerunt, ut inde apud Dominum, & apud eos, quibus malefecerunt, se pacificent. Et quisquis hoc non fecerit, bannum nostrum dupliciter componat, scilicet & quia postquam rapinas & alia malefacta in Carisiaco, & postea apud Confluentes, cum dilecto fratre nostro Ludovico glorioso rege, & nepote nostro Lothario forbannivimus. Et post istum bannum, per consensum omnium factum illa emendare, sicut illis spatium dedimus, noluerunt, & omnia quæ commiserunt legaliter componere compellantur, & per publicam pœnitentiam, secundum sacros Canones, Deo & Ecclesiæ, in quam peccaverunt, satisfaciant: quibus si obedire noluerint, aut per fidejussores ad præsentiam nostram perducantur, aut omnia quæ in regno nostro habent, in bannum mittantur, & Episcopali auctoritate à communi Ecclesiastica & omnium fidelium societate excludantur.

IV.

De honore autem Ecclesiarum ac servorum Dei, & rapinis atque aliis malis seu præsumptionibus, ab ista die, in reliquum compescendis, capitula avi & patris nostri temporibus constituta, hic subjungere, & ut omnimodis observentur, ex banno nostro præcipere, dignum & necessarium duximus. Scriptum est enim in illis capitulis: Si quis intra regnum Lib. vi. rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, ejusque homini aliquid vi 96. abstulerit, in triplo cui aliquid abstulerit, legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, LX. solidos nobis persolvat: postmodum verò ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico, vel in alio carcere trusus, usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait Apostolus, nisi 1. Cor. veram egerint pœnitentiam, *regnum Dei non possidebunt*. Qui verò de rebus 6. Ecclesiarum aliquid abstulerint, graviùs inde judicentur, quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est: & sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit, aut abripuerit. Extorres namque à liminibus matris sanctæ Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ. Et item sanctus Paulus, per quem locutus est Christus, dicit: *Quia neque rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. Et iterum: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec sumere cibum Christi discipulo,* 1. Cor. 5. id est, Christiano licet ante satisfactionem, id est, correctionem, ac Joan. emendationem, & dignam pœnitentiam. Et sanctus Joannes Apostolus, talem salutare, aut in domum recipere vetat, & sacri Canones Spiritu sancto per eos dictati qui in cœlo cum Deo regnant, & in terris miraculis coruscant, constituerunt dicentes: Si quis de potentibus Clericum, Tol. I. aut quemlibet pauperem aut religiosum expoliaverit, & mandaverit ad c. 11. ipsum Episcopus, ut eum audiat, & eos contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes Provinciæ Episcopos quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiat, & reddat aliena. Et de rebus ac facultatibus Ecclesiasticis dicunt: Si quis oblationes Ecclesiæ extra Gangr. Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel ejus 7. cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus agere voluerit consilio, anathema sit. Et item in capitulis avi & patris nostri scriptum est de Lib. II. his, qui in exercitu quoscumque secum ducunt, quod & nos intra pa- 15. triam volumus observari.

Deinceps omnibus denuntiari volumus, ut unusquisque cognoscat, omnes qui in suo obsequio sunt, sive sui sunt, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, ut quidquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere, ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram misso nostro dignas pœnas persolvat, & senior qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno prædas facere non timuerit per illius negligentiam: si autem eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contempteris ad ejus noti-

tiam pervenerit, & eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur: ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat. Vos autem Episcopi, Evangelica & Apostolica atque Episcopali auctoritate seniorem & regni quemlibet potentem, si commonitus juxta Evangelicum præceptum, se suosque homines corrigere noluerit, & licet ipse talia non faciat, tamen si sui vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad pœnitentiam non perduxerit: ipse excommunicetur secundum sacros Canones, donec suos homines ad emendationem & pœnitentiam reducat, quia melius judicavimus illum excommunicari per cujus * fortiam sui talia faciunt, quàm omnes illos, qui nec Deum timent, nec Episcopos, neque missos reipublicæ, propter ejus * fortiam reverentur, & excommunicati ipsi non corriguntur, & alios suo morbo inficiunt: quia dicente Apostolo, *non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Non est liber a consensu, qui quod emendare potest, emendare negligit: quapropter sine dubio peccati se participem facit. Si autem ipse potens vel senior satisfecerit Episcopo, & missis regijs, quia suos homines ad emendationem & ad pœnitentiam non potest adducere, sed seipsum vult aut à talibus immunem ostendere, aut dignè satisfacere, & hujusmodi maleficos à suo obsequio rejicere, & ut Dei inimicos persequi, tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur. Et item in capitulis Imperatorum scriptum est: Comites vero & Ministri Ecclesiæ in eorum ministerijs, & hoc plenius & de nostris & de se, & de suis hominibus fiant. Et quicumque prima & secunda vice de his à Comite admonitus, non se correxerit, volumus ut per eumdem Comitem etiam negligentia & ad nostram notitiam perferatur, ut auctoritate quod in nostro capitulari continetur subire cogatur. Et item de pace in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque auctorem damni sibi illati nominatim cognoscit ut justitiam de illo quærat & accipiat. Et item: Si quis in exercitu vel infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fenum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnimodo prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptuose factum fuerit, LX. solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia cimelia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, sententiæ capitali subjaceat, & Dominus omnia cimelia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut talia non perpetraret: quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat. Similiter & collectas, quas * Theotisca lingua Herizupli appellat, & infractiones immunitatum, & incendia, & assalituras in domos, & conjurationes & conspirationes, & seditiones, & raptus feminarum, sicut & divinæ & humanæ leges prohibent, & prædecessores nostri Reges prohibuerunt, firmiter ex banno etiam & nos prohibemus. Nos quoque Episcopi, auctoritate Dei & sacrorum Canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX. in

* *idest*, injuria vires, violentiam. *è Græco* φορτίον onus, φορτικὸς onerosus, molestus *&c*

Rom. I.

* formam

Lib. II. 23. 24

Lib. V. 12. 9

* Theodisca

Calchedonensi Concilio conspirationem fieri prohibuerunt : & sicut cetera Concilia Episcoporum hujusmodi perniciosa facta vetuerunt, & nos prohibemus, quia facientes illa per eorum judicium, qui cum Deo jam in cœlo regnant, & à cælesti Ecclesia, & à Christianorum societate separati sunt nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant, ut sanctæ Ecclesiæ possint redonari. Similiter ut hæc capitula, quæ hic annotata sunt, ita per hæc & illa omnia, quæ in suprascriptis locis scilicet in Carisiaco & apud Valentinianas collecta & constituta sunt, observari præcipimus, & omnes communiter confirmamus. Si autem aliquis quicumque inobediens extiterit, cum summa festinatione Episcopi, Comites & missi nostri notum facere curent, ut quantocius ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustineat, & si, quod absit, talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & Ecclesiasticam auctoritatem contemnat, & regiam potestatem refugiat, sciat quicumque ille fuerit, quod & secundum Canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu, & à sanctæ Ecclesiæ consortio, & in cœlo & in terra alienus efficietur, & regali potestate, atque omnium regni fidelium unanimitate, sicut Dei & Ecclesiæ inimicus, & regni Dei devastator, persequetur usquedum à regno exterminetur. Et si aliquis Comes fuerit, qui hoc in suo comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, aut ipse illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat ; sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum consuetudo fuit. Episcopus autem secundum Toletani Concilij* capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi, qui talia contra Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si & eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia rejiciat, excommunicatus à collegio ceterorum Episcoporum habebitur, quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur : quoniam nisi communiter certaverimus, ut in omnibus justitia & ab omnibus conservetur, nec Rex pater patriæ, nec Episcopi propitiatores & reconciliatores populi ad salutem æternam, nec qui participatione nominis Christi Christiani vocantur, hoc quod humano ore dicimur, in divinis oculis esse valemus. Ut autem hæc quæ observanda supra scripsimus ac prænominavimus, nunc & de cetero certiùs & expressiùs à nobis atque à successoribus inconvulsa serventur, proprijs manibus hic subscribere communi consensu decrevimus, ea conditione servata, ut omnis in cunctis ordinibus lex juris debiti, & honor ab omnibus obedienter & fideliter cooperante Domino conservetur. Post hæc omnia relecta & collaudata communi consensu decrevimus, ut si aliquis homo propter mala facta, quæ emendare & per legem & per pœnitentiam noluerit, seniorem suum dimiserit, aut ab illo propter hæc ejectus fuerit, ab alio non recipiatur, donec illa quæ malè fecit, emendet & per legalem compositionem & per Ecclesiasticæ satisfactionis pœnitentiam.

Cap. 17. 11. quæst. 1. Conjurationem.

* VI. 7.

FINIS.

* EJusdem tomi 8. Conciliorum ult. ed. pag. 755 habetur Confirmatio Privilegij in gratiam Monasterij S. Dionysij in Francia anno 862 concessi in Synodo Pistensi, quod cùm ad res nostræ Ecclesiæ non pertineat omisimus & Privilegium S. Martini Turonensis confirmatum in Synodo Pistensi eodem anno, æque ac Hincmari utriusque opuscula anno 868 porrecta Carolo Regi apud Pistas pag. 1732.

Extat etiam tomo 2. Spicilegij Lucæ Dacherij pag. 588 Privilegium quo bona Abbatiæ S. Germani Autissiodorensis confirmantur in Conventu Pistensi anno 864. sed nihil ad nostra, æque ac id quod ex Chronico S. Petri Vivi eodem tomo pag. 12 refertur de Egilo Senonensi, qui Privilegium à Carolo Rege in Conventu Pistensi impetravit anno 869 pro bonis Ecclesiæ suæ & Abbatiæ S. Petri Vivi Senonensis, quod idem Privilegium habetur etiam to. 8. Conciliorum edit. ult. pag. 1536.

36. * ADALARDUS, seu AHALDARDUS, Guntbaldi nepos, sub quo ita liberalibus & Ecclesiasticis disciplinis profecit, ut 20 ab illius obitu anno ei substitui meruerit, quem religiosum fuisse in cunctis operibus codex eburneus fidem facit. Interfuit autem Concilio Attiniacensi cum ceteris decem Provinciarum Episcopis & Duziacensi anno Christi 871. Anonymum Chronici Fontanellensis Scriptorem ordinavit in Presbyterum A. C. 872. 8 Idus Martij. Sedisse fertur 3 annis.

37. * RICULFUS, pius ac liberalis Antistes in Adalardi locum suffectus est. Superest etiamnum pietatis ac liberalitatis ejus duplex monimentum: 1. scilicet cùm mox ut possessionem inijt, Vadiniacum profectus est sacras D. Audoëni præsessoris sui Reliquias visitaturus, quæ in proprio tunc solo Normannorum metu asportatæ exulabant unà cum sacris S. Nicasij & sociorum ejus pignoribus. Ad conciliandam sibi sanctissimi Confessoris gratiam diversa ejusdem Cœnobio, cujus se Abbatem dicit, bona largitur in eo diplomate expressa, quod etiamnum asservatur in illius Archivo. Obtinuit & aliud à Carolo Calvo, quo nimirum bona omnia quæ à Remigio Ecclesiæ suæ donata Carolus Magnus rata habuerat, iterum confirmanda curavit. Multa item alia antiquis suorum præsessorum donationibus adjecit quatuor annis, quibus sedem tenuit.

38. JOANNES, eodem quo initiatus est anno interfuit Concilio Pontigonensi. Impetrat à Carolo Imperatore præceptum pro rebus S. Audoëni 7 Kal. Julij apud Baziu * Palatium, domum olim Regiam apud Velocasses non longè à Gisortio. Invitatur à Joanne VIII. Papa ad Concilium Epistolâ ad diversarum sedium Episcopos datâ 4 Idus Jun. Indict. 11. id est, anno Christi 878. Pervenit ad tempora Marini & Adriani 3 ex Flodoardi Ecclesiastica Historia lib. 4 cap. 1. * Be-zu la Forêt

* AD hujus Pontificis ætatem pertinet Concilium Rotomagense sub Hludovico glorioso Francorum Rege ex veteri Codice MS. Beccensi depromptum. Hujus Canonem 2, seu Caput 2 D. Joannes Mabillonius dederat tomo 3. Sanctorum Ordinis Benedictini præfato numero 76, quasi nondum in lucem editum fuisset, cùm tamen [illegible] r partes apud Burchardum & Ivonem reperiatur: sic autem incipit.



CONCILIUM




CONCILIUM ROTOMAGENSE

Ex veteri codice Manuſcripto Beccenſi depromptum.

SYNODUS GENERALIS RODOMI

REGNANTE HLUDOVEO GLORIOSO REGE.

CAPUT I.



UT tempore quo Evangelium legitur, finitoque Offertorio, ſuper oblationem incenſum, in mortem videlicet Redemptoris noſtri ponatur, decrevimus.

II.

Dictum eſt nobis quòd quidam Preſbyteri celebratâ Miſſâ, detrectantes ipſi ſumere divina myſteria quæ conſecrarunt, calicem Domini mulierculis quæ ad Miſſas offerunt tradant, vel quibuſdam laïcis qui dijudicare corpus Domini neſciunt, id eſt diſcernere inter cibum ſpiritualem atque carnalem, quod quantum ſit omni Eccleſiaſticæ religioni contrarium pietas fidelium novit. Unde omnibus Preſbyteris interdicimus ut nullus in poſterum hoc facere præſumat; ſed ipſe cum reverentia ſumat, & Diacono aut Subdiacono qui miniſtri ſunt altaris, colligenda tradat, illud etiam attendat ut eos propria manu communicet, nulli autem laïco aut feminæ Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in os ejus cum his verbis ponat: *Corpus Domini & Sanguis proſit tibi ad remiſſionem peccatorum & ad vitam æternam.* Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, & quantum in ipſo eſt inhonorat, ab altari removeatur.

III.

Omnes decimæ terræ ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Boves & oves, & capræ quæ ſub Paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit & quod

mutat, & quod mutatum est sanctificabitur Domino & non redimetur, sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, & secundò, & tertiò : si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur usque ad satisfactionem & ad emendationem congruam.

IV.

Perscrutandum si aliquis subulcus vel bubulcus, sive venator, vel cæteri hujusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet à peste & clade, & alterius perdat, quæ omnia idololatriam esse nulli fideli dubium est ; & ideo summopere sunt exterminanda.

V.

Baptisma unum est, sed in Ecclesia Catholica, cujus nos membra effecti sumus ubi una fides est, ubi in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti datur, & ideo qui apud illos Hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur, sed doceantur integrè, & instruantur sensu sanctæ Trinitatis & mysterio quod in sancta Ecclesia tenetur : & si consentiunt credere vel acquiescunt confiteri, purgatæ fidei integritate firmentur manus impositione. Si vero parvuli sunt hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt, juxta morem baptizandi, & ita interrogentur, ut sciant quid respondere debeant ; & sic manus impositionem accipiant.

VI.

Sunt aliqui qui culpis exigentibus ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab alijs Ecclesiasticis vel laïcis præsumptione in communionem accipiuntur quod, omnino sanctum Nicænum Concilium simul & Calchedonense, nec non Antiochenum atque Sardicense fieri prohibent.

VII.

Sancitum est atque omnimodis prohibitum, ut si quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico aut laïco munera dare, aut dedisse, aut aliquam pecuniam tribuere ut alterius Presbyteri Ecclesiam surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat,

pro hac cupiditate ſeu rapina, ſeu præſumptione turpis lucri gratia, dejiciatur à Clero, & alienus exiſtat à regula.

VIII.

Statuimus ſecundum canonicam cautelam omnes undecumque ſupervenientes ignotos Epiſcopos, vel Preſbyteros ante probationem Synodalem in Eccleſiaſticum miniſterium non admittere.

IX.

Statutum eſt viduas non debere velari. Simul & hoc ſtatutum eſt ut ſi quiſpiam Preſbyterorum deinceps hujus conſtitutionis normæ contumaciter tranſgreſſor extiterit, ſcilicet ut aliquas viduas velare præſumat, quia hoc & Epiſcopis non licet, gradus ſui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à Preſbyteris non velandis ſtatutum eſt, ut ſi quis hoc facere tentaverit, tanquam tranſgreſſor Canonum damnetur.

X.

Ut Epiſcopus Monaſteria Monachorum & Sanctimonialium frequenter introëat, & cum gravibus & religioſis perſonis, & in eorum vel in earum Conventu reſidens, eorum vitam & converſationem diligenter diſcutiat, & ſi quid reprehenſibile invenerit corrigere ſatagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam ſubtiliter inveſtiget: & ſi aliqua invenitur quæ neglecto propoſito caſtitatis, Clerico aut laïco impudenter miſceatur, in privata cuſtodia retrudatur, ubi quod malè commiſit dignè pœniteat. Interdicat etiam ex authoritate SS. Canonum, ut nullus laïcus aut Clericus in eorum clauſtris & ſecretis habitationibus acceſſum habeat, neque Preſbyteri, niſi tantum ad Miſſam, expleta Miſſa ad Eccleſias ſuas redeant. Omnibus præterea publicè & privatim denuntiet quantum piaculum ſit qui Sponſam Chriſti vitiare præſumit: ſi enim ille reus tenuetur qui ſponſam hominis violat, quanto magis reus Majeſtatis efficitur qui Sponſam omnipotentis Dei corrumpit.

XI.

Ut non liceat Epiſcopo principalem Cathedram ſuæ Parrochiæ negligere, & aliam Eccleſiam in ſua Diœceſi magis frequentare.

XII.

Si quis alium per iram percuſſerit & ſanguinem effuderit; ſi laïcus eſt 20 dies pœniteat, Clericus 30; illi autem qui gra-

dum habent amplius, pelli debent. Diaconus 6 menſes. Preſbyter unum annum. Epiſcopus 2 annos & 6 menſes.

XIII.

Si quis in Kalendis Januarijs aliquid fecerit quod à Paganis inventum eſt, & Dies obſervat & Lunam, & menſes; & horarum effectivâ potentiâ aliquid ſperat in melius aut in deterius verti, anathema ſit.

XIV.

Admonere debent Sacerdotes plebes ſubditas ſibi, ut bubulcos atque porcarios, vel alios paſtores, vel aratores qui in agris aſſiduè commorantur, vel in ſylvis, & ideo velut more pecudum vivunt, in Dominicis & in alijs Feſtis diebus ſaltem vel ad Miſſam faciant, vel permittant venire: nam & hos Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine redemit. Quod ſi neglexerint, pro animabus eorum abſque dubio rationem ſe reddituros ſciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum non elegit oratores atque nobiliores quoſque, ſed piſcatores atque idiotas ſibi Diſcipulos aſcivit, ut oſtenderet in facto quod ipſe verbis in Evangelio affirmat, dicens: *Quod hominibus eſt altum, abominabile eſt apud Deum.* Et ſalvâ altiore intelligentia, Nativitas noſtri
Luc. 16 v. 15.
Redemptoris, primò omnium Paſtoribus ab Angelo nuntiatur.

XV.

Ut populus admoneatur, ut in Dominicis & Feſtis diebus omnes ad Veſperas & Nocturnas Vigilias, & ad Miſſam omnimodis occurrant, & ut Decani in Civitatibus & in vicis publicis viri veraces & Deum timentes conſtituantur, qui deſides & negligentes commoneant ut ad Dei ſervitium abſque dilatione properent & ut ipſi Decani Sacramento aſtringantur, ut nulla interveniente cauſa, ſcilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, muneris negligentes & tranſgreſſores reticeant, qui in Sacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia zelo & amore divino cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum reatibus ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere, & ut dies Feſti à Veſpera uſque ad Veſperam abſque opere ſervili cum debito honore celebrentur.

XVI.

Cum Epiſcopus ſuam Diœceſim circuit, Archidiaconus vel Archipreſbyter eum præire debet uno aut duobus diebus

per Parrochias quas visitaturus est, & plebe convocata annuntiare debet proprij Pastoris adventum, & ut omnes exceptis infirmis ad ejus Synodum die denominata imprætermissè occurrant, & omnimodis ex autoritate SS. Canonum præcipere & minaciter denuntiare debet, quod si quis absque gravi necessitate defuerit, proculdubio à communione Christiana sit pellendus; deinde accitis secum Presbyteris qui in illo loco servitium debent exhibere Episcopo, quidquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotijs fatigetur, aut sibi immorari amplius necesse sit ibi quàm expensa sufficiat. Ait enim Dominus ad Moïsen de hujuscemodi cooperatoribus, ut *tecum* (inquit) *sustentent onus populi, & non tu solus graveris*; & beatus Joannes Baptista adventum Domini præcucurrit prædicando dicens: *Pœnitentiam agite* &c. Et iterum: *Parate viam Domino*, siquidem Episcopus vicem Christi agere videtur; & ideo cum gaudio, timore, & summa reverentia à plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur quod Apostolus Discipulis dicit: *Testimonium*, inquit, *vobis perhibeo quòd ita suscepistis me sicut Angelum Dei.* FINIS.

Num. c. 11. 17. Matth. 3. v. 2. Ib. v. 3. Galat. 4. v. 15.

39. S. LEO, Carentomi in Diœcesi Constantiensi natus Scholæ Parisiensis alumnus, à Romano Pontifice ordinatus, & Bajonam ad prædicandum Evangelium missus, huic loco restituendus videtur, licet de eo veteres Elenchi nihil prodant. Cujus silentij duplex ratio reddi potest, aut quòd obiter tantum sedem attigerit, ad quam sæviente Normanorum procellâ, vix fortè patebat aditus, aut quòd in tanta rerum perturbatione ejus memoria interciderit. Errant qui eundem hunc faciunt cum Witone. Ad ampliorem ejus notitiam placuit hìc D. Joan. Prevotij Epistolam dare ad illustrissimum Franciscum Harlæium hujus nominis primum.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PATRI, & Domino D. FRANCISCO Archiepiscopo Rotomagensi Normaniæ Primati.

JOANNES PREVOTIUS, humillimus ejus celsitudinis & sanctæ Sedis Rotomagensis servulus.

Benedictionem omnium gentium & testamentum Domini super caput ejus. Eccli. 44. 25.

ILLUSTRISSIME PRÆSUL,

QUOD æternæ Veritatis oraculo monente didicimus, nihil opertum esse quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur, mul-

tifariam multísque modis olim comprobatum, novissimè diebus istis tantò evidentiùs ostenditur, quantò profundiùs abdita sacræ antiquitatis notitia passim eruitur. Siquidem benigna summi Opificis providentia, quæ facit de tenebris lumen splendescere, tanta sæculum nostrum luce perfudit, ut detersa ignorantiæ caligine Catholica per Orbem Religio clarificata videatur claritate, quam habuit, priusquàm superiorum temporum malitia primævum doctrinæ disciplinæque nitorem obscurasset. Et hæc quidem admiranda de tenebris ad lucem translatio licet ad omnes Galliarum Ecclesias pertineat, præcipuè tamen in sancta Rotomagensium Metropoli deprehenditur, ex qua Pastoralis Eminentiæ tuæ splendor, venerandam illam Gallici Sanctuarij Mensam ad Septentrionalem plagam positam illustravit. Exinde enim plures apud nos Dominicæ messis operarij jussis exemplísque tuis incitati, aperiendis Scripturarum arcanis, evulgandísque Cælitum Actis animum adjecerunt: quorum studijs & laboribus effectum est ut, revelante Domino condensa, omnes in templo ejus dicant gloriam, & adauctis Intercessorum suffragijs nova quotidie promerendarum gratiarum occasio Fidelibus oriatur. Sanè memorata soror tua Sponsa inter multiplices supernæ munificentiæ dotes, quibus abundè locupletata refulget, decem veluti Drachmas cælitùs accepisse dignoscitur, totidem videlicet gloriosos Pontifices in Sanctorum album relatos, quorum vita virtutibus claruit, & mors pretiosa in conspectu Domini miraculis demonstratur. Ex quibus novem primi, licet varijs calamitatum procellis à suavissimis custodis amplexibus corporaliter avulsi fuerint, spiritaliter tamen per recordationis affectum, quasi in sinu ejus censentur repositi: quia nimirum in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Unus ex denario illo numero beatus Leo, decimus & novissimus ratione temporum, non comparatione meritorum, ignoratur à civibus qui ab alienigenis honoratur. Unus apud nos natus, nobis destinatus, noster origine, dignitate noster, extraneus factus est fratribus suis, & peregrinus filijs matris suæ, damnóque nostro impletus est in eo prælibatæ Veritatis sermo, qui dicit neminem Prophetam acceptum esse in patria sua. Non quæsivit mater-familias Drachmam perditam, non accendit lucernam, non everrit domum donec inveniret. Oblita est sponsa fasciæ pectoralis suæ diebus innumeris, recessit memoria sapientis, & nomen ejus non est requisitum. Denique cum à beati Pontificis morte multa jam sæcula effluxissent, & tam diuturnæ ignorantiæ remedium meritò desperari posset, inventus est à non quærentibus, palàm apparuit ijs qui non interrogabant. Indicatum est tandem Sulamiti ubi dilectus ejus pasceret, ubi cubaret in meridie. Nova & inopina vox genitricis nostræ auribus insonuit, dicens: Leo filius tuus, immò Sponsus & Pater tuus vivit, & ipse dominatur in terra Bajonensium. Quo audito revixit spiritus ejus, & parvulorum corda quos maternis claudit visceribus, repentina liquefecit exultatio. Quid mirum igitur, Illustrissime Præsul, si paternæ gloriæ zelo adolescentulus ego & contemptus extollo de turba vocem meam, & loquor ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis? Vis amoris ipsas infantium linguas facit disertas, &

ex eorum ore ſuam ſervorumque laudem perficit Deus, ut inimici ſuperbia mirabiliùs deſtruatur. Mirentur in adoleſcentulo hunc mentis exceſſum, quibus inveteratum virtutis faſtidium cum diſcendi ſtudio admirationis uſum depravat : qui tam parum de ſalutis ſuæ profectu quàm de alienæ ſanctitatis fama ſolliciti, libenter in Sanctis ignorant quod in ſe experiri non curant. Nobis verò quos divina auctoritas attendere jubet ad petram unde exciſi ſumus, grave ſit parentes habere, niſi agnoſcamus; turpe agnoſcere, niſi colamus. Non enim doctas fabulas ſecuti, ſed annoſa Baſilicarum monumenta, canámque populorum traditionem, quod de LEONE legimus, quod audivimus, teſtamur & annuntiamus tibi. Beati Pontificis Acta è Bajonenſis Eccleſiæ deprompta codicibus, omnium oculis patent, omnium manibus evolvuntur. Ipſi Vaſcones & Cantabri, qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, Patroni ſui nomen felici commercio littoribus noſtris invexere, dúmque memoriam ejus palam extollunt, oblivionem noſtram tacitè carpunt. Ex tot tantíſque documentis ſatis ſupérque conſtat LEONEM ipſum Carentomi in Provincia tua natum, patriâ Neuſtrium, inſtitutione Pariſienſem, à Romano Pontifice propter eximias animi dotes Rotomagenſibus infulis decoratum, ducémque & præceptorem gentibus datum, dimiſſa ad tempus hæreditate improperium Chriſti extra caſtra portaſſe, & per beata deceſſoris veſtri AUDOENI veſtigia in Hiſpaniam uſque progreſſum, Bajonenſem urbem à Dæmonum cultu & pyratica feritate ad veræ Fidei manſuetudinem traduxiſſe : ubi multis pro Chriſto affectus injurijs, & ad extremum impijs ſævientis turbæ gladijs cæſus, jugem corporis mortificationem cruento conſummavit ſacrificio, quod ſibi Deus acceptabile ſalutaribus erga Fideles miraculis, & prodigioſa in perſecutores ultione declaravit. Quæ cum ita ſint, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, quid adhuc hærent vota noſtra, ubi nec obicem devotio, nec veniam invenit dilatio? Cur ſanctiſſimi Martyris nomen Cælitum noſtrorum Catalogo non adſcribitur, cur annua feſtivitate non celebratur? Induat ſe veſtimentis gloriæ ſuæ Rotomagus civitas Sancti, & ad publicæ gratulationis officium vicinas invitet Eccleſias, quia Drachmam, quam perdiderat, invenit. Lætetur princeps in lætitia gentis ſuæ : laudetur pater-familias cum hæreditate ſua. Excipiatur ſicut Angelus Dei homo iſte nobilis, qui de longinqua regione accepto regno revertitur. Non erit infructuoſa tanti peregrini ſuſceptio. Quia magnalia fecit in Ægypto, faciet & hìc in patria ſua, nec dedignabitur Sulamitem, qui Pallium ſuum extendit ſuper Moabitidem. Ipſa etiam gregis utilitas proculdubio recidet in Paſtorem. Nam ſi Eccleſiæ Principibus illorum præcipuè Sanctorum expetendum eſt patrocinium, in quibus Apoſtolica forma magis elucet, quis tibi eo nomine vel illuſtrior, vel efficacior Advocatus contingere poteſt quàm LEO? Cæteros quidem beatæ recordationis deceſſores tuos Apoſtolicos & Sede fuiſſe ſcimus & ſpiritu, verùm diverſa, & (ſi dicere licet) impari ratione. NICASIUS diſſeminato per Vellocaſſes Evangelio prædicationis laudem Martyrij gloria cumulavit : ſed à Chriſto præventus in benedictionibus dulcedinis, priùs attigit palmam quàm Sedem, Moſíſque exem-

plo nascenti Ecclesiæ suæ Mare Rubrum aperuit, promissionis terram non divisit. Prædicavit MELLONUS & sedit : sed Martyrium minimè fecit. Fecit aliquando VICTRICIUS: sed in sanguine Chlamydem lavit non Pallium, agonique suo Cælesti dispensatione superfuit, paulò minoratus à Martyribus, ut Martino Confessor æquaretur. Dilectus Deo & hominibus ROMANUS directus est divinitùs in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis, & in diebus suis corroboravit pietatem : sed intra suæ Diœceseos fines hæc Apostolatus signa conclusit. AUDOENUS potens in opere & sermone, in terram alienigenarum gentium pertransijt : sed ejus sterilitatem imbre divino non sanguine proprio fœcundavit. Unus ex multis patribus LEO triplicatæ laureæ prærogativam assecutus, Sacerdotium sede, peregrinationem fructu, Martyrium morte complevit. Nec est cur in re tanti ponderis novitatis metus Religionis studium præpediat. Tardioribus institutis quotidiè obstetricatur utilitas, brevíque censetur antiquum quod novum esse non debuit. Certè domesticam pietatem similibus exemplis scimus inniti. Beati HUGONIS depositio apud majores nostros Anno duntaxat MCCCIX. venerandi Capituli tui decreto celebrari cœpit. Patrum memoria Religiosissimus Eburovicum Antistes CLAUDIUS SANCTIUS B. ÆTERNUM (qui circa Clodovei secundi tempora S. Aquilinum in Episcopatu præcessisse traditur) proprijs Kalendarijs inseruit. Idem EVODIO, idem Magistro gentium VICTRICIO contigisse docet vetus Ecclesiæ tuæ Martyrologium, in quo utriusque nomen etiamnum desideratur. Nam quid ampliatos cæteris honores commemorem successu temporum, variáque animorum propensione ? Quid Natalem ROMANI diem, GUILLELMI primi Archiepiscopi cura referam illustratum, indictâ populo à servilibus operibus abstinentiâ propositisque Indulgentijs quibus Fideles ad Tutelaris sui cultum invitarentur ? Quid ANSBERTUM Triplici officio Anno MCCLXXX. à GUILLELMO FLAVACURIA Vellocassino contribuli suo donatum, quid MELLONI Apostoli nostri Festo peculiares cantus ante pauca sæcula loquar adjectos ? Transivit ad exteros quoque Cœlites citra novitatis invidiam novissimorum temporum fervor ? & in illo Ecclesiastici Cursus compendio, quod Victricianæ Regulæ utilis æmulator edidisti, adjuncta sunt antiquis ex omni tribu, & populo, & natione nova intercessorum nomina, ut intelligeret populus Orthodoxus Sanctorum communionem locorum intervallis non dissolvi, sed dilatari, meritóque singulis Ecclesiæ familijs haberi domesticum, quidquid universæ Christi Reipublicæ desijsset esse peregrinum. Ergò quod hospitibus & advenis copiosè hactenus impendimus, beneficentiæ & communionis obliti, Præpositis nostris audebimus denegare? Avertatur à filijs tuis tantæ ingratitudinis opprobrium, ne populus innocens à sanguine Sacerdotum, mortuis quàm vivis iniquiorem se præbeat. Justum enim est & rationi consentaneum illam in primis Civitatem Martyrum fieri participem, quæ se Martyriorum jactat expertem. Exurge igitur, ILLUSTRISSIME PRÆSUL, exurge, & legitimis tuorum petitionibus acquiesce propter nomen Dei. Ecce vox sanguinis Fratris tui LEONIS clamat ad te de terra aliena. Vox illa clamantis in deserto & Pyrenæorum

aspera

aſpera complanantis exaudiri cupit pro ſua reverentia. Excitet te ad tam ſalubre inſtitutum Apoſtolicus Pauli ſpiritus, quem ex Areopagitæ conſortio tractum venerandus Pater NICASIUS in ſucceſſores ſuos hæreditario jure transfudit. Excitet dilecta quondam nutrix nunc alumna tua ſacra Pariſiorum Schola, quæ generoſum hunc catulum tulit ex leunculis ſuis, & Leonem conſtituit, ut audiretur vox ejus in montibus. Excitent oves paſcuæ tuæ illuſtris Natio Normanorum, omnéſque tui Primatus Eccleſiæ, & illa in primis quæ peculiarem ſibi Patris affectum longa viduitate conciliat filia tua CONSTANTIENSIS, de cujus tribu LEO noſter proceſſiſſe dignoſcitur. Obſtringe tibi Interceſſorem, quem facit imitatio ducem, dignitas coæqualem. Redde nobis LEONEM, ut LEO & ovis ſimul morentur, & Rotomagenſibus tuis aurei ſæculi felicitas myſtico illo pacis ſymbolo præſignetur. Venerare in mortuo vivam morum tuorum imaginem, & præſenti gratitudine poſteris de te benemerendi præfer exemplum. Tranſcendes meritis quidquid extollis officijs, ſi diù in te vixerit qui per te tandem reviviſcit. Hæc ſunt cariſſimæ Sponſæ tuæ ſuſpiria, hi Columbæ gemitus, hæ Turturis voces audiuntur in terra noſtra. Hùc venerabilis Cleri tui preces, hùc piiſſimi populi vota collimant. His & nos exigui licet & inutiles, fidenti animo ſubſcribimus, quia numquam juſta expectatione deſtituis quos in ſolida dilectione inſtituis.

Rotomagi in Secretario tuo, Kalend. Julij. Anno reparatæ ſalutis M. DC. XXXIII. *Pontificatus tui decimo octavo.*

FRANCISCVS ARCHIEPISCOPVS

Clero Populoque Rotomagenſi, dilectis Dei, vocatis ſanctis. Rom. 1 v. 7.

Sanctificare Sanctum Jacob, & congregare illi Sanctos ejus qui ordinant Teſtamentum ejus ſuper Sacrificia. Iſa. 29. v. 23. Pſ. 49. v. 5.

CARISSIMI, vox Sponſi audita eſt in terra noſtra, Sponſam Rotomagenſem Eccleſiam, *de cubilibus Leonum* appellantis. Illam proculdubiò, quæ (ut cætera Cantici perſequar, & cantem dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ) Gallionæo è Libano, nunc per caput Amana, quod interpretatur Veritas ſeu Fides, Pauli nempe cæleſte illud faſtigium, nunc per verticem Sanir & Hermon, cum novo illo Paulo, Auguſtino noſtro, Hæreticas diſcordias deſtruens, mecum paſtoraliter ruſticatur. Vox certè, ni me fallit ſimpliciſſimum agrorum augurium, haud aliter quàm illa, Prophetantis: *Et ſanctificabunt Sanctum Jacob, & Deum Iſraël prædicabunt: & ſcient errantes ſpiritu intellectum & muſſitatores diſcent legem.* Quid verò fallat, quem nec vigilantiſſimum ſomnia illa fallunt, noſtris rebus inprimis accommodata: *Ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit*: quæ non obſcurè diligentiſſimum Notariorum noſtrorum Primice-

[Margin notes: Cant. 4 v. 8. — Iſ. ubi ſup. — Dan. 4. v. 10.]

rium, de ſancti Leonis Rotomagenſis Archiepiſcopi Martyris inventione à ſe facta, tamquàm de inventa Evangelica drachma, molli allegoriâ deſignant, nobis è Secretario noſtro gratulantem; Imò nos Canonicè admonentem, ac Eccleſiæ nomine, priſcorum more, quàm poteſt maximè urgentem (mirum verò in modum & zelo & ſtylo gaudemus poſſe) ut per me veſtra Civitas, quæ ſe Martyriorum expertem jactare ſolet, ſi non alieno at paterno, Martyris videlicet Archiepiſcopi, ſanguine, ac maximè proprio, particeps Martyrum fiat. Cujus quidem diligentiæ ac votis eò libentiùs promptiùſque annuimus, quod veſtra erga Archiepiſcopos veſtros devotio vobis laus eſt, inquietis his novitatis temporibus, propè ſingularis: adeò ſeneſcente Eccleſiâ quamquam unitas non frangitur, unio debilitatur. Præclarum ſanè divinæ providentiæ munus, ídque eâ ætate cælitùs conceſſum, quâ toto in Orbe ſedet, cui apes & familiæ inſignia & divinæ poëſeos laudum apud nos certaminumque argumenta haud interitura, præmiáque fecere. Quoties enim, antecedentium rerum ſemper curioſior poſteritas, propoſitum à me in divini quidem Pindari, id eſt, in Pontificis Urbani, gratiam, ſed in Eccleſiæ ſacrarumque literarum gloriam, notum Rotomagenſibus Parthenicis ludis alvearium, cum Leonis noſtri inventione contulerit,
Jud.14. v. 8. exclamatura eſt: *Ecce examen Apum in ore Leonis erat, ac favus Mellis*, illudque mox ex Sampſonico inde problemate, arcano ſenſu adjectura:
Ibid. v. 18. *Quid dulcius Melle, & quid fortius Leone*; ut Rotomagenſem Leonem tamquàm Romano melle olim redivivum declaret? Sanctos quippe facere, Romanum eſt; reducere autem, noſtrum, quibus jure an injuriâ, haud tanta nunc quanta olim licent. Licuiſſe námque, oculatiſſimus Areopagita, quem per Beatiſſimum Nicaſium feliciſſimè nobis tribuit auctorem Gallicana Antiquitas, ut qui ſub Canone eſt Prevotius amanuenſis noſter, rectè in Libello ſuo ſupplici, ſeu parænetica ad nos Epiſtolâ monitum voluit; grandi illâ primitivâ Theologiâ & videt & prædicat: *Ut enim Hierarchiam omnem videmus in Jeſum deſinere; ſic unamquamque in proprium divinum Hierarcham.* Sed
Dionyſ. Eccl. ſ. Hierar. cap. 5. miſſa faciamus illa antiqua: ad Patrem familias veniamus qui profert de theſauro ſuo non ſolùm vetera, ſed nova: præſertim, cùm rectè Stromatæus, Pantæni diſcipulus ac Origenis magiſter, non minùs verè quàm ſubtiliter dixerit, ſæpè facere quæ non licent, cui ſemper licet facere quæ licent. Nuſquam pejus Eccleſiæ ceſſit, quàm cùm de cujuſque jure ſuperſtitiosè eſt diſputatum: Nobis feritur, quicquid Superioribus reſervatur. Nunc tempus metendi, dùm ex Bajonenſi agro, qui Aquæ Auguſtæ, qui Gemma olim dictus, Venerabilis noſter Canonicus Prevotius, in aream dominicam reportat cum exultatione & Præſulum Gemmam & manipulos ſuos. Sicut ergò qui lætantur in meſſe, farre pio, aras cumulemus, Fratreſque hortemur Coëpiſcopos noſtros, ut reduci Martyri ſinum pandant, obviam procedant, noſtris humeris in Archiepiſcopalem Thronum revehant, ac Patronæ Deiparæ:
Gen. c. 37. v. 32 *Vide, utrùm tunica filij tui ſit, an non*? concordi voce dicant. Contingit profectò, ut quod Eccleſiæ Annales non modò de ore aureo, eloquentiſſimo Joanne, multa paſſo ac reduce, ſed de quàm plurimis alijs Archiepiſcopis Martyribus in propriam ſedem revectis, memorant, ingenti miraculo, Pa-

ce quam Mundus dare non potest, Ecclesiam iterùm Pontificaliter salutet. Nos interim Sponsam nostram monebimus, ut novo illo monili se ornet, neu capillus de capite pereat, neu polymita vestis defluat, & ornamentum negligentiâ quærat, quæ non tàm majestatem quàm lasciviam decet. Quapropter Religiosissimo Tarsensi Episcopo, Suffraganei nostri Abrincensis Coadjutori, nostri Archiepiscopatus Administratori ac Vicario Generali, cui Provinciam fraternè tradidimus ex quo nobis sacri contra Hæreticos belli summa impensiùs commissa est; curam delegamus, ut adhibitis in consilium cæteris Generalibus Vicarijs nostris, cum selectis insignioribus viris è gremio venerabilis Ecclesiæ nostræ Presbyterij sive Capituli, de reducendo, auctoritate nostrâ, in Martyrologium, ac sacra Diptycha, Officiumque Ecclesiasticum, sancto LEONE Rotomagensi Archiepiscopo Martyre, ritu antiquo synodicè deliberet, ut novo sensu quod Ezechieli Propheticè visum est, & Clero & Populo Rotomagensi tandem quadret: *Qui incedebat inter Leones, factus est Leo.* Cæterùm, ut cum Augustino à quo exorsus sum concludam, Augustino se se sic ad scribendum colligente, ac Eradio Ecclesiæ suæ vices tradente: *Nemo invideat otio meo, quia meum otium, magnum habet negotium.* Datum Gallioni in Arce nostra, Anno Sanctificationis nostræ tertio, ac trigesimo supra sexcentesimum ac millesimum, xv. Kal. Sext.

Ezech. 19. v. 6


Epistola 110 *Act. in desig. Eradij.*

---

40 WITO interfuit Sententiæ Excommunicationis latæ Remis in homines Balduini Flandriæ Comitis ob cædem Fulconis Archiepiscopi Remensis A. C. 900. pridie Nonas Julij, & Concilio apud Trosleium A. C. 909. 6 Kal. Julij.

* ETsi liquidò non constet quo potissimùm anno Concilium quod sequitur incerti temporis ponendum veniat, tamen cùm magnam illi antiquitatem tribuat Burchardi autoritas, majorem que Regino (qui obijsse videtur Philippo Labbe anno 908.) Qui ejus mentionem non modo fecerunt, sed & integrum caput 2 retulere; imò & caput 10 extat apud eundem Reginone; idcirco placuit hìc ei locum dare, videlicet circa annum 900, quo Excommunicationis usus in Ecclesia plurimùm cœpit invalescere, cujus exemplum videre est in WITONE.





CONCILIUM ROTOMAGENSE.

INCERTI TEMPORIS.

Quòd in primis prædicandum sit qualiter credere debeant.

CAPUT I.



IN primis prædicandum est omnibus generaliter ut credant Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, qui omnia fecit, & unam esse Deitatem, & substantiam & majestatem in tribus personis Patris, Filij, & Spiritus sancti.

II.

Item prædicandum est quomodo Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, pro salute generis humani passus, sepultus tertia die resurrexit, & cœlum ascendit, in fine mundi veniens judicare omnes homines secundum opera propria: quomodo impij cum diabolo in ignem æternum mittentur, justi cum Christo in vita æterna erunt.

III.

Item prædicandum est quòd omnes homines in propria carne resurgent.

* Extat hæc forma Excommunicationis integra apud Reginonem lib. 2. de Eccles. Discipl. cap. 408. & 409.

Episcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem pro peccatis & manifestis sceleribus dispositum habet, post Lectionem Evangelij clerum & plebem ita debet alloqui.

NOVERIT charitas vestra fratres mei, quòd quidam vir nomine N. diabolo suadente postponens christianam promissionem, quam in baptismo professus est, per apostasiam conversus post Satanam cui abrenuntiavit, & omnibus operibus ejus, vineam Christi, id est, Ecclesiam ejus

devastare & deprædari non pertimescit, pauperes Christi, quos pretioso sanguine suo redemit, violenter opprimens & interficiens, & bona eorum diripiens. Unde *quod Filius hujus nostræ Ecclesiæ, cui Deo authore præsidemus, debuerat esse, quia in ea per aquam & Spiritum sanctum renatus est, & inter adoptivos filios Dei adnumeratus, quamvis modo filius diaboli sit imitando diabolum, solliciti ne per negligentiam Pastoralem, aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo judicio ante Principem Pastorum Dominum nostrum Jesum Christum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipse terribiliter nobis comminatur, dicens: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram*, misimus ad eum Presbyterum nostrum & litteras comminatorias semel & iterum, atque tertiò, invitantes eum Canonicè ad emendationem, & satisfactionem & pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipse, proh dolor! diabolo cor ejus indurante monita salutaria sprevit, & in incepta malitia perseverans, Ecclesiæ Dei quam læsit, superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. De talibus itaque transgressoribus, & sanctæ religionis, pacisque, quam Christus suis Discipulis dedit atque reliquit, violatoribus, præcepta Dominica & Apostolica * quibus informamur, quid de hujusmodi prævaricatoribus agere nos oporteat; Ait enim Dominus in Evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Frater * in unumquemque nostrum peccat, qui in sanctam Ecclesiam peccat. Si enim sancta Ecclesia unum corpus est, cujus corporis Caput Christus est, singuli autem sumus alter alterius membra, & * si compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, proculdubio in nos peccat qui membra nostra lædit. Jubet ergo Dominus ut frater, id est, Christianus in nos peccans primò secretè corripiatur, deinde cum testibus redarguatur, novissimè in conventu Ecclesiæ publicè conveniatur. Quòd si has tres commonitiones & pias correptiones contemnit, & satisfacere despicit, post hæc *sit tibi* (inquit) *sicut ethnicus & publicanus*, id est, gentilis atque paganus, ut non jam pro Christiano, sed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum quod à sua compage resolvitur, & à junctura caritatis dissociatur, & omne corpus * scandalizat, Dominus & abscindi & projici jubet, dicens: *Si oculus, manus, vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Et Apostolus: *Auferte*, inquit, *malum à vobis.* Et item: *Infidelis si discedit:*

[Margin notes: * al. quia. — Ezec. 3. v. 18. — * habemus. — Mat. 18 — * Fratres, in unoquoque. — * cùm patitur — Ibid. — * quod. — Ibid.]

1 Cor. 5. *discedat.* Et in alio loco rapaces à regno Dei excludit, dicens : *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et alibi : *Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut adulter, aut homicida, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere licet.* Et Joannes dilectus præ ceteris Christi discipulis talem nefarium hominem salutare prohibebat dicens : *Nec ei ave dixeris, neque eum in domum receperis, Qui enim ei ave dicit, communicat operibus ejus malignis.* Dominica itaque atque Apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum & insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommnnicationis à corpore Ecclesiæ abscindamus, ne tam pestifero morbo reliqua membra corporis, veluti veneno, inficiantur.

1 Cor. 7. 1 Cor. 6 1. Cor. 5 2 Ioan. Decreta Sirici 7. cap.

EXCOMMUNICATIO.

IGITUR quia monita nostra & crebras exhortationes contemnit, quia tertiò secundum dominicum præceptum vocatus ad emendationem & pœnitentiam venire despexit, quia culpam suam necdum cognovit nec confessus est, nec missa nobis legatione, (qui causam ipsius * exquirimus, quia noster parrochianus est.) veniam postulavit, quia in cœpta malitia, diabolo cor ejus indurante, perseverat, &, juxta quod Apostolus dicit, secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ ; idcirco nos eum cum universis complicibus & communicatoribus, fautoribúsque suis judicio Dei omnipotentis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, & beati Petri principis Apostolorum, & omnium sanctorum, nec non & nostræ mediocritatis autoritate & potestate nobis divinitùs collata ligandi & solvendi in cœlo & in terra, à pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione & à societate omnium Christianorum separamus, & à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ in cœlo & in terra, excludimus, & excommunicatum & anathematizatum esse decernimus, & damnatum cum diabolo & angelis ejus, & omnibus reprobis in igne æterno judicamus, nisi fortè à diaboli laqueis resipiscat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat. Et respondeant omnes tertiò : *Amen.* Aut : *Fiat, Fiat.* Aut : *Anathema sit.* Debent autem duodecim sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione Anathematis vel Excommunicationis projicere de-

* exequimur

bent in terram & pedibus conculcare. Poſt hæc Epiſcopus plebi ipſam Excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant quàm terribiliter damnatus ſit, & ut noverint quòd ab illa hora in reliquum non pro Chriſtiano, ſed pro pagano habendus ſit, & qui illi quaſi Chriſtiano communicaverit, aut cum eo manducaverit aut biberit, aut eum oſculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit (niſi fortè ad ſatiſfactionem & pœnitentiam eum provocare ſtuduerit) aut in domo ſua eum receperit, aut ſimul cum eo oraverit, proculdubio ſimiliter ſit excommunicatus. Deinde Epiſtolæ Preſbyteris per Parrochiam mittantur, continentes modum Excommunicationis, in quibus jubeatur ut dominicis diebus poſt lectionem Evangelij plebibus ſibi commiſſis publicè adnuntient ipſam Excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Oportet etiam ut alijs Epiſcopis ipſa Excommunicatio manifeſtetur. Præcipit enim Toletanum Concilium ut invicem mox ſcripta percurrant per omnes Provinciæ Epiſcopos, quoſcumque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori etiam ejus ipſa Excommunicatio debet nota fieri. FINIS.

* EXtat etiamnum Epiſtola Herivei Remenſis Archiepiſcopi, cum quo amicitiæ vinculo junctus erat Wito noſter, ut qui paribus ſtudijs Normannorum ſaluti incumberent. Cum enim eorum benemulti ejurato jam idolorum cultu Chriſtianam profeſſi fuiſſent religionem, ac nonnulli ad priſtinum errorem relapſi, facti pœnitentes veniam poſcerent, quid in eo caſu facto opus eſſet Heriveum conſuluit Wito, æquale periculum pertimeſcens, ſi aut pœnitentes rejiceret, aut ſeveriſſimam Canonum vindictam in relapſos exerceret, aut faciliorem eis præberet aditum. Nihil ex ſe in re tam gravis momenti reſpondere voluit Heriveus, ſed conſulto Sedis Apoſtolicæ Præſule Joanne 9. Hanc Witoni Epiſtolam miſit, quam inter Hincmari opera Cordeſius Lemovicenſis Canonicus eruditione celebris edi curavit; quæ quia ſanctiſſimas Eccleſiæ leges continet ex integro à nobis data eſt cum Epiſtola Joannis IX Papæ ad Heriveum Remenſem Archiepiſcopum.

JOANNIS IX. PAPÆ EPISTOLA.
Ad Heriveum Archiepiſcopum Remenſem.

Reſcriptum domni Joannis Papæ ad conſulta Herivei Remorum Archiepiſcopi, qualis pœnitentia debeat injungi quibuſdam gentilibus nuper ad fidem converſis, quorum quidam baptizati & rebaptizati fuerunt, poſtea paganico more multa mala exercuerunt.

JOANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimo Confratri noſtro Heriveo Remorum Archiepiſcopo VESTRÆ fraternitatis, veſtræ-

que reverendæ ſanctitatis mellifluas litteras libentiſſimè ſuſcipientes, ac diligentiſſimè pertractantes, & triſtes admodum & vehementer extitimus exultantes. Mœrentes itaque de tantis calamitatibus, tantíſque preſſuris atque anguſtijs, non ſolùm paganorum, verùm etiam Chriſtianorum veſtris partibus (ut veſtrarum aſſertio litterarum edocet) accidentibus: gaudentes ſiquidem de ipſa gente *Nortmanorum, quæ ad fidem divina inſpirante clementia converſa, olim humano ſanguine graſſata lætabatur, nunc verò veſtris exhortationibus, Domino cooperante, ambroſio Chriſti ſanguine ſe gaudet fore redemptam atque potatam. Unde multipliciter ei, à quo procedit omne quod bonum eſt, immenſas gratiarum actiones rependimus, ſuppliciter obſecrantes, ut eos in ſoliditate *veræ fidei confirmare, & æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere faciat, atque ad ſuæ viſionis inenarrabile gaudium introducat. Nam quod de his veſtra nobis innotuit fraternitas, quid agendum ſit, qui fuerint baptizati & rebaptizati, & poſt baptiſmum gentiliter vixerint, atque paganorum more Chriſtianos interfecerint, Sacerdotes trucidaverint, atque ſimulacris immolantes idolothyta comederint. Et *quidem ſi Tyrones ad fidem non forent, canonica experirentur omnino judicia. Unde, quia ad fidem rudes ſunt, veſtro utique libramini, veſtræque cenſuræ committimus experiendos, qui & illam gentem veſtris confinijs vicinam *ſtudioſè advertere, & illius mores actuſque omnes pariter, & *converſionem agnoſcere præ ceteris *valetis. Quòd enim mitiùs cum eis agendum ſit, quàm ſacri cenſeant canones, veſtra ſatis cognoſcit induſtria, ne fortè inſueta onera portantes, importabilia illis, quod abſit, fore videantur, & ad prioris vitæ veterem, quem exſpoliaverant hominem antiquo inſidiante adverſario relabantur. Et quidem, ſi inter eos tales inventi fuerint, qui ſecundum *ſtatuta canonica ſe per pœnitentiam macerare, & tanta commiſſa ſcelera dignis lamentationibus expiare maluerint, eos canonicè judicare non reſpuatis; ita in omnibus erga eos pervigiles exiſtentes, ut ante tribunal æterni judicis cum multiplici animarum fructu venientes, gaudia æterna cum B. Remigio adipiſci mereamini. Munus verò quod nobis veſtra fraternitas dirigere dignata eſt, eo dilectionis amore ſuſcepimus, quo à vobis fuit deſtinatum. Divina Majeſtas vos vobiſque ſubjectos ita concedat temporaliter vivere, ut intercedente B. Petro Apoſtolorum principe, omnium peccatorum veſtrorum vincula ſolvat, & ad cæleſtis regni gloriam ſine ulla offenſione perducat. Optamus ſanctitatem veſtram bene valere, & apud pijſſimum Dominum pro nobis pijs ſupplicationibus intercedere.

*aliàs Northmanna. *vera. *Equidem. *habentes. *converſationem *valeatis. *inſtituta.

HERIVEI REMORUM ARCHIEPISCOPI EPISTOLA ad Witonem Archiepiſcopum Rotomagenſem.

Qualis pœnitentia debet injungi non baptizatis Gentilibus, & baptizatis, & rebaptizatis, & poſtea more paganico Eccleſias devaſtantibus, & Chriſtianitatem delentibus, ex ſententijs Patrum, & Canonibus, & Decretalibus Pontificum Romanorum.

Reverendiſſime

*Reverendissimo ac dilectissimo fratri & Coarchiepiscopo Witoni * Heriveus Rhemorum Archiepiscopus, plurimam in omnium Salvatore Salutem, æternæque beatitudinis felicitatem.* * Rotomagensi

UT rogastis humilitatem nostram quærere divinis in oraculis, qualiter consulendum vobis foret his qui rebaptizati sunt, & æque ut ante baptismum juxta paganismi morem, quemadmodum sues sunt reversi ad volutabrum, & canes ad vomitum, ludicras voluptates nefando paganorum ritu exercuere, seu de illis qui nondum baptismum percipere meruerunt, prout quivimus satisfacere precatui vestro satagimus quantumve brevitas temporis sinit. Et ut unumquodque capitulum vobis facilius fieret ad reperiendum, capitulatim in hac scedula fecimus scriptum. Et quia *misericordiâ Domini plena est terra*, cui & Ecclesia per Apostrophen Psal. 37 precabiliter dicit: *Misereris omnium Domine, & nihil eorum odisti quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*; Sap. 11. Dignum duximus mirabile & misericordissimum Beati Joannis Apostoli & Evangelistæ factum, imo ipsius Domino opus pijssimum & consuetissimum hìc vobis ponendo brevissimè expromendum, quamvis vobis notissimum, & in Ecclesiastica historia latiùs digestum.

Cap. I.

Cum ipse Ephesum rediens vicinas lustraret & illustraret Provincias; vidit quemdam juvenem animis acrem nimis, quem loci illius Episcopo commendavit, qui & illi gratiam tradidit baptismi: Deinde confidens gratiæ, quâ fuerat communitus, eundem juvenem remissiùs habere cœpit; sed ille immatura libertate potitus, corruptæ viæ tramitem incedit; deinde à furtis mala quæque sensim incipiens, demum magister latronum in brevi effectus est, donec idem Joannes eundem locum tempore elapso invisens, à præfato requisivit depositum suum Episcopo. Et cum comperisset eundem absentatum esse juvenem, ascenso citius equo perquisivit eum, ac perquisito & fugitanti dixit Apostolus; Sta tantum & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens restitit; tum deinde tremefactus flebat amarissimè, & accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus & ululatibus, quibus poterat, satisfaciens, & uberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam: Apostolus vero jurisjurandi sacramento se ei impetraturum à Salvatore veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur tamquam jam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad Ecclesiam revocat, & indesinentes pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens crebra jejunia, indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, expetebat; nec prius abstitit, quàm eum in omnibus emendatum etiam Ecclesiæ præficeret.

Cap. II.

Juvat hìc & illud memorabile factum Beati Papæ Sylvestri erga Imperatorem Constantinum inserere, maximè propter jejunium hebdomadæ ab ipso ei indictum, *Sanctus*, inquit, *Sylvester inter cætera ad eundem dixit*

Cæsarem, Exige à te ipso hac una hebdomada jejunium, & deposita purpura intra in cubiculum tuum, ibique induere cilicio prostratus humo, & confitere te modo per ignorantiam errorem passum, ut Christianis persecutionem indiceres, & ipsum Salvatorem corporum & animarum Jesum Christum, non solùm loquendo, sed & credendo prænuntia, & pœnitere te multos sanctos Dei occidisse. Et paulò post; *Jube per totam hebdomadam eleemosynam fieri, beneficia etiam postulantibus exhibe, & idoneos qui hæc exequantur constitue.* Et post aliquanta, *Imposuit sanctus Sylvester manum suam super capite ejus* (*quin Augusti Constantini) *benedicens eum, ac faciens Cathecumenum. Tunc congregatis omnibus Presbyteris; & Diaconibus, cum universo Clero, indixit jejunium omni Ecclesiæ, dicens: Si Ninivitæ in prædicatione Jonæ per triduanum jejunium iram Dei, offensamque, quam promiserat, his debitam evaserunt, quanto magis nos in prædicatione Domini nostri Jesu Christi persecutiones evademus, lucramur animas, pacem Dei Ecclesijs adquirimus, & Idololatrijs finem imponimus? Hæc autem facimus jejunijs & orationibus, ut hæc à Deo impetremus*, &c.

* scilicet.

Cap. III.

Beatus quoque Gregorius in Evangelij homilia ad populum, *Si Deo*, inquit, *vivere in pueritia & juventute noluistis, saltem ad ultimam ætatem resipiscite, & ad vitæ vias, cum jam laboraturi multum non estis, vel serò venite.* Et paucis interpositis, *Plerumque tales ante remunerantur, quia prius ad regnum de corpore exeunt, quàm hi, qui jam in pueritia vocati esse videbantur. An non ad undecimam venit Latro? qui etsi non habuit per ætatem, habuit tamen serò per pœnam. Qui Deum in cruce confessus est, & pene cum voce sententiæ spiritum exhalavit vitæ. A novissimo autem reddere denarium paterfamilias cæpit, qui ad paradisi requiem prius Latronem quàm Petrum perduxit.* Item idem. *Regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Ab spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Præstat magnam veniæ fiduciam Latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde Latro: Nam Latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate rogo, cogitate quàm sint incomprehensibilia in omnipotente Deo misericordiæ viscera. Latro iste cruentis manibus abstractus à fauce itineris, suspensus est in patibulo Crucis, ibi confessus est, ibi sanatus est, ibi audire meruit: Hodie mecum eris in Paradiso*, &c. Qui rursus Petro Episcopo Corsicæ scribens ait? *Fraternitas vestra sollicitè studeat opus, quod cœpit, auxiliante Domino, ad perfectionem deducere, & sive eos, qui aliquando fideles fuerunt, sed ad cultum Idolorum, negligentiâ aut necessitate faciente reversi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum suum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc, ad quod adjuvante Domino revertuntur, quanto illud perfectè defleverint unde discedunt, sive eos, qui necdum baptizati sunt, admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo, quod ligna & lapides colere non debent: festinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare, ut in adventu ejus cum districtus dies judicij venerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inveniri. Quodcumque enim*

Luc. 23. Ibid.

utilius & sublimius acturus es, quàm ut de animarum vivificatione, & collectione cogitans, & tuo Domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? Et reliqua. Et alibi ad Mellitum Abbatem. *Quia gens Anglorum boves solet in sacrificio dæmonum multos occidere: debet etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviijs solemnitatem celebrent, nec Diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exteriùs reservantur, ad interiora gaudia consentire faciliùs valeant: Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est. Quia enim qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus non autem saltibus elevatur. Sic Israëlitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usum quem Diabolo solebant exhibere, in cultum proprium reservavit, ut eis in suo sacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio emitterent, aliud retinerent, ut & si ipsa essent animalia, quæ offerre consueverant, veruntamen Deo hæc & non Idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent.*

Cap. IV.

His non dissimilia de pœnitentium mitissima susceptione sanctus Ambrosius annectit, in libro qui inscriptus est pœnitentiæ: *Qui studet humanæ infirmitatis emendari vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere & quoquo modo pensare humeris, non abjicere. Nam Pastor ille Evangelicus lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Et Salomon ait: Noli justus esse nimium: Debet enim justitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio habeas, qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum? Ideo Dominus Jesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non ut deterreret, mitis venit, venit humilis: Denique ait: Venite ad* Matth.
me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Reficit ergo Dominus Jesus 11.
non excludit, neque abjicit, meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur; & cum ipsi quærant Domini misericordiam, alijs eandem denegant, ut sunt doctores Novatianorum, qui mundos se appellant. Quid his superbius? cum scriptura dicat; Quia nemo mundus à peccato, nec unius diei infans. Et David clamat; A delicto meo munda me. Psal. 18.
Et post pauca, *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.*

Cap. V.

Beatus docet breviter Augustinus, qualiter eis, qui præsunt, de quibuscumque hominibus pravis agendum sit, dicens: *Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, ut boni fiant, studiosiùs supplicandum, quia numerus sanctorum de numero semper auctus est impiorum.*

Cap. VI.

Legitur & ad locum in libro vitæ Beati Remigij Francorum Apoſtoli inter cætera, quibus refertur converſio Hludovici Regis, & populi ejus: *Ille* (quin ſanctus Remigius) *gaudio magno repletus, Regem, & populum qualiter diabolo, & operibus, ac pompis ejus abrenuntiare, & in Deum credere deberent, apertis & brevibus verbis inſtruxit: & quia dies ſancti Paſchæ imminebat, jejunium ſecundum Chriſtianorum conſuetudinem eis indixit.* Hinc & in Beati Pontificis Vedaſti vita invenitur; quomodo in via ſub præſentia ejuſdem Regis & populi, vir Dei Vedaſtus cæcum illuminaverit; & quemadmodum idem Rex ad baptiſmum venerit, & in Remenſi civitate virum Dei Vedaſtum ſancto commendaverit Remigio, *Rex*, inquiens, *à viro Dei Evangelicis apprimè imbutus doctrinis, & huic præſenti miraculo in fide firmiter confortatus, nil moratus in via, nil dubitans in fide, ſed magna alacritate animi, magna feſtinatione itineris ſanctiſſimum Pontificem Remigium videre properavit, ut illius ſacratiſſimo miniſterio, Spiritu ſancto operante, in remiſſionem peccatorum, & ſpem vitæ æternæ Catholici baptiſmatis vivo ablueretur fonte, cum quo aliquantis moratus diebus, ut Eccleſiaſticis ſatisfaceret functionibus, & pœnitentiæ, ſecundum Apoſtolicum præceptum, prius ablueretur lachrymis, dicente Beato Petro principe Apoſtolorum; Pœni-*
Act. 2. *tentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti: & ſpe in nomine ſanctæ Trinitatis cæleſtis myſterij baptiſma ſuſciperetur.*

Cap. VII

De quodam Apoſtata reperitur in miraculis Beati Baſilij Cæſarienſis Epiſcopi, quia ſcripto negavit Chriſtum, & Diabolo teſtimonium negationis ſuæ tradidit ſeipſum, cui idem vir mirabilis Baſilius inter cætera dixit: Vis reverti ad Dominum Deum noſtrum? ad quem puer; Utique volo, ſed non valeo; Dicit ei, quare? reſpondit puer; Scripto abnegavi Chriſtum, & profeſſus ſum Diabolo. Dicit ei ſanctus Baſilius; Non ſit tibi curæ; benignus eſt enim Deus noſter & recipiet te pœnitentem: Compatitur enim malitijs noſtris. Et quibuſdam interpoſitis dicit ad puerum idem ſanctus; Credis ſalvari? qui ait; Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam; & continuò apprehendens manum ejus, faciens Chriſti ſignum in ipſo, & orans recluſit eum in uno loco interioris ſacri periboli, & dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies. Et poſt aliquanta; Quadrageſimo die ipſe ſanctus ad eum redijt, & dicit ei, Quomodo habes, frater? reſpondens dicit ad eum? bene habeo, ſancte Dei. Vidi enim te hodie in viſu pugnantem pro me, & vincentem Diabolum. Et iterum mane facto vocavit ſacrum Clerum, & monaſteria, & omnem Chriſto amabilem populum, & dixit eis: Filioli mei dilectiſſimi, omnes gratias agatis Domino: ecce enim ovem perditam debet Paſtor bonus in humeris reportare, & efferre Eccleſiæ. Quapropter debitum eſt, & nos vigiliam facere nocte, ac poſtulare ejus benignitatem, ut non vincat corruptor animarum etiam in hoc facto; & alacriter populo coaggerato, per omnem noctem poſtulaverunt Deum cum bono Paſtore, cum lacrymis clamantes pro eo, *Kyrie eleyſon*, & maturè

cum omni multitudine populi accepit sanctus puerum, & tenens dexteram manum ejus, ducebat illum in sanctam Dei Ecclesiam cum Psalmis & hymnis: & Ecce Diabolus oculos omnium fascinans in tristem vitam cum omni perniciosa virtute advenit, & visibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de manu sancti, & cœpit clamare puer; Sancte Dei adjuva me: Et rursus conversus sanctus ad Diabolum dixit; Improbissime, & animarum corruptor, pater tenebrarum & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, quâ te, & eos, qui sub te sunt, affecisti, nisi etiam & Dei mei tentes plasma? Et perpaucis interpositis; Sanctus Dei ait ad Diabolum: Increpat te Dominus, Diabole? Qui respondens ait ad eum; Basili, præjudicas me? Non abij ego ad eum, sed ipse venit ad me: Abnegavit Christum, & professus est mihi, & ecce manuscriptum habeo, & in die judicij ad communem Judicem eum duco? Sanctus Dei dixit: Benedictus Dominus Deus meus: Non deflectet populus iste manus de altitudine cœli, donec reddas manuscriptum, & convertens se dixit populo: Erigite manus vestras in cœlum clamantes cum lacrymis: *Christe*, *Kyrie eleyson.* Et stante populo in horam multam, extensas habente manus in cœlum: ecce manuscripta pueri per aërem delata, & ab omnibus visa, venit, & imposita est manibus memorabilis nostri Patris & Pastoris. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gavisus factus est valde, & coram omni populo dixit ad puerum. Cognoscis litterulas has frater? qui ait ad eum: Etiam, sancte Dei, manuscripta mea est, & disrumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad Ecclesiam, & dignum fecit eum sancto ministerio, & communione mysteriorum & munerum Christi.

Cap. VIII.

Inter alia scriptum habetur in passione Beati Laurentij Archylevitæ & Martyris Christi; Erat homo in carcerali custodia multo jam tempore Gentilis, qui plorando amissis oculis cæcus factus fuerat. Dixit ad eum B. Laurentius; Si credis in Filium Dei Dominum Jesum Christum, baptizare, & illuminabit te, & continuò post ipsius confessionem baptizato, aperti sunt oculi ejus, & cœpit clamare dicens: Benedictus Dominus Jesus Christus Deus æternus, qui me illuminavit per Beatum Laurentium; quia fui cæcus, & modo video. Post hæc, & Beatum Hyppolitum more solito catechizatum, & acceptâ aquâ benedixit, & baptizavit illum. Deinde simili modo militem baptizavit Romanum, qui & baptizatus mox martyrio est coronatus.

Cap. IX.

Scriptum est & in passione S. Sebastiani ad locum. Cùm omnes, qui ad decipiendos sanctos (quin Marcum, & Marcillianum) venerant, unanimiter crederent Christum: Nicostratus cum conjuge sua urgebat dicens: Non capiam cibum neque potum, nisi mysterium mihi Christianæ religionis fuerit traditum; Cui sanctus Sebastianus dixit; Muta dignitatem tuam, & incipe esse Christi magis Primiscrinius quàm Præfecti. Audi itaque consilium meum, & omnes quos carcer inclusit, quos vincula tenent, qui ergastula conficiunt, in unum redige, quod cùm feceris, Antistitem sacro-

ſanctæ legis adhibeam, ut cum omnibus, qui credere voluerint myſterij ſuſcipias ſacramentum. Si enim Diabolus Chriſto ſanctos ejus auferre conatus eſt & conatur, quanto magis nos pietatis argumento hos, quos Diabolus injuſtè lucratus eſt, curare debemus, & ſuo reſtituere Creatori? Et Nicoſtratus ad hæc reſpondit dicens: Quomodo iniquis & criminoſis poſſunt ſancta committi? Sanctus Sebaſtianus ait; Salvator noſter pro peccatoribus ſuam nobis dignatus eſt exhibere præſentiam, & oſtendit myſterium per quod omnia peccata & crimina omnia hominibus auferantur, & omnes virtutes Domini conferantur. Et poſt multa: Sanctus Sebaſtianus abijt ad Polycarpum ſanctum Preſbyterum, ubi erat cauſa perſecutionis occultus, & narravit ei omnia quæ geſta ſunt: Quibus auditis, Polycarpus gratias egit Deo, & unà cum eo venit ad domum Nicoſtrati, & videns turbas credentium ſalutans eos cum omni gaudio, ait; Beati vos omnes qui audiſtis vocem Domini noſtri Jeſu Chriſti dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Vos itaque, fratres noſtri, quos baptiſmatis unda diluit, & conſecrando Deo omnipotenti chariſſimos filios fecit, pro hoc quod à propoſito ſuo ſancto revocare conati eſtis beatiſſimos milites Chriſti, opus vobis erat pœnitentia, ut per ipſam ad indulgentiam veniretis. Nunc autem, quia ad tantam gloriam acceſſiſtis, ut etiam ad paſſionem, à qua dolenter alios revocare voluiſtis, ad ipſam deſideratis gratanter velle currere & libenter; vetus hoc Chriſti artificium eſt: Nam ipſum, quem vas electionis ſuæ eſſe dignatus eſt, & voluit magiſtrum gentium dare, quia non ſolùm fidelium animos à peccatis propoſito revocabat, ſed etiam nolentes à Chriſto diſcedere lapidibus obruebat, hunc nobis ipſe Dominus Apoſtolum condonavit, tribuitque nobis ex Saulo Paulum, ex Apoſtata fecit Apoſtolum, & dedit Eccleſiæ ex perſecutore rectorem. Amator paſſionis factus eſt qui perſecutionis auctor extiterat; & qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur, in ſuis poſtmodum perſecutionibus lætabatur. Ipſe qui tunc in Apoſtolo ſuo virtutem iſtam exercuit, ipſe nunc de ipſo inferorum conclavi, & ex ipſis draconum faucibus animarum veſtrarum captivitatem eripuit, & vobis nunc à tenebris ad lucem remeantibus æternæ vitæ januas patefecit. Quia ergo omnes dæmones, qui ſunt tenebrarum filij, contriſtantur, & omnes ſancti Angeli, qui ſunt filij luminis, gratulantur, accedat unuſquiſque, & det nomen ſuum, ut hodierno die uſque ad veſperum, perducente jejunio, feſtivum baptiſmatis ſacramentum opportunum tempus inveniat. Et iterum; Omnis familia, quæ erat in domo Nicoſtrati animæ XXXIII. promiſcui ſexus & ætatis: de hinc omnes qui vincti, ac de carceris ſqualore adducti, animæ XVI. omnes iſti XLIX. à ſancto Polycarpo Preſbytero baptizati, & à S. Sebaſtiano ſuſcepti ſunt.

Matth 11.

Cap. X.

Juxta ſalutiferam & firmiſſimam fidei Catholicæ doctrinam in toto terrarum orbe unanimiter ac fideliter ab omnibus conſervandam, quod de car-

nali, hoc etiam de ſpiritali generatione ſentiendum, nequaquam videlicet eam, poſtquam ſemel expleta fuerit, poſſe repeti. Sive enim hæreticus, ſive ſchiſmaticus, ſive facinoroſus quiſque in confeſſione ſanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui ita baptizatus eſt, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confeſſio vel exhibitio tanti nominis videatur annullari.

Cap. XI.

De his, quibus dubium eſt, utrum baptiſmum perceperint, neceſſe eſt ut renaſcantur, ex decretis Papæ Leonis. Si nulla exſtant inter propinquos *cap. 28.* aut familiares indicia, nulla inter Clericos aut vicinos quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, eſt ut renaſcantur, ne manifeſtè pereant, in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe quòd ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quód ab eorum parentibus dabatur acceperant: Sed ſi hoc etiam ab ipſa memoria alienum eſt, conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur; quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.

Cap. XII.

Captivis cibos immolatitios neceſſitate comedentibus pœnitentia concedenda, ex decretis ejuſdem Papæ Leonis. De his Chriſtianis, qui inter *cap. 46.* eos, à quibus fuerant captivati, immolatitijs cibis aſſeruntur eſſe polluti, *conſultationi charitatis tuæ hoc etiam reſpondendum eſſe credimus, ut pœnitentiæ ſatisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda eſt; & ſive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum, cum hujuſmodi cibus pro metu aut indigentia, non pro religionis veneratione ſit ſumptus.

* conſolationi.

Cap. XIII.

De laïcis, qui Deum negaverunt, & de his qui abrenuntiaverunt, & iterum ad ſæculum ſunt reverſi, ex Concilio Nicæno. De his qui præter *Can. 11* neceſſitatem prævaricati ſunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujuſmodi, quod factum eſt ſub tyrannide Licinij, placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & ſex annis omni ſe contritione dejiciant; duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent.

Cap. XIV.

Ex Concilio Carthaginenſi. Gratus Epiſcopus dixit; Si vobis placet, *Can. 1.* conſideremus primum titulum rebaptizationis; unde ſanctitatem veſtram poſtulo, ut mentis veſtræ placita producatis ad deſcendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate ſecundum Evangelij fidem, & Apoſtolorum doctrinam; & confeſſum bonam conſcientiam in Deum de Reſurrectione Jeſu Chriſti, ſi liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aquam iterum tingi. Univerſi Epiſcopi dixerunt; Abſit, Abſit. Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes, & ſatis eſſe alienum à fide & Catholica diſciplina.

Cap. XV.

De his qui timore, ritus Gentilium peregerunt. Quotquot aſcenderunt *Concil. Ancyr. Can. 5.*

templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducaverunt flentes, si compleverint pœnitentiam triennij temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, ut ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa non manducaverunt, biennium maneant in pœnitentia: tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, ut dictum est, ut quarto jam anno perfectionem suam percipiant. Episcopum autem hinc habere licentiam oportet, ut pro his peccata singulorum consideret, & prout viderit conversationem, normam regulamque conversionis attribuat, id est, ut humanius agens, secundum vitæ modum tempus alicui breviare, aut etiam prolixius, quod correctioni necessarium viderit, addere. Discutiatur autem omnium horum & præcedens vita & posterior, & ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.

Cap. XVI.

Can. 7. De his qui frequenter Idolis immolaverunt, ex Concilio Ancyrano. De his qui festis diebus paganorum in remotis eorum locis convivijs interfuerunt, & suas nihilominus epulas ibidem portaverunt atque comederunt, placuit, ut post biennij pœnitentiam suscipiantur, ita tamen, utrum aut cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant, unusquisque Episcoporum examinet vitam eorum, & præterita ac præsentia, debita consideratione perpendat.

Cap. XVII.

Can. 8. De his qui coacti Idolis immolaverunt, ex eodem Concilio. Hi qui secundò aut tertiò sacrificaverunt coacti, quatuor annis sese ad pœnitentiam summittant, duobus autem alijs sine oblatione communicent, septimo anno perfectionem recepturi communionis.

Cap. XVIII.

cap. 30. De his qui convivio Gentilium & escis immolatitijs usi sunt, ex decretis Papæ Leonis. Si convivio solo Gentilium & escis immolatitijs usi sunt, possunt jejunijs & manus impositione purgari, ut deinceps ab Idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem Idola adoraverunt, aut homicidijs vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

Cap. XIX.

cap. 47. Quòd hi qui ad iterationem baptismi, vel vi, vel timore coacti, animos inclinaverunt, pœnitentiæ sunt sublevandi remedio, Leo Papa ad Nicetam Aquileïensem Episcopum. Hi, de quibus dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum, vel metu coacti, vel errore traducti sunt, & nunc se contra Catholicæ fidei sacramentum egisse cognoscunt ea est constituenda moderatio, quæ in societatem nostram non nisi per pœnitentiæ remedium & per impositionem Episcopalis manus; communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis habita moderatione tuo constituenda judicio, prout conversorum animos inspexeris esse devotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque, aut ægritudinum respicientes necessitates, in quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, ne de salute ipsius desperetur, oportet

tet ei per ſacerdotalem ſollicitudinem communionis gratiæ * ſalvari. * ſubveniri.

Cap. XX.

Legitur in Actibus Apoſtolorum, quòd *quidam deſcendentes de Judæa, docerent fratres oportere circumcidi, & ſervare legem Moyſi. Apoſtoli tamen & ſeniores cum omni Eccleſia juſſerunt, nihil oneris ultra eis imponentes, ut abſtinerent ſe ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocatis, & fornicatione.* cap. 15.

Cap. XXI.

Ut cum Donatiſtis, qui ab omnibus Catholicis, ſicut ab univerſo terrarum orbe erant damnati, leniùs ageretur, ex Concilio Africano. Pertractatis & conſideratis omnibus, quæ utilitati Eccleſiæ convenire videbantur, annuente atque adminiſtrante Spiritu Dei, legimus cum memoratis hominibus, quamvis de Dominici corporis unitate inquieta diſſenſione præciſis, leniter & pacificè agere, ut (quantum in nobis eſt) omnibus, qui eorum communione & ſocietate irretiti ſunt, per univerſas Provincias Africanas penitus innoteſcat, quàm miſerabili errore devincti ſunt, niſi forte (ſicut dicit Apoſtolus) nobis in manſuetudine corripientibus, diverſa ſentientes, *det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant de diaboli laqueis, captivati ab ipſo in ipſius voluntate.* *cap. 33.* 2. Tim. 2.

Cap. XXII.

Quòd nulli ſit ultima pœnitentia deneganda ex Epiſtola Papæ Cœleſtini ad Epiſcopos Galliarum: Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſiderijs annui, qui obitus ſui tempore, hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem redimere, quo ſe ille expediri deſiderat & liberari. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quàm morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? Cum Deus ad ſubveniendum paratiſſimus, invitans ad pœnitentiam ſic promittat: *Peccator,* inquit, *quacumque die converſus fuerit, peccata ejus non reputabuntur ei.* Et iterum; *Nolo mortem peccatoris, ſed tantum ut convertatur & vivat.* Salutem ergo homini adimit, quiſquis ei mortis tempore pœnitentiam denegarit: & deſperavit de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſuccurrere, vel in momento poſſe non credidit. Perdidiſſet Latro in cruce præmium ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet, cum eſſet in pœna pœnituit, & per unius ſermonis confeſſionem habitaculum paradiſi Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potius eſt æſtimanda quàm tempore, Propheta hoc taliter aſſerente; *Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Cùm ergo Dominus ſit cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cùm illi ſe obliget judici, cui occulta omnino noverit revelari.* *cap. 15.* Ezech. 18. Ezech. 3. & 33. 1. Reg. 16. Hier. 17.

Cap. XXIII.

In libello qui ſuperſcriptus eſt, Pœnitentialis Bedæ Preſbyteri venerabilis. Solerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut in

universis quæ hic adnotata repererit, sexum, ætatem, conditionem, statum, personam, ipsum cor pœnitentis curiosè discernat; & secundum hæc, quod sibi visum fuerit, singula quæque judicet; quibusdam namque à cibis abstinendo, alijs eleemosinas dando, nonnulli flectendo sæpiùs genua, sive in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi, quod ad purgationem peccatotum pertineat, faciendo: plurimis universa hæc agenda sunt; necesse est errata corrigere, quæ universa in examine discreti debent pendere judicis. Semper in Christo felici successu præpolleat, & omnibus in bonis vigeat reverenda & percolenda germana caritas vestra, memor nostri in orationibus suis, & universæ Ecclesiæ nostræ.

---

41 * FRANCO Rollonem primum Normanniæ Ducem sacro baptismate ex crudelissimo Ecclesiæ persecutore Christi fidelissimum cultorem fecit, ac cum eo præcipuum illius nobilitatis, & totius gentis partem Ecclesiæ adjunxit, quam postea amplissimis muneribus ipse Dux cum Optimatibus donavit, ut pia liberalitate dãna, quæ priùs intulerant, quodammodo resarcirent ipse & posteri ejus, quod revera magnificentiâ prorsus regali ubique ab eis præstitum fuit; ut meritò de ijs dici potuerit: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Rolloni suasit FRÃCO ut sacras D. Audoëni reliquias in illius Monasterium referendas curaret, cui translationi anno 918 factæ uterque præsens fuit.

Rom. 5. v. 20.

Habetur in fine scriptorum Historiæ Normannicæ Quercetani Officium ad Ducem constituendum, id est, ritus ac preces, & ceremoniæ adhiberi solitæ, ubi Duces inaugurabantur; quas qui videre voluerit consulat pag. 1050.

42. * GUNHARDUS, qui & GUNTHARDUS novellas plantationes, quas ambo præcessores sui tam feliciter agro Ecclesiæ severant, per 41 annos, quibus præfuit, pijs laboribus feliciter coluit & rigavit, nullus ut dubitandi locus supersit, quin divino aspirante numine expectatum sumpserint incrementum.

43. * HUGO II. S. Dionysij Monachus habitu, non opere, Guillelmi longâ spathâ voluntate ad Sedem Metropolitanam evectus, sub ovina Monachi veste optimum Principem, & de Ecclesia Rotomagensi alioquin bene meritum turpiter delusit, ut *qui postpositis sanctæ Regulæ institutis* (ut Chronicon S. Ebrulphi notat) *carnis petulantiæ se omnino contulit, filios enim quàmplures procreavit, Ecclesiam & res Ecclesiæ destruxit. Todiniacum & Douvrendium ab ejus dominio distraxit*; qua in re non sponsi sed adulteri, non tutoris sed prædonis, non pastoris sed rapacis lupi personam egit per longissima temporis intervalla, ut qui 46. annis Sedem occupasse scribatur.

44 * ROBERTUS I. Richardi senioris Normannorum Ducis ex Gonnore filius; primus Eburovicum Comes, Hugonem 2. in Archiepiscopatu excepit anno Domini 988. Cujus ad Sedem Archiepiscopalem promotio Ecclesiasticis alioqui Regulis contraria, vel ex eo fausta fuit, quòd Richardo parenti causam præbuerit legitimum cum Gonnore conjugium ineundi. Ipse ROBERTUS citra Ecclesiæ leges in sacrilego conjugio ad provectam usque ætatem vixit, plurimosque ex eo liberos cum ingenti dedecore Pontificalis dignitatis suscepit. Cæterùm varia admodum & vitijs ac virtutibus permixta vita ejus extitit. Veruntamen vergente in senium, ætate largissimis anteactæ vitæ peccata eleemosinis redimere, culpasque diluere contendit, erga pauperes benignus, ad Ecclesias & Monasteria beneficus; In primis verò Cathedralem Basilicam Virginis Deiparæ nomini sacram ingentibus expensis à fundamentis inchoavit, & magna ex parte consummavit. Fiscanensem Ecclesiam à Richardo patre constructam primo sui Pontificatus anno cum Suffraganeis Præsulibus solemni pompâ dedicavit, atque è propria ac Successorum suorum potestate

agente Richardo patre exemit. Eo ſedente eadem Eccleſia pulſis à Richardo 2. fratre Canonicis, ac ampliſſima dote auctâ in Benedictinorum Monachorum Cœnobium transformatnr; ejuſque privilegium Immunitatis, jam antea à Richardo conceſſum, ſuâ ac totius Synodi Suffraganeorum ſuorum autoritate confirmavit. Inter præcipuos ſancti Petri Carnutenſis Benefactores, ut de Aſceterio optimè meritus annumeratur. Ejus non minima laus eſt, quòd Olaüm Norvegiæ Regem, qui Richardo 2. adverſus Odonem Carnutenſem ſuppetias laturus venerat, Chriſtianis legibus imbutum ſacro baptiſmate initiavit. Denique cùm annos 48 in Antiſtite Principem geſſiſſet, utrumque cum vita exuit cùm vitæ dedecora ſalutari pœnitentiâ expiaſſet: vir alioqui inſigni probrorum varietate memorabilis; verè tamen felix, quòd laſcivæ juventutis delicta ſerâ quidem, ſed feriâ pœnitentiâ decoxerit, devotoque fine quieverit; quem in Baſilica ſancti Petri Carnutenſis Cœnobij ſepultum juxta ſacrarium tradunt veteres Regalis hujus Cœnobij membranæ. Conventus Epiſcopales eo Pontifice habitos recenſere aggrediamur.



CONVENTUS INSIGNIS EPISCOPORUM,

Qui ad Fiſcanenſis Baſilicæ Conſecrationem à Roberto I. Rotomagenſi Archiepiſcopo celebrandam confluxerunt Anno 990.

Ex Manuſcripto Fiſcanenſi.

De eo in Notis ad Joannem Abrincenſem pag. 2.

RIchardum primum Inſtauratorem agnoſcit Fiſcanenſis Eccleſia: quam enim ſolo penitus æquarant præteritæ Danorum clades, Is eâ pietate ac munificentiâ quâ Chriſtianiſſimum Principem decuit, à fundamentis erexit, ampliſſimis ditavit poſſeſſionibus ac pretioſa ſupellectili exornatam Canonicorum Collegio attribuit, ejus reſtaurationem ſtylo cultiore exhibet codex manuſcriptus Cœnobij Fiſcanenſis, unde pauca hæc ex pluribus excerpſimus.



TAli igitur ac tanto flagrantis Ducis deſiderio, brevi intervallo ſanctæ & individuæ Trinitatis glorioſum templum perficitur decorum illa qualitate & quantitate, quam peritorum artificum diligentia, illo tempore, majorem & pulchriorem valuit excogitare. Sancti oraculi inteſtini parietes hiſtorialiter depinguntur, laquearia verò concathenatis floribus admirandæ compaginationis variato opere diſtinguuntur. Exquiſito ergo totius decoris ornamento parietes templi ſinguli expoliuntur, & in ſuæ proprietatis pulchritudinem perfectam & perfectionem pulchram deducuntur & conſummantur. Quocirca Dux exhilaratus ſuæque voluntatis judicio

completi operis speciem respondere admiratus, vasis & ornamentis aureis & argenteis novam Ecclesiam multipliciter ditavit: cortinarumque sericarum, linearum atque lanearum triplici adornatione copiosissimè vestivit; miroque modo & sacri Altaris ornamentis & sacerdotalibus indumentis aureis & gemmis honoravit & ampliavit. Quibus omnibus Ducis nimia liberalitate compositis & completis, totius Normaniæ aliarumque Provinciarum Principes & Episcopi convocantur & congregantur, atque in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis consummata Ecclesia dedicatur & intitulatur.

Episcopos 14. designat vetustissimus Codex manuscriptus Domini Bigot nondum hactenus editus, unde hæc observare lubet: in primis annum dedicationis, diem, dotem Canonicis Ecclesiæ à Richardo constitutam; & ea quæ in descripto infra Diplomate enunciantur, hac ipsa die peracta esse palam demonstrant: Privilegium nempe à Principe sancitum ab Episcopis eo nomine congregatis firmatum. Codicis hæc sunt verba.


Præparatis igitur memoratus Dux omnibus quæ dedicationi necessaria erant, convocatis 14 Episcopis cum magno gaudio, anno à Dominica Incarnatione 990. 17. Kalendas Julij prædictam Ecclesiam dedicaverunt feliciter. Dedit itaque illo die Richardus Dux in donum ipsi Ecclesiæ & Clericis ejus Argentias & Amondivillam cum omnibus quæ ad ea pertinent &c.

Quæ vetustate corrosa legi nequeunt. Diploma autem à Richardo editum, in Fiscanensi Carthophilacio asservatur sub hac forma.

QUONIAM priorum Patrum sanctione nec non decreto bonorum hominum &c. Ego Richardus consul meo posse, quem sibi ascivit cunctipotens Deus, qui est Trinitas, & unitas suâ misericordiâ præveniente, non proprijs meis exigentibus meritis & sua mihi largitus est gratis, opto esse fidelis; & confero ei in hoc loco qui dicitur Fiscannus in honore sanctæ Trinitatis dicato de bonis ab eo mihi indigno datis, videlicet Amondivillam &c. Constituo etiam atque confirmo donante, concedente atque laudante Roberto Rotomagensi Archiepiscopo hanc Ecclesiam in honore sanctæ Trinitatis dicatam & 12 Ecclesias ad eam pertinentes ab omni Episcopali consuetudine immunes & liberas; quatenus nulli Archiepiscopo futuro in istis 13 Ecclesijs quidquam justæ vel injustæ dominationis aut exactionis concedatur, nisi quod Fiscanensis permiserit atque laudaverit universaliter Conventus. Qua de re accitis totius nostræ Diœcesis Episcopis Roberto scilicet sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ

Archiepiſcopo, nec non & Radulpho ſanctæ Bajocenſis Eccleſiæ Præſule, atque Hugone Conſtantiæ Eccleſiæ Præſule, Geraldo quoque ſanctæ Ebroacenſis Eccleſiæ Paſtore. Rogerio quoque Liſoïenſis Eccleſiæ Præſule, Norgoto quoque ſanctæ Abrincatenſis Eccleſiæ Epiſcopo, cum aſſenſu fidelium noſtrorum hoc egimus: ut ſi quis ab hodierno & deinceps hoc contradixerit, vel hanc ſtipulationem violaverit, à ſupradictis Epiſcopis ex autoritate Patris, & Filij, & Spiritus ſancti &c. ſint ſegregati & maledicti &c.

Signum Ricardi Comitis.
Signum Willelmi Comitis.
Signum Godefredi Comitis.
Signum item Willelmi.
Signum Madelgeri.
Signum Roberti.
Signum Radulphi Abbatis.
Sig. Hildeberti Abbatis S. Audoëni.
Sig. Radulphi fratris Richardi Comitis.
Signum Rogerij.
Signum item Radulphi.
Signum Torſtingi. &c.



SYNODUS ROTOMAGENSIS

INCERTI TEMPORIS,

In qua ſtatutum eſt Privilegium Immunitatis à Roberto Rotomagenſi Archiepiſcopo conceſſum Eccleſiæ de Fonte-nido, quæ eſt juris S. Petri Carnutenſis.

EX antiquis ſancti Petri Carnutenſis monumentis deprehendimus Synodum quamdam à Roberto Rotomagenſi & Suffraganeis ejus habitam, cujus nullum ſupereſt veſtigium præter Privilegium Immunitatis Eccleſiæ de Fonte-nido conceſſum, cujus extat Diploma in veteri tabulario Haganonis Cœnobij ejuſdem, hujus tenoris.




DEo & Domino noſtro Jeſu Chriſto præſidente decernimus, Ego Robertus Dei gratiâ Rotomagi Archipræſul, & Coëpiſcopi noſtri Herbertus Liſiviæ civitatis, Rodbertus Conſtantiæ, Radbodus Saxiæ, Hugo civitatis Ebroïcæ, Decernimus inquam atque ſancimus ut Eccleſia de Fonte-nido pro amore & honore Sancti Petri Apoſtoli, Principis * noſtri, ab hac die in perpetuum ab omni ſit inquietudine tam Epiſcopi quàm Archidiaconi remota eodem modo, quo Egeſiaci cella ſancti Petri Carnotenſis Seneburcvilla Eccleſiæ eſt ſubjecta, &c. Et ut hæc notitia inconcuſſa per-

* al. Apoſtolorum & magiſtri.

maneat, manibus nostris eam roboravimus, signo quoque & nominibus corroboravimus, & Gasselino Archidiacono qui sub me propiùs intererat consignandam & confirmandam, & alijs Clericis, & laïcis nostris proposuimus &c. Hanc autem sugillationem, vel (ut ita dicam) sigillationem singuli singulorum nominibus Coëpiscoporum subscribi decernimus.

Robertus Archipræsul qui hoc opus pietatis incepit & perfecit.
Robertus Constantiæ.
Rodbertus Lisiviæ.
Radbodus Saxiæ.
Hugo Ebroïcus.
Maingisus Abrincarum.
Willelmus.
Richardus.
Rodulphus.
Hugo.
Wasselinus Archidiaconus.
Henricus Abbas S. Audoëni.
Balduinus Archidiaconus.
Henricus Presbyter & Decanus.
Rodulphus Capellanus.
Herluinus Levita & Canonicus.
Corbutio.
Guillelmus Pascharius Capellanus.
Rodulphus de S. Samsone.
Atto Levita & Capellanus.
Odo Præpositus.
Odo Levita & Osmundus Tuteborti.
Rogerius filius Humfridi.
Leschelinus.
Guidmundus Parvus.
Rogerius filius Odonis Præpositus de Noviomo.
Albertus Ostiarius.
Rodulphus filius Osberti.

Ex Diplomatis hujus subscriptionibus Rotomagi habitam esse Synodum, nec eo solùm nomine congregatam par est credere, ut Privilegio Immunitatis Ecclesia rusticana donaretur, qualis est Ecclesia de Fonte-nido, quæ juris est sancti Petri Carnutensis in pago Vilcassino, atque etiamnum Fons sancti Petri appellata; sed alijs de causis Episcopos ad Ecclesiam Metropolitanam convenisse, ut per se patet, quid porro ibi agitatum, non perinde constat.



CONVENTUS FISCANENSIS ALTER,

In quo Richardus II. Synodali Decreto Episcoporum ac Procerum Normaniæ Cœnobij Fiscanensis Institutionem ac Privilegium Immunitatis confirmat Anno 1027, Joannis XIX Papæ 3, Indictione 9. Regnante Roberto Francorum Rege anno 30, Richardi II. Normanorum Ducis 29.

Conventus hujus meminit manuscriptus Codex Fiscanensis, qui de Canonicorum Fiscanensium abdicatione, ac Monachorum Benedictinorum subrogatione agit, causasque mutationis hujus commemorat, sic autem causas procurandæ Immunitatis prosequitur.


Ensit igitur Dux inclitus quorumdam Clericorum corrosiones & detractiones, præsagijque cujusdam futuras adversitates, quas ob Ducis nimiam caritatem & sanctæ Ecclesiæ maximam religionem invidiæ morbus infecerat, infectosque crudeli intestini livoris molestia cruciabat. Horum ergo malevolentiam detrahentium Dux comperiens, Clericorumque præsumptiones superbas & præsumentes superbias cognoscens; totius Normaniæ Episcopos & viros nobiles festinus Fiscanum convocavit, & Fiscanensem sanctæ Trinitatis Ecclesiam ab omni Episcoporum jugo & consuetudine justa, vel injusta eripuit & liberavit. Hanc autem libertatem Archiepiscopus fecit & fieri voluit, atque alias 13 Ecclesias ob Patris sui memoriam & Fratris præsentis jussionem ac voluntatem ab omni Episcopali consuetudine & exactione absolvit & liberavit. Donatæ libertatis Chartam Archiepiscopus alijque Episcopi signo & consensu corroboraverunt, atque corroboratam virorum nobilium adstipulationibus tradiderunt. Cupiens ergo Dux sanctam Ecclesiam modis omnibus confirmare & præmunire, Robertum Regem & multos Galliarum proceres Fiscanum accersivit, atque Regali Charta & autoritate, suorumque æqualium consensu & adstipulatione ab omni Episcoporum jugo & consuetudine Fiscanensem Ecclesiam eripuit & liberavit, & suam suorumque nobilium Chartam & ordinationem firmavit & corroboravit. Hactenus Codex Fiscanensis.

Æram porro editi ea de re à Richardo Privilegij exhibet authenticum ejus Diploma in Archivo Fiscanensi hactenus asservatum; hujus tenoris.

Propria divinæ gratiæ clementiâ Ego Richardus Normannorū Dux omnibus Christi fidelibus toto orbe terrarum longe lateque diffusis &c. cum hac inscriptione ad extremum. Data mense Augusto considentibus nobis Fiscanensi Palatio. Anno ab Incarnatione Domini 1027. Indictione 8. Regnante Roberto Rege anno 30.

Sig. Normannorum Ducis Richardi.
Signum Roberti Archiepiscopi.
Ego 3us Richardus hoc signo confirmo.
Hoc ego Richardus signum crucis faciendo † hujus donationis meæ Chartam confirmo, stabilio, approbo.
Ego Maugisus Episcopus Abrincensis subscripsi.
Ego Hugo Ebroïcensis subscripsi.
Hugo Bajocensis subscripsi.
Signum Richardi filij Gilberti.
Signum Nigelli Vice-Comitis.
Hugo Cancellarius scripsit & subscripsit.
Signum Torstingi Vice-Comitis.

FINIS.

ROBERTO duas Epiſtolas Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ſcripſit, mihi 52 & 56, nempe tomo 3 Bibliothecæ Patrum pag 1644. In prima agit de Galereno nobili, qui à conjuge ſua ſeparari contendebat; mandat quid de ea re cenſet, ac pollicetur ſe Canones quos poſtulat miſſurum.

Venerabili Rotomagenſium Archipræſuli R. Fulbertus humilis Epiſcopus, ſi quod valet orationis ſuffragium.

PROCACITAS G. cujus mihi mentionem feciſtis, ſatis ſupérque fatigavit me de novis connubijs expetendis: ſed ego ſemper obſtiti; dicens non licere ei ſuâ uxore vivente alteram uſurpare. Nunc ergo tandem rogavit me ſeu callidè, ſive ſimpliciter, ut ſibi aut uxorem ſuam fugitivam redderem, aut eam ſi reniteretur excommunicarem. Alioquin diceret quòd ego & illa faceremus eum mœchari. Conventa igitur de hac cauſa mulier, reſpondit mihi nunquam ſeredituram ad illum: & quia certò noverat mores ſuos cum moribus G. convenire non poſſe, velle ſe potiùs renunciare ſæculo & Monacham devenire, tantum Galerenus ſibi vel centum libras nummorum Carnotenſium ferendas ad Monaſterium daret. Ego autem inter hæc Monacham illam nec fieri prohibeo, nec compello, ſed nec ut ad virum odientem peritura redeat, coarctare præſumo. G. autem ſæpe mittit ad me licentiam ineundi connubij novi, petens illam ſe gurpiſſe, ſuámque pecuniam recepiſſe, licet verè proteſtans. Ego verò interdico ei licentiam iſtam, donec uxor ejus aut Monacha facta ſit, aut defuncta. Quorum utrum prius futurum ſit, neſcio. Si ergo de hac cauſa meum conſilium vultis, quod ego facio, idem ſuos facere ſuadeo, hoc adjiciens, ut ſi cauſam hanc acri cenſura pertractare velitis, ex mea parte non contradictionem ſed ſuffragium vos habere ſciatis. Capitula Canonum ad hanc cauſam pertinentia nobis ſubſcribere non vacavit ad præſens hoſtium perſecutione turbatis. Scribemus autem & hæc, & alia libenter in obſequium veſtrum, ſi Deus conceſſerit nobis ſalutem & pacem. *Valete.*

Poſteriorem etiam conſultò ſubjicimus tum ob brevitatem, tum quòd in ea Metropolitani in Suffraganeum Epiſcopum (cujus nomini parcit, à quo graviter læſus fuerat) autoritatem exaggeret.

Venerabili Archiepiſcopo Rotomagenſium R. Fulb. humilis Epiſcopus, fideles orationes.

COMPATIOR tibi (ſancte Pater) ſuper adverſis quæ indignè paſſus es, præſertim ab eo, qui & ſe & ſua tuæ fidelitati debuerat. Super eo quoque doleo vehementer Fratre & Coëpiſcopo noſtro, dum ſtaret, in tanta nunc flagitiorum atque facinorum præcipitia lapſo. Sed tibi, Pater,

Pater, hæc vel magna consolatio est, quia si abstulit exteriora, interiora non potuit. Habes enim ex Dei gratia caritatem quâ ipsum errantem revoces; frænum Canonicæ districtionis quo detractantem coërceas, virgam quâ ferias, his utere competenter donec absolutionem promeritus dicere tibi gaudeat: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Valete. Psal.22.

---

45. * MALGERIUS, Ricardi II. ex Papia secunda conjuge filius, genere quàm moribus clarior in locum Roberti patrui, jure natalium potiùs quàm meritorum suffragio in Sede Rotomagensi Successor electus, absque Pallio Archiepiscopali & Apostolica benedictione decem & octo annis Ecclesiam non rexit, sed gravavit; summo Pontifici odiosus, cujus imperia detrectans vehementer à se abalienavit animum. Ejus dissolutior vivendi licentia publicam offensionem incurrit: unde crebrò conventus, expostulante Guillelmo nepote patruelis offensas, ac tandem agente apud summum Pontificem in Concilio Lexoviensi anno 1055; residente sedis Apostolicæ Legato depositus in Ghernecium insulam ablegatur, ubi ærumnis confectus navigio perijt. Arcanas nonnulli ferunt depositionis ejus causas fuisse, tum Guillelmi cum Mathilde proxima sibi sanguine contra leges Ecclesiæ conjugium, cui, etiam interposito anathemate, intercesserat: tum privata inter Guillelmum Ducem & Guillelmum Arcensem, MALGERIj fratrem orta dissidia, quorum apud principem incentor audierat, ejusque defectionis reus postulabatur. Concilium Rotomagi celebravit cum Suffraganeis Præsulibus anno 1050. cujus acta cura ac studio Philippi Labbe Societatis Jesu Theologi magna ex parte è tenebris eruta mihi perhumanè subministravit eruditissimus, ac de re litteraria quàm optimè meritus Emericus Bigotius. Ea jam primùm in lucem prodeunt non quidem omnino integra, sed nonnullis hiatibus aspersa, quæ nobis ob plurium Codicum inopiam supplere minimè licuit.

CONCILIUM ROTOMAGENSE
A MALGERIO ARCHIPRÆSULE CELEBRATUM

Anno Christi 1050. Leonis Papæ IX. 2. Indictione 3. Henrici I. Francorum Regis 20. Principatus Guillelmi II. Normanorum Ducis 15.

TITULI CANONUM.

1. *De Symbolo Fidei Catholicæ.*
2. *Ut Episcopatus à Principe datis muneribus non ambiatur.*
3. *Ut Episcopi ad alias civitates non transeant.*
4. *Ne Monachi ad honores per pecuniam aspirent.*
5. *Ut Episcopus Episcopum non supplantet, nec Abbas Abbatem.*
6. *Ut Episcopus sacros Ordines non vendat.*
7. *Ut Episcopi Officiales ab ordinandis munera non exigant.*
8. *De scientia & ætate ordinandorum.*

9. *Ut alienum Clericum Episcopus non ordinet.*
10 *Ut Episcopus Clericorum Ecclesiæ stipendia laïcis ne largiatur.*
11 *Ne Archidiaconus Archidiaconum supplantet.*
12. *Ne Clericus Clericum supplantet.*
13. *Ne Presbyter Presbyteri Ecclesiam usurpet..*
14. *Ne Chrisma vendatur.*
15. *Ut pro dedicandis Ecclesijs munera non exigantur.*
16. *Ut pro baptismate pecunia non exigatur.*
17. *Ut baptizatorum in albis tantùm donentur candela & chrismale.*
18. *Ne pœnitentes per avaritiam graventur, aut allevientur.*
19. *Ut baptizati in Ecclesia per octo dies in albis repræsententur.*

EPISTOLA SYNODICA AD EPISCOPOS, ceterosque orthodoxos Provinciæ Rotomagensis.

Fratribus nostris & comprovincialibus Episcopis & ceteris orthodoxis Malgerius Sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ præelectus Episcopus, Hugo Ebroïcensis Sedis Episcopus, Robertus Constancicæ Sedis Episcopus, & omne Concilium, in Domino salutem.

QUONIAM sanctissimi Fratres sanctam matrem Ecclesiam à primo sui honoris & tranquillitatis statu penitus immutatam videmus partim sublatis è vita bonis Principibus, partim ignaris & imbecillibus Successoribus, sed & magis peccatis nostris exigentibus placuit Sacerdotalem inter nos fieri Conventum, ut salutiferâ collatione, in quantum divina nobis gratia inspiraverit, quod malè à nobis erratum est corrigamus, & quod rectè & sobriè factum stabiliter teneamus. Incumbebat enim nobis & necessarium Concilium tractare super his, quæ nostris temporibus ab inimicis sancta Ecclesia patitur: Sed quia (ut ait B. Gregorius) ordo directionis in bono iste est, ut primùm contra nos, & postmodum contra malos erigamur, quod à nobis constat admissum à nobis quoque primùm judicia sententia expietur. Et licet de re hujusmodi quam salubri ordinatione constituere volumus, præcedentium Patrum prisca autoritas nequaquam siluerit, tamen quia multi inter nos sunt qui aut exiguam aut pene nullam eruditionis notitiam contigerunt, necessarium duximus ea quæ à sanctis Patribus nobis tradita sunt in medium recensere, videlicet.

CANONES.

I



N primis ut Catholicæ & Apostolicæ Fidei Symbolum firmiter teneamus.

II

Ut illa perniciosa & inexplebilis avaritiæ corruptela fundi

tùs eradicetur, quâ multos *pecuniosa munera undecumque collegisse audivimus, quibus Principem Regni & familiares ejus corrumpere valeant, ut ad Episcopatus honorem valeant pervenire, quod nulla quidem humilitate, sed ambitiosa dominatione fieri non dubium est; unde hanc pestem à finibus Ecclesiæ repellendam judicavimus, ne gratiam sancti Spiritus vilis mercaturæ compendijs appreciabilem facere videamur.

* al. perniciosa.

III

Ut nullus Episcoporum in illa Civitate in qua denominatus & ordinatus est, ad aliam honoris causa transire præsumat, sicut de quibusdam auditum est, qui putabant Evangelico exemplo posse tueri cupiditatem suam, per quod ex occasione persecutionis Apostolici prædicatores jubentur transire de civitate in civitatem, quod omnino prisca sanctorum Patrum.

---- ---- ---- --- ---

IV

Similis sententia de Monachorum ordine ---- --- --- nullus per pecuniam nisi communi fratrum ---- ---- sancti Benedicti ad hujusmodi honorem aspiret.

V

Ut nullus Episcopus, sive Abbas, alterius Episcopi vel Abbatis honorem supplantare præsumat.

VI

Ut nullus Episcopus Presbyterum, aut Diaconum, vel aliquem inferioris Ordinis Clericum per pecuniam ordinare præsumat.

VII

Ut nullus ex Officialibus Episcopi, Archidiaconus videlicet aut Notarius, pro ordinandis Clericis munera exigat.

VIII

Ut ad sacros Ordines nisi eruditi & ætate legitima non promoveantur.

IX

Ut Episcopus alterius Clericum, nisi sub legatione aut probabilibus signis, ordinare præsumat.

X

Ut Episcopus Clericorum Ecclesiæ stipendia aut terras laïcis beneficiare minimè præsumat.

XI

Ut nullus Archidiaconus alterius Archidiaconatum supplantare pæsumat.

XII

Similiter Clericus alterius Clerici honorem non invadat.

XIII

Preſbyter quoque alterius Preſbyteri Eccleſiam temeraria uſurpatione quærere non præſumat.

XIV

Ut ſacrum Chriſma nullus vendere præſumat.

XV

Ut in dedicandis Eccleſijs nullus coacta munera exigat, niſi ſponte à fidelibus donentur. Sed ne hac occaſione dilatio ulla conſecrandis Eccleſijs ingeratur.

XVI

Ut pro baptizandis Catechumenis nullus quoque pecuniam, niſi ſponte quoque donetur, quærere præſumat.

XVII

Ut in albis baptizatorum ſolummodo candela & Chriſmale capitium donetur, niſi quid benignitas humana privato conceſſerit.

XVIII

Ut pœnitentes occaſione avaritiæ gravare aut levare nemo præſumat, ſed juxta modum culpæ vel poſſibilitatem naturæ moderetur pœnitentia. Tales namque ſi hujus Sanctionis tranſgreſſores inveniantur, gradus ſui periculo ſubjaceant.


XIX

Ut baptizati in eadem Eccleſia in qua Regenerationis gratiam acceperunt, & in qua parrochiani exiſtunt per octavos dies in albis repræſententur cum cereis ardentibus. ---- ---.

Cetera deſiderantur. De eo vide edit. Concil. noviſſimam, & Gall. Chriſt. pag. 573.

INcertum an id quod Ordericus Vitalis ad hunc annum refert in hoc Concilio peractum ſit. En quod habet. Anno 1050 * Willelmus Rex teſtamentum rerum, quas ſui Proceres dabant S. Ebrulpho confirmavit, indeque Chirographum autoritatis ſuæ ſub datum in Saltu Leonis ſanxit Epiſcopis, ac Baronibus Normannicis ad corroborandum tradidit. MALGERIUS itaque Rotomagenſis Archiepiſcopus primus ſubſcripſit; deinde Præſules Suffraganei, Hugo Lexovienſis, Odo Bajocenſis, Guillelmus Ebroïcenſis, Yvo *de Beleſme* Epiſcopus Sagienſis, atque Giſlebertus Abbas Caſtellionis. De eo Neuſtria pia. pag. 96.

** melius 1055.*




CONCILIUM LEXOVIENSE PROVINCIALE

A Legato Sedis Apoſtolicæ coactum, in quo Malgerius Rotomagenſis Antiſtes à comprovincialibus Epiſcopis annuente Guillelmo Notho Normannorum Duce ab Epiſcopali munere arcetur, anno Domini 1055. Victoris II. Papæ anno 1. Indictione 8. Henrici I. Francorum Regis anno 25. Guillelmi Conqueſtoris 20.

PAuca ex actis Concilij Lexovienſis ſuperſunt, quæ Guillelmus Pictavienſis Lexoviorum Archidiaconus coætaneus ſcriptor, Guillelmus Gemeticenſis, Ordericus Vitalis & Guillelmus Malmeſburienſis poſteris conſignarunt. Ejus celebrandi cauſam Malgerij abdicationem fuiſſe ferunt. Cujus occaſione nonnulla contra corruptiſſimos ævi ejus mores & maximè contra effrenatam Clericorum libidinem, & alia nonnulla ſancita fuiſſe acta Concilij Rotomagenſis ſub Joanne II. produnt. Quod ſupereſt non modico antiquitatis Eccleſiaſticæ damno, communem multis alijs ævi antiquioris monimentis jacturam ſubierunt.

Quod ad potiſſimam celebrandi Concilij cauſam ſpectat, Malgerij ſcilicet depoſitionem quatuor præcipuas abdicationis ejus cauſas complectitur Guillelmus Pictavienſis, geſtorum Guillelmi Conqueſtoris nobilis ſcriptor. Rerum nempe Eccleſiaſticarum diſtractionem, rapacitatem, vitæ incontinentiam, & Sedis Apoſtolicæ contemptum. Legitimis hiſce cauſis acceſſerunt aliæ duæ, quas commemorant Guillelmus Malmeſburienſis & Ordericus Vitalis; altera quidem, Guillelmi odium ex recenti memoria rebellionis Malgerij; altera vero, inceſtarum cum Mathilde nuptiarum reprehenſio, quas paulò ante in Concilio Remenſi damnatas à Leone IX. certum eſt. Priores hac verborum ſerie proſequitur Guillelmus Pictavienſis.



UAM pietas plurimorum ornando ditavit, ſpoliando attenuavit Eccleſiam: non Sponſus ejus vel Pater dicendus, ſed rapaciſſimus prædo. Menſas equidem nimium ſufficientes, nimium nitidas præbere, largiendo laudem emere amabat, ſpecie liberalitatis prodigus: ſæpè numero monitus atque caſtigatus privatim atque publicè, Domini ſui juvenis & laïci ſapiente diligentiâ, pergere malebat eâdem pravitatis viâ. Necdum enim modum poſuit largitioni, donec ſedes Metropolitana omni ferè ornamento caruit & theſauro: præterea moleſtus infamiæ ejus odor diffundebatur ob alia crimina. Læſit inſuper injuriâ non levi Eccleſiam univerſalem, cujus unicum Primatem non eâ quâ decuit obedientiâ veneratus eſt; nam Apoſtolici mandato ſæpius ad Romanum Concilium accitus renuit ire.

Princeps igitur animadvertens jam non monitis agi oportere in cauſa præcipuæ gravitatis, ne ultra patiendo ſupremi judicis iram irritaret in ſe, depoſuit patruum in publico ſanctæ Synodi Apoſtolici Vicario, cunctiſque Normaniæ Epiſcopis juxta Canonum autoritatem ſententiam dantibus unani-

mi consensu. Maurilium vero Cathedræ liberatæ providit ex Italia &c.

Hæc Pictavinus, qui Hugonis Lexoviensis zelum eodem libro commendat, quòd in ea depositione vox justitiæ sonora fuerit, constanter permanens in parte Dei, propter Deum damnans filium patrui sui, Richardi scilicet II. cujus Hugo ex fratre Guillelmo Arcensi Comite nepos fuit. Eadem ferme tradit Guillelmus Malmesburiensis. At Guillelmus Gemeticensis hæc scribit lib. 7. Historiæ.

Eo tempore Malgerius Archipræsul Rotomagensis desipere cœpit, & insipientiâ ductus Archipræsulatum Duci reddidit. Dux autem Malgerium in insulam quæ dicitur Ghernecium* retrusit, & Synodi Decreto Metropolitanam sedem Maurilio Fiscanensi Monacho multis virtutibus excellenti tradidit.

* Gernesey.

Hactenus Gemeticensis. Eidem suppar Ordericus Vitalis in ea quam refert ex Guillelmo Duce in extremo tum vitæ spiritu constituto gestorum suorum anacephalæosi, alteram depositionis causam prodit, conceptum videlicet Principis odium adversus Pontificem, simul cum Guillelmo Arcacensi fratre perduellionis reum. Rem ita edisserit Ordericus.


Non multò post, alia mihi gravissima adversitas oborta est. Patrui namque mei Malgerius Rotomagensis Archiepiscopus, & Guillelmus frater ejus, cui Arcas & Comitatum Calogij gratis dederam me velut nothum contempserunt: & Henricum Regem & Engelramnum Comitem Pontivi contra me accerserunt &c. Et post pauca. Obsidione gravi, Castrenses coercui, & perjurum Comitem exulare coëgi, nec in omni vita sua redire ad id quod amiserat permisi. Protervum quoque Præsulem, qui nec Deo devotus, nec mihi fidus erat, de Pontificali sede per decretum Papæ deposui: & Maurilium venerabilem Cœnobitam, quem mihi de Florentia Italiæ civitate transmiserat, in loco ejus subrogavi.

De hoc Concil. vide Cronicon Arch. Rotom. in Maurilio p. 141. Sammarthanos to. 1. pag. 573. & sub Maurilio pag. 574.

---

46 * MAURILIUS genere Moguntinus, Durocorti Remorum natus, ex Halverticensi scholastico, Florentiæ primùm Abbas, deinde Fiscanensis Monachus, ac tandem ad Rotomagensem Cathedram evectus, dejecto è sede sua Malgerio. Quo in munere Pastoralium virtutum laude præclarissimè meritus decessorum suorum probra diluere non modò, sed & Ecclesiæ damna resarcire summo studio contendit. Nec minus feliciter præstitit, tum in materialis templi structura, tum maximè in spirituali vivorum lapidum ædificio. Basilicam quippe Reginæ Deiparæ à Roberto Archipræsule decessore suo cæptam stupendâ quæ jam extat mole, avito & cognato antiquis Benedictinæ familiæ alumnis more ad coronidem perduxit, ac 9. sui Regiminis anno accitis ad Concilium ceteris Provinciæ suæ Præsulibus insigni Principis ac Procerum frequentiâ & summâ universi populi gratulatione consecravit anno 1063. felicioribus auspicijs Pontificalis muneris primordia reparandæ spirituali fabricæ consecravit. Habita Rotomagi cum Suffraganeis Episcopis eo nomine Synodo I. sui Pontificatus anno. Cadomensi Concilio adfuit cum Suffraganeis, Abbatibus ac præcipuis Provinciæ Proceribus, Guillelmi Nothi jussu coacto, ac Comitijs Juliobonensibus pro expeditione Anglica. Non minimum inter præclara sancti viri facinora

locum obtinet professionis fomula de fide sanctæ Eucharistiæ contra impia Berengarij dogmata in Concilio Provinciali eo autore edita. Denique multis pro Ecclesia sua laboribus gloriosè perfunctus, post sanctè actam vitam ad feliciorem transijt 5. Idus Augusti, Pontificatûs sui anno 12. Christi 1067. Virtutibus vivens, prodigijs post obitum clarus. Qui licet in sanctorum album solemni ritu haud quaquam relatus fuerit, invaluit tamen apud majores nostros, ut ejus sepulchrum tumba sancti Maurilij diceretur, Clero Rotomagēsi veneranda, quam statis diebus thurificare consuevit. Concilia eo Pontifice habita prosequamur, inter quæ ordine primū occurrit.



CONCILIUM PROVINCIALE
ROTOMAGENSE.

Primum sub beatæ memoriæ Maurilio habitum anno Domini 1055. Victoris II. Papæ 1. Indictione 8. Henrici I. Francorum Regis 25. Guillelmi II. Normanorum Ducis 20.


De hoc Concilio hæc scribit Laurentius Bochellus in sua ad Decreta Ecclesiæ Gallicanæ Nomenclatura.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

celebratum Guillelmo Normanorum Duce, qui postea Angliæ Rex electus est, præsente * Maurilio Archiepiscopo Rotomag. cum comprovincialibus Bajocensi, Abrincensi, Lexoviensi, Ebroïcensi, Sagiensi, Constantiensi. De Castitate & ceteris Patrum institutis servandis Pastorum incuriâ neglectis, anno Domini 1055. Henrico I. Francorum Rege.

* *fortè* præsidente

Dadræus ponit Concilium Rotomag. sub eodem Maurilio, Stephani IX. Papæ anno 1. Regnante Henrico I. Francorum Rege. Chronolog. Archiep. p. 143. At cùm apud nullum autorem Concilij in hunc annum mentio fiat, credibile est eum cum præcedenti vel subsequenti aliquo istud confundere.



SYNODUS CADOMENSIS
EPISCOPORUM, ABBATUM, AC PROCERUM

Totius Normaniæ, jussu Guillelmi II. Normanorum Ducis, statuendæ publicæ utilitati tum Ecclesiasticæ, tum sæculari instituta anno 1061. Alexandri II. Papæ 1. Indictione 14. Philippi Francorum Regis 1. Guillelmi Nothi Normanorum Ducis 26.

Synodi hujus meminerunt ex recentioribus Molineus in Guil'elmo Conquestore, & Carolus Burgvilleus in suis de Cadomensis Academiæ ac Urbis antiquitatibus, ex

veteribus monumentis, ac ſcribit Guillelmum Ducem celebrem apud Cadomum habuiſſe Conventum Epiſcoporum, Abbatum, totiuſque Provinciæ Optimatum, ubi tum de rapinis ac depopulationibus compeſcendis, quæ ob præteritorum bellorum turbas ac ſævitiam & Principis abſentiam in ea graſſabantur, tum de pace ac ſecuritate publica conſtituenda actum. Quò autem Conventui major ex religione celebritas accederet, placuit Guillelmo ex diverſis ditionis ſuæ partibus ſacras ſanctorum exuvias undique aſportare, inter quas præ ceteris eminebant auguſtiora SS. Romani & Audoëni feretra, quorum ſumma apud Normanos ſemper fuit veneratio. Ne porro tanti Conventûs poſteros præteriret recordatio; viſum eſt Principi, totique Concilio ad perpetuam rei memoriam eo loci, quo ſacræ Reliquiæ depoſitæ fuerant, ædem ſacram ſub nomine ac titulo ſanctæ pacis omnium Sanctorum conſecrari. Ceterùm tuendæ pacis ac concordiæ gratiâ Induciæ à Principe ſancitæ ſunt à veſpera Feriæ 4 ad ſolis occubitum Feriæ 2. ſequentis, quas Treviam Dei appellarunt: promulgato inſuper ab Epiſcopis præſentibus anathematis edicto adverſus violatæ pacis reos, cum pecuniaria 10 librarum mulcta Odoni Bajocenſi Epiſcopo ſacri Præſulum Senatûs Decano numeranda. Multa in hac Synodo Epiſcoporum aliorumque Procerum conſultu Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac Reipublicæ utilitati proficua prodierunt Decreta, quæ magna ex parte temporum injuriâ perierunt. Pauca quæ ſuperſunt collegit Molineus in Guillelmo II. ad annum 1061. In ijs ſunt.

I



UT Abbates alijque Prælati ruri commorantes, in urbes Monaſterijs vicinas ſe conferrent, ne cum publica offenſione hùc illucque vagari viderentur.

II

Ut quotidie ſero per ſigni pulſum ad preces Deo fundendas quiſque invitaretur, atque occluſis foribus domorum, ultra vagari ampliùs vetitum admoneretur.

III

Ut deinceps adverſus fures, ſicarios alioſque id genus nebulones, aut criminum reos juxta legum placita animadverteretur, ac ſtatutas legibus pœnas luerent criminum poſtulati & convicti.

Hæc & alia multa communi omnium voto conſtituta ante Conventûs generalis dimiſſionem juraverunt ſinguli ad amuſſim pro virili ſervaturos, & ut à ſubditis executioni mandarentur quantociùs curaturos polliciti ſunt, Qui quantalibet locorum intercapedine à ſe invicem diſſiti eſſent, quaſi urbis unius concives ſub Principe ſuo, non ſecus ac ſub amantiſſimo patre-familias victuros invicem ſpoponderunt.



EPISTOLA JOANNIS ABRINCENSIS ad MAURILIUM Rotomagensem Archiepiscopum.

Domino verè sancto & meritis honorando, MAURILIO *venerabili sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo*, JOANNES *Abrincacensis, omnium Episcoporum meritis infimus, corpore & spiritu totius obedientiiæ munus.*

QUONIAM tuæ paternitatis sanctitatem de Ecclesiasticæ dignitatis profectu semper sollicitam, ejus lapsu nimio mœrore affici, sæpissimis inde mecum habitis quæstionibus comperi: hocque dolorem tibi augmentare ejus reparatione * flagranti, quòd vires ad hoc tuæ subtraxerat imbecillitas ægritudinis: parvitas mea tuæ sanctissimæ optioni suffragari, non aliquo * fastu succensa, sed piâ compassione commota appetijt: ut quod negligentium Pastorum depravatur incuriâ, tuæ sanctæ religionis reparetur vigilantiâ. Hinc tuâ autoritâte fretus, sententias sanctorum Patrum aggressus, diversarumque Ecclesiarum mores & consuetudines prospectans, & ea, quæ ad divini cultus officia pertinent, quodque in se mysticè continent, nihilominus considerans, quamdam quasi confectionem ex ea diversitate composui; quam omnibus adhuc occultam tuæ sagacitatis repræsento examini, ut susceptum opusculum inspicias, & inspiciendo eam, precor, diligentiam adhibeas, quâ te nobis eum esse significes, quem in paternitate ac magisterio sat decenter exhibes. Tua quippe * refert, ut, si aliqua sint, quæ valeant, paterno affectu velis annuere: si verò è contra, vigilantis magisterij censurâ corrigere. Quòd si utile & ratum tuâ autoritate censetur; postquam de Metropolitana Sede stillare videbimus, Canonum statuta sequentes, nostræ propinare studebimus.

alias * fragranti. * tam * refero.

CONCILIUM PROVINCIALE ROTOMAGENSE,

Tertium sub beatæ memoriæ Maurilio in Consecratione Basilicæ Cathedralis celebratum Anno Domini 1063.

De eo hæc tradit Ordericus Vitalis lib. 5. Ecclesiast. Hist.


ANNO Dominicæ Incarnationis 1063. Indictione 2. Metropolitanam Basilicam in urbe Rotomagensi, quam Robertus inchoavit, Maurilius Archiepiscopus in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ cum ingenti tripu-

K

dio mense Octobri dedicavit. Hic annus Henrici IV. Imperatoris erat 8ᵘˢ, & Philippi filij Henrici Francorum Regis 4ᵘˢ, quo anno * Cinomanis subjugata est Normanis. Decimus quoque erat à bello quod Guillelmus & Guido fecerant Valesdunis.

* le Mans.

Quod verò attinet ad Concilium præsentibus Guillelmo Duce ac omnibus Suffraganeis Præsulibus celebratum Odone nimirum Bajocensium, Joanne Abrincensium, Hugone Lexobiorum, Guillelmo Eburovicum, Yvone Sessuviorum, Gaufrido Constantiensium, haud absurdè forsan ad illud referendam nonnulli putant Professionis formulam, quam de fide sanctissimæ Eucharistiæ adversus Berengarij errores ea ætate conditam, & in ordine Synodi, præcipuorum Conciliorum professionibus adjectam exhibet vetus liber Pontificalis ejusdem Ecclesiæ, his verbis.



OPORTET etiam Fratres carissimi ut fides vestra de Corpore & Sanguine Domini, quam præsidente huic sanctæ Sedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi assensu contra spurcissimas Berengarij ejusque successorum voces diffinivistis, iterum recitetur: Corde credimus & ore profitemur panem in mensa Dominica propositum panem tantummodo esse ante consecrationem; sed in ipsa consecratione ineffabili potentiâ divinitatis converti naturam & substantiam panis, in naturam & substantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, sed illius quæ concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam propter nos & propter nostram salutem flagellis cæsa, * jacuit in sepulchro, tertiâ die surrexit à mortuis, & sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum quod aquæ mixtum in Calice sanctificandum proponitur, verè & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc sanctam & Apostolicam fidem superbè atque hæreticè sentientes & impiâ temeritate garrientes.

hæc verba: * Et in ligno suspensa, ex alio MS Codice supplenda vitâ

Ceterum inter præcipua celebritatis hujus acta, corporum Rollonis & Guillelmi I. translationem in novam Basilicam solemni pompa factam commemorat Ordericus Vitalis, de qua hæc scribit.

Nono anno Præsulatus sui Metropolitanam Ecclesiam dedicavit (MAURILIUS) corpora vero Ducum Rollonis & Guillelmi reverenter in sacram ædem transtulit, & Rollonem prope Ostium australe, & Guillelmum secus Ostium aquilonare tumulavit, & Epitaphia eorum super illos litteris aureis annotavit &c.

* de Grente-Mesnil.

Dubium an de hoc Concilio seu de hac Synodo loquatur Willelmus Gemeticensis ad hunc eundem annum 1063. an de alia in hunc modum. Roberto * expulso Willel-

mus Dux consilio venerabilis Ansfridi Pratellensium Abbatis, Lanfranci Beccensis Prioris, aliarumque personarum Ecclesiasticarum Osbernum Cormeliensem Priorem à Raynerio Abbate S. Trinitatis de monte Rotomagi requisivit, eique nihil tale suspicanti per cambutam Maurilij Archiepiscopi in Synodo Rotomagensi curam Ecclesiæ Uticensis commendavit.

Refert Molineus Hist Norm. p. 173. Concilium, seu potiùs Comitia sub eodem Maurilio habita, Alexandri II. anno 5. * apud Juliobonam, in quibus de expeditione Anglica actum fuit. * 1065. vel 1066.



CONVENTUS EPISCOPORUM NORMANIÆ

Ad Dedicationem Basilicæ Gemeticensis, jubente Guillelmo Duce, à beato Maurilio peractam anno 1067. Alexandri II. Papæ 7. Indictione 5 Philippi Francorum Regis 7. Guillelmi Normanorum Ducis 32. Anglorum Regis 1.

GEmeticensis Basilicæ consecrationem solemni pompa à Rege institutam statim à regressu ejus in Normaniam, adepto Angliæ Regno commemorant Guillelmus Gemeticensis, Ordericus Vitalis, ac Thomas Walsingham, qui de ea hæc scribit.



Aulò post hæc Rex Guillelmus regressus in Normaniam, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Gemetico cum honore magno dedicari jussit. Quam Dedicationem hi Episcopi cum spirituali jocunditate, 1067 Dominicæ Incarnationis anno, Kalendis Julij compleverunt. Maurilius scilicet Rotomagensis Archiepiscopus, Joannes Abrincatensis, Goiffridus Constantinensis, Hugo Luxoviensis, nec non Baldwinus Ebroïcensis. Rex autem ipse devotissimo animo his nuptijs præsentialiter studuit interesse.

Hoc ipsum haud secus refert Ordericus Vitalis ubi supra.

Celebratâ (*inquit*) Paschæ solemnitate Rex dedicari Basilicam sanctæ Mariæ super Divam præcepit, ubi ipse cum magno cœtu optimatum & mediocrium Kalend. Maij reverenter interfuit &c. Deinde Kalendis Julij Ecclesiam sanctæ Mariæ apud Gemeticum dedicari præcepit, & ipse sacro mysterio reverenter affuit, utramque nimirum ex prædijs Dominij sui largiter dotavit, suaque præsentia dum sanctum mysterium celebraretur devotè sublimavit. Maurilius cum Suffraganeis Episcopis hanc Dedicationem humiliter & devotè perpetravit. Hactenus Ordericus.



CONCILIUM PROVINCIALE ROTOMAGENSE.

Sede vacante celebratum ab Hermenfrido Sedunensi Episcopo, sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, pro electione Joannis *de Bayeux* in Archiepiscopum Rotomagensem, anno salutis 1069. Alexandri II. 9. Indictione 7. Philippi I. Francorum Regis 9. Guillelmi Conquestoris Normanorum Ducis 34. Anglorum Regis 3.

REi seriem summatim complectuntur gesta Archiepiscoporum Rotomagensium ex codicibus Manuscriptis Ecclesiæ Cathedralis & Sancti Audoëni, hoc tenore verborum.



DEFUNCTO Maurilio Guillelmus Rex Anglorum Lanfrancum Abbatem Cadomensem, quem postea Cantuariensi Metropoli præfecit, Alexandro Papæ misit, postulans ejus clementiam, ut ei assensum præberet, quatenus ejus autoritate Joannem Abrincensem Episcopum Metropolitanæ Ecclesiæ præficeret, eique ne aliqua occasione in hoc resisteret, litteris Apostolicis mandaret. Ipse vero ejus petitioni quia devotam vidit, acquievit, & litteras deinde Pontifici misit. Verba quæ litteris continentur hæc sunt.

ALEXANDER *Episcopus servus servorum Dei*, JOANNI *Abrincensium Episcopo*, *salutem & Apostolicam benedictionem.*

DEstitutâ Rotomagensi Ecclesiâ, comperimus Sedunensis Episcopi & Lanfranci Abbatis relatione, te ex electione Principis tui dilectissimi filij nostri Guillelmi Regis Anglorum, ob vitæ & morum probitatem ad majorem sedem promovendum, si ex autoritate sedis Apostolicæ fuerit assensus, cui Deo autore præsidemus. Nos igitur moti illorum precibus, ob salutem illius Ecclesiæ, & omnium in tuis partibus, volumus, atque dilectioni tuæ Apostolica autoritate præcipimus ut quod divina dispensatio de te prævidit, non contradicas, & electioni tuæ te obedientem exhibeas. Admonemus itaque * fraternitatem dulcedinis tuæ, ut si in modico fuisti fidelis, in majori bene operari non desinas, populum di-

* dulcedinem fraternitatis tuæ.

vini verbi pabulo reficias, ut merearis audire benignam illam vocem Domini dicentis: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* De cetero secretiorem animi nostri voluntatem planiùs audies per nostrorum Legatorum veridicam relationem. Matth 25.v.23


Joannes autem ejus Apostolicâ legatione receptâ, & omnium comprovincialium Episcoporum, cunctorumque etiam ejusmodi Ecclesiæ Canonicorum electione communi consensu factâ, Metropolitanam adeptus est sedem. Vide Sammarth. to. 1. p. 576. cap. 1.

---

47. * JOANNES II. splendore generis inter præcipuos ævi sui Præsules spectabilis, Radulphi Bajocarum Comitis, Richardi senioris Normanorum Ducis uterini fratris filius, è sede Abrincensi post exactos septem regiminis annos & tres menses, ad Rotomagensem Cathedram biennio ab excessu sancti Maurilij ex vivis ab Alexandro 2. transfertur postulante Guillelmo Conquestore, universo in ejus electionem consentiente comprovincialium Episcoporum Concilio, communibus etiã Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicorum votis excipitur, recusato tanti honoris gradu à Lanfranco Cadomensis Cœnobij Abbate, qui studia sua contulit omnia ut sibi JOANNEM anteferri satageret. In divinis ac humanis literis apprimè versatus fuit. Sed inter præcipuas ejus animi dotes Ecclesiasticæ disciplinæ zelus enituit, castimoniæ sacerdotalis vindex acerrimus extitit. Cujus tuendæ, ac tollendi ab Ecclesia probri & infamiæ causa Clericorum usque adeo incurrit invidiam, ut ab eis propter prohibitas sub interminatione Anathematis pellices lapidibus appetitus è Synodo aufugere compulsus sit. Decorem domus Dei impensè coluit, cujus egregium hodieque superest monumentum in libello divinorum Officiorum ad usum Metropolitanæ Ecclesiæ Maurilio decessori suo oblato. Cõcilia plura celebrasse fertur: Alterum anno 1074. juxta Orderici Vitalis calculum, cujus acta refert anno 1074. alterum cujus extant Canones 13 in Codice Manuscripto Cœnobij S. Stephani de Fontaneto: in eo Prioratus sancti Victoris apud Caletes precibus Rogerij de Mortuo-mari Abbatiæ titulo decoratur. Eidem anno consignant aliud Concilium Provinciale in causa Monachorum S. Audoëni Rotomagi habitum sub præsentia Guillelmi Regis Anglorum, cujus meminit Chronicon Cadomense. Multis alijs præclarè gestis vita ejus commendatur, feliciorem habitura exitum, nisi mores plus æquo acres & austeri Principis à se abalienassent voluntatem, & suorum in se invidiam; unde gravior ei senecta quàm infirma valetudo plurimis ærumnis obsitam reddidit; tum demum paralysi correptus, instante Rege apud summum Pontificem Gregorium VII. infulas deponere cogitur anno 1078. præmissâ per Legatum Pontificis inquisitione accuratâ de ejus in exequendi Pontificalis muneris impotentia, ac tandem paulò post apud villam patrimonij sui anno 1079. moritur sui Pontificatus, ex veriori sententia Orderici Vitalis, anno 10.

Extant ad eum quinque Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi Epistolæ, quas noster D. Lucas Dacherius in lucem edidit, eas hìc recensebimus.





LANFRANCI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ V.

Ad JOANNEM II. Rotomagensem Archiepiscopum.

id est, *Rotomagensium.

Domino meritò sanctitatis insigniter efferendo JOANNI * Normanorum Archiepiscopo LANFRANCUS indignus vocari Episcopus, benè cœptis meliora connectere.

ARGUMENTUM.

Ex occasione literarum ejus de nonnullis ritibus differit, ad dedicationem Ecclesiarum, & Subdiaconorum ordinationem spectantibus.

*propter Deum.

GRATIAS ago colendæ benignitati vestræ, quia non solùm præsens præsentem me indeficienti amore * dilexistis, verùm etiam absens pro absente paternam vos curam gerere salubri admonitione evidenter ostendistis. Absit autem à me, longeque à sensibus meis hunc errorem avertat divina clementia, ut molestum mihi sit, si quis respectu salutis meæ, vitæ æternæ contemplatione, de anima mea sollicitudinem gerat, si ea quæ de actibus meis sibi displicent, pietate motus indicare non differat, si aliter me corrigere non potest, verbis quoque objurgare præsentem, aut literis increpare absentem non negligat; sed amicus potiùs à me justus existimabitur qui in misericordia corripit me, & increpat: is autem peccator, qui oleo pravæ adulationis caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat.

Quidquid verò sanctitas vestra de stola scripsit, multùm mihi placuit, nec unquam displicuit: sed quod subjunxit, quia ad dedicandam Ecclesiam Episcopus processurus sacris vestibus, ex institutione Episcopalis ordinis debeat esse indutus, atque in expositione ipsarum sacrarum vestium casulam posuit, valde stupui; quia tale aliquid me unquam vidisse, meminisse non potui: diversos enim diversarum Provinciarum Præsules Ecclesias dedicare sæpe conspexi, omnibusque, quæ ab eis facta sunt, quantam potui curam adhibui; qui etsi in nonnullis dissimilia egerint, omnes tamen cappis induti usque ad celebrationem Missæ debita servitia sine casula expleverunt: denique sanctus LEO Romanæ sedis summus Antistes * Romericensem, me præsente, Ecclesiam dedicavit, cunctaque, quæ ante Missam fieri ordo depoposcerat, sine casula consummavit.

*Remiremont.

Porro quòd in dandis ordinibus soli Subdiacono dari manipulum perhibuistis, ubi hoc acceperitis, rogo me vestris literis instruatis; à quibusdam enim id fieri audio, sed utrum id fieri sacris autoritatibus præcipiatur, meminisse non valeo. Plerique autumant manipulum esse commune ornamentum omnium, sicut & albam, & amictum; nam & in Cœnobijs Monachorum etiam laïci cum albis induuntur, & antiquâ patrum institutione solent

ferre manipulum. In nostris Episcopalis ordinis codicibus, quos ex diversis regionibus multos habemus, & de ordinando Subdiacono, inter cetera sic scriptum habetur: *Postea verò accipiat ab Archidiacono urceolum cum aquamanili, ac manutergium.* In quibusdam sic: *cum aquamanile.* In alijs ita: *cum aquamanili.* Urceolus quid sit liquid òpatet; est enim vas superius, unde lavandis manibus aqua infunditur. Aquamanile, sive aquæmanile, Italici unam partem dicunt, vocaturque linguâ eorum vas inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur. Quod si fortassè sic distinguendum putatis, urceolum cum aqua, & postea manile, ac manutergium, quatenus manile, esse manipulum intelligatis Cur inter urceolum ac manutergium ponatur manipulus: & cur cetera ornamenta ab Episcopis dantur, dari ab Archidiacono manipulus jubeatur? in qua scriptura, sive sæculari, sive divinâ sic vocatum manipulum * reperitis, posco sanctam paternitatem vestram, ut indicare mihi competenti diligentiâ studeatis. *al. reperieritis

In Carthaginensi Concilio 4. omne hujus rei ambiguum excluditur, ubi sic legitur: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam; & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, & aquamanile, ac manutergium.* Item ISIDORUS in Epistola de sacris ordinibus. *Ad Subdiaconum* (inquit) *pertinet calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisque ministrare: urceolum quoque, & aquamanile, ac manutergium tenere Episcopo, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere.* Omnipotens Dominus vitam vestram intùs, exteriusque tueatur: augeatque in vobis, auctamque conservet dilectionem, quâ me quondam diligere solebatis; quatenus de me, quantum ad vos hoc * quod pertinet, quæ credenda sunt, credatis, proculque ab auribus vestris linguas detrahentium pastorali semper autoritate repellatis. *quidē pertinet.

Domino sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo JOANNI frater LANFRANCUS indignus Antistes, fidele servitium cum orationibus.

ARGUMENTUM.

Indignè à suis quibusdam consolatur, de vindicta suggerens quales capessere debeat, sibi curæ futurum, ut ad Regem hac de re det literas, quales debet.

VISIS literis vestris, quibus temerariam, superbamque temeritatem miserrimorum hominum adversus Dominum, & Pontificale fastigium præsumptam significasse studuistis, & dolui sicut dolere debui, & tamen in ipso dolore non gaudere non potui: dolui quia id evenit celsitudini vestræ, quod à temporibus paganorum nulli legitur evenisse Episcoporum: gavisus verò sum, quia spurcissima vita eorum, quæ multas regiones fœtore suæ infamiæ jam aspersit, occasione publicata est, cognitumque evidenter quales

coram Deo sint, qui, abjecto divino humanoque timore, tantum nefas in conspectu hominum moliti sunt. Et nunc sanctitas vestra omnem rancorem de corde abjiciat, nec plus æquo & bono pro hac re doleat; omnem intentionem, qualiter hæc nequitia ad honorem Dei sanctæque Ecclesiæ puniatur, intendat.

Et quidem, quantum ad illos spectat, dolendum est vobis, quia filij vestri erant, si filij esse vellent. Quantum verò ad vos, gaudendum potiùs & exultandum expectantibus vobis beatitudinem Apostolis repromissam, quia vos oderunt, & exprobraverunt, & ejecerunt tamquam malum propter filium hominis, quem vos amatis, & honoratis, & ad cujus amorem, & honorem illos trahere volebatis.

Literas Domino nostro Regi transmittere dispono, quales oportet, & quales debeo, & credo, miserante Deo, quia sicut tempora ejus obscurata sunt immanitate tantæ nequitiæ, sic enitescent competentis severitate vindictæ. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, & contra omnes æmulos dexterâ suâ protegente defendat, diligende Pater, & omni laude colende.

Zelo Dei, & amore justitiæ præcellenti sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo IOANNI LANFRANCUS indignus Antistes, servitium & orationes.

ARGUMENTUM.

Laudat ejus in accepta injuria patientiam. De autoribus facinoris rogatum à se Regem per literas, ut ulciscatur. Sibi quoque probari, quæ ille de visione cujusdam Monachi, & de altero à communi sepultura prohibita mandarat.

aliàs. * Cœnobij.

QUANDO ROBERTUM Beccensis * Ecclesiæ Monachum, cum literis ad vos transmisi, adhuc nullas Paternitatis vestræ Epistolas suscepi: post abscessum ejus capellanus HUGONIS unam detulit; alteram verò laïcus quidam, qui interrogatus à me, quis esset? servientem Reginæ se esse respondit. Utrarumque sententia una fuit: in utriusque enucleatè ostenditis officium vestri ordinis, videlicet contra æmulos patientiam, & innocentiam vestram * perditissimæ congregationis horribilem, puniendamque temeritatem; & in utroque benedictus Deus; quia & vos ejus gratiâ fecistis, quod respectu Episcopalis dignitatis facere debuistis: & illi è contrà justo ipsius judicio traditi in reprobum sensum hoc fecerunt, quod nec quolibet impulsu, vel qualibet injuriâ provocati facere debuerant, certissimum pravitatis suæ his, qui eos non noverant, præbentes indicium, quò luce clariùs omnibus innotescat, quales in conspectu Dei eos esse ab omni populo existimari oporteat. De hac re literas Domino nostro Regi mitto, eumque ut decet ad vindictam tanti facinoris proüt possum rogo, & moneo, quas jampridem

*perditissimæque.

jampridem transmisissem, sed legatum reperire non potui; & homo Episcopi WALCHELINI, qui alias vobis detulit, ut eas expectaret, impetrare non potui.

De ROBERTO & ejus * somniatore, & monacho à communi sepultura prohibito, quidquid mandastis laudo, & quidquid de his rebus sentitis, ego quoque in omnibus, & per omnia vobiscum sentio: non est enim credendum visionem illam esse à Deo, quæ monachos prohibet à monasterio, qui ad serviendum Deo se devoverunt, & in quo de obedientia, & conversione morum suorum, & stabilitate sua professionem fecerunt: cùm Propheta dicat: *Vovete & reddite.* Et Dominus de malis pastoribus loquens, non ait: fugite eos, recedite de locis, quibus præsunt; sed *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Et beatus BENEDICTUS in regula monachorum: *Præceptis,* inquit, *Abbatis in omnibus obedite, etiam si ipse, quod absit, aliter agat.*

* *aliàs* somma tore.

Ps. 75. 12

Matth 23

cap. 4.

De monacho fulgure interfecto, vir sapiens apertissimâ sententiâ omnem ambiguitatis nodum solvit, dicens: *Iustus quacumque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.* Denique Ecclesia Christi, alios mortuos à suæ communionis consortio non repellit, nisi eos tantùm, quibus viventibus canonicâ censurâ communicare contempsit. Omnipotens Dominus vitam vestram custodiat, quia multùm utilis est, inter cetera ad, confutandas garrulorum ineptias.

Sap. 4. 7.

Domino merito sanctitatis vestrę insigniter honorando Normanorum Archiepiscopo JOANNI, Frater LANFRANCUS fidele servitium, æternamque salutem cum orationibus.

ARGUMENTUM.

Excusat diuturnum suum silentium, optatque ut mutua inter ipsos, & inviolabilis sit concordia.

QUÒD Paternitatem vestram, quam, teste Deo, multo amore diligo, multa veneratione suscipio, longâ temporis intercapedine literis visitare supersedi: rogo, multumque rogo, ne sinistrâ à me id factum esse intentione interpretemini; neque existimetis fuisse causam, aut * indicem cujuslibet rancoris, vel odij: hoc potiùs hac in parte conjicite, * quod rei veritas habet, * quod experientia vestra, multis referentibus, quibus miserabilis vitæ meæ status motus est cognoscere valet; Tot enim, tantisque hujus mundi impedimentis (nescio quo occulto Dei judicio) incessanter subjaceo, tot animi rancores, tam ex proprijs, quàm ex alienis negotijs sine intermissione sustineo: tot calamitates ex consideratione præsentium venturas in futuro conjicio, ut perrarò dictandi, seu scribendi facultas detur; aut si quando datur, vel desunt qui perferant, vel personæ tam idoneæ non sunt, ut per eas literas mitti injuriam putent.

* *al.* radicem

* quid

Ego tamen & ea, quæ vobis accidunt, cum promissione servitij, & auxilij mei scire desidero, & ea quæ mihi eveniunt, cognosci à vobis humiliter peto; & hoc oro, ut concors caritas, caraque concordia, quæ inter nos hactenus mansit, omnibus diebus vitæ nostræ inviolata permaneat; nec eam quælibet detrahentium lingua quolibet modo aut infirmare, aut propulsare prævaleat. Quod aliter rarum esse non poterit, nisi amatores discordiæ aut vestris exhortationibus ad amorem concordiæ convertantur, aut persistentes in sua stultitia à nostris colloquijs penitus arceantur.

De juvene, cujus eventum usque ad aures vestras fama vulgavit, lator præsentium, qui vidit, & interfuit, qualiter gestum sit, vobis veraciter enarrabit.

Venerabili sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopo JOANNI indignus Antistes LANFRANCUS, servitium cum orationibus.

ARGUMENTUM.

Falsum esse ostendit, quòd ejus facta carpere dicebatur; Robertum autem Pultrellum, qui sine ipsius licentia discesserat, ideò à se cum honore susceptum, quia commendatitias ejus literas attulerat. De fide ab Archidiaconis petenda quid respondeat, & de suo cum Rege colloquio.

LITERAS quas omnibus Christianæ legis amatoribus amanda Paternitas vestra transmisit, quo tempore porrectæ sunt, congruum dare responsum mihi non licuit: nam & impeditum me invenerunt: nec si liceret, posset ea tempestate nuncius inveniri, qui ferret. Nunc mihi datâ opportunitate differre ultra non debeo.

Retulistis vobis à multis fuisse relatum, quòd ego quædam vestra facta carpo, & maximè quòd instituta sanctorum Patrum de servanda Clericorum castitate malè vos intellexisse redarguo; adjuncto quòd Ecclesiasticæ disciplinæ moderamina non benè vos tenere affirmo; meminisse debet beatitudo vestra, præsentes verbis, absentes literis nos sæpe alterutrum monuisse, esse multos detestabili invidia plenos, qui semper velint nos invicem diffidere; quatenus hac occasione suas nequitias valeant liberiùs exercere, quorum officij refert nova semper, & inaudita fingere; leviter, & * injuriosè prolata deteriùs exponere, benè & consultè dicta, quantum in ipsis est, in contrariam partem convertere: Ego tamen, teste conscientiâ, nullius eorum conscius sum, nec aliquid de laudabili vita vestra vel dixisse, vel dicenti assensum præbuisse me memini; quod in præsentia vestra, si res ita exposceret, non posset cum pacis vestræ securitate proferri; imò vestro venerabiliumque Patrum exemplo provocatus, per totam terram Anglicam Pastorali autoritate prohibui, ne cujuslibet ordinis quisquam Canonicus uxorem accipiat, nec..... antea si Presbyter, aut Diaconus est, nisi præbendâ carere velit, habere ulteriùs liceat.

* al. incuriosè.

De Roberto, quem Pultrellum vocastis, quemque sine vestra licentia mare transisse perhibuistis, certissimè id sciatis, quia literas vestro sigillo, quod mihi benè notum est, signatas detulit; in quibus, si veræ fuerunt, summoperè me rogastis, quatenus eum cum honore susciperem, apud Abbatem Balduinum, in quantum possim, pro infirmitate sui corporis adjuvarem; de meis etiam rebus, sicut mihi opportunum esset, opem impenderem: quæ omnia executus sum; nam pro amore vestro honestè eum suscepi, tribus septimanis mecum habui; Abbati Balduino precibus, & promissionibus commendavi, revertenti unde redire posset, denarios officiosa charitate impendi: & miror valde si falsas literas porrexit, quonam modo tanti viri sigillum ad persuadendam falsitatem suam habere potuerit.

De fide ab Archidiaconis petita, & data interrogantibus Episcopis Bajocensi & Constantiensi, hoc tantum respondi me nec legisse tale aliquid, nec vidisse; vos tamen prudentem virum esse, & strenuè scire, quid agatis, quid omittatis, quid agendum, quid omittendum censeatis.

De negotijs vestris cum Domino nostro Rege prout decuit, & oportuit, noviter sum locutus; & puto per misericordiam Dei, quia mordentibus vitam vestram, aures excellentiæ suæ non est ultra facilè præbiturus. Omnipotens Dominus vitam vestram ad honorem sanctæ Ecclesiæ suæ incontaminatam custodiat.

HILDEBERTI COENOMANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.
Ad Joannem Rotomagensem Archiepiscopum.

Ex tomo 3. Bibliothecæ Patrum. pag. 195.

ARGUMENTUM.

Episcopus certiorem eum facit se prorsus dissentire nedum consentire matrimonio filiæ Gauterij de Meduana cum Comite de Moretonio. Et cujus in Parochiam nupta demigraverit; ejus esse, usque ad dissidium, illis nuptijs resistere.

Sicut sanctitatis vestræ pagina denunciat, filia Gauterij de Meduana, Comiti de Moretonio sanguine proxima prædicatur. Priùs autem quàm matrimonij vinculum præfatas personas astringeret, idem Gauterius consanguinitatem mihi submurmurans; quid idem sentirem, cautiùs exploravit; bonum sibi videri, si bellum quo diutiùs Comes in eum desævierat, intervenientis conjugij caritas terminaret. Addidit prætereà vos vestrosque comprovinciales ei confirmasse scripto, compendio pacis & quietis tolerandum consanguinitatis piaculum. Unde & assensum Cœnomanensis Ecclesiæ futuris nuptijs postulavit; ut ejus quoque autoritate conjugio filiæ stabilita-

tem adquireret, si quando ei libellus repudij scriberetur. Mihi autem nec extorqueri assensus, nec persuaderi potui prudentiam vestram in eorum simplicitatem descendisse, quos redarguit Apostolus dicentes; *faciamus mala*
Rom. 3. *ut veniant bona.* Super his ergo quod ad me pertinuit, sollicitus fui. Petenti assensum, dissensum nunciavi; nullius dispensationis intuitu permittens, consanguineos aut affines inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Huic autem connubio usque ad dissidium resistere, illius erit sollicitudinis, ad cujus Parochiam nuptam demigrasse cognoscitur. Conservet vos Dominus Deus, Pater sancte.

CONCILIUM PROVINCIALE
INCERTI LOCI.

Primum ordine sub Joanne *de Bayeux* hujus nominis II. Ab Hermenfredo, Sedunensi Episcopo & Huberto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Alexandri II. Papæ Legatis. Agente Guillelmo Conquestore Anglorum Rege, pro electione Lanfranci, Cadomensis Abbatis, in Archiepiscopum Cantuariensem. Celebratum Anno Domini 1070. Alexandri II. Papæ 10. Indictione 8. Philippi Francorum Regis 10. Guillelmi II. Normanorum Ducis 35, Anglorum Regis 4.

HUic Synodo ordinandi Lanfranci Cadomensis Abbatis causa in Archiepiscopum Cantuariensem, præclarum testimonium perhibet Ordericus Vitalis, Historiæ Ecclesiasticæ lib. 4. in hunc modum.



SEDUNENSIS igitur Episcopus postquam Stigandum (ut jam dictum est) deposuit, Lanfrancum ad Regimen Pontificale invitavit, & in Concilio Episcoporum ac Abbatum Normaniæ, petitionem Ecclesiæ Dei denuntiavit. Ille autem perturbatus, tam grave sibi onus extimuit, & inducias ad deliberandum petijt: indubitatum tenens, quod simul ire non posset Monachi otium & Archipræsulis negotium, &c.

Rem gestam accuratiùs exhibet ipsemet Lanfrancus Epistolâ ad summum Pontificem Alexandrum datâ, hujus tenoris.

Summo sanctæ Ecclesiæ Pastori Alexandro Papæ, Lanfrancus indignus Antistes canonicam obedientiam.

NEscio cui calamitates meas aptiùs explicem, quàm tibi, Pater, qui ipsarum mihi calamitatum causa existis: nam cum de Beccensi congre-

gatione, in qua habitum religionis assumpsi, à Principe Normanorum WILLELMO abstractus, Cadomensi præessem cœnobio, imparque existerem paucorum regimini Monachorum, incertum habeo, quo judicio Omnipotentis Dei factus sum, te cogente, speculator multorum, numeroque carentium populorum. Quod cùm præfatus Princeps jam Rex Anglorum factus, multis, varijsque modis laboraret efficere, cassatis tamen laboribus suis à me nullo modo potuit impetrare, quoadusque legati tui HERMENFREDUS videlicet Sedunensis Episcopus, atque HUBERTUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in Normaniam venerunt, Episcopos, Abbates, ejusdemque patriæ nobiles convenire fecerunt, atque in eorum præsentia ut Cantuariensem Ecclesiam regendam susciperem, ex autoritate sedis Apostolicæ præceperunt. &c

Hactenus Epistola Lanfranci. Vide vitam Lanfranci editam à Dacherio nostro p. 7 cap. 6. Vide Concil. Venetense to. 1. Concil. Galliæ p. 137. & Andegavense p. 116.

CONCILIUM ROTOMAGENSE

Secundum ordine, habitum in Basilica S. Mariæ Rotomagi à Joanne *de Bayeux* hujus nominis II. cum suis Suffraganeis pro restituenda Ecclesiastica Disciplina, anno Incarnati Verbi 1072. Pontificatus Alexandri II. anno 11. Regnante Francorum Rege Philippo I. 13. Normaniæ imperante Guillelmo Conquestore anno 37, Angliam moderante 6.

CONcilij hujus acta ut hodie extant, Orderici Vitalis studio ac solertiâ singulari in Ecclesiasticæ antiquitatis monumentis ab interitu vindicandis accepta referimus. Quæ quidem accuratè satis collecta, ex libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum 1072. excerpta, ut sequuntur exhibemus.

TITULI CANONUM.

I. *Ut Episcopus chrisma & oleum horâ competenti, & cum duodecim Sacerdotibus consecret.*

II. *Quòd totum chrisma & oleum ab Archidiaconis renovandum sit.*

III. *Quâ curâ distribui à Decanis chrisma & oleum debeant.*

IV. *Ut qui missam celebrat, omnino communicet.*

V. *Ut sacerdos jejunus & cum alba ac stola baptizet.*

VI. *Ut viaticum & aqua benedicta ultra octo dies non serventur, & consecratæ Hostiæ iterum non consecrentur.*

VII. *Confirmatio jejunis à jejunis, & cum igne conferenda.*

VIII. *Ut ordines sacri post diem sabba-*

thi, vel die Dominicâ manè, jejunis à jejunantibus conferantur.

IX. *Ut quatuor temporum exacta sit observatio.*

X. *Quod depositione digni sunt qui furtim aut indebitè ad sacros ordines provehuntur.*

XI. *De iis qui coronas relinquunt. Et ut ordinandi ad Episcopum feriâ 5. veniant*

XII. *Ut Monachi vagi vel expulsi, itemque Sanctimoniales, ad sua Monasteria redire compellantur.*

XIII. *Ne curæ pastorales vendantur & emantur.*

XIV. *De ritu nuptiarum, ne in occulto fiant, aut inter consanguineos.*

XV. *De Clericis uxoratis, ut Ecclesiis non ministrent, nec fructus percipiant, & quales esse debeant Archidiaconi ac Decani.*

XVI. *Ut nullus mortuâ uxore, illam accipiat, de qua ante fuerat infamatus.*

XVII. *Nullus uxore velatâ superstite aliam ducat.*

XVIII. *Ne absentis viri uxor alteri nubat, priusquam de viri morte compertum habeat.*

XIX. *Ne Clerici in publicum crimen lapsi, sacris ordinibus facilè restituantur.*

XX. *Ut Episcopus qui ad lapsi depositionem venire non potest, vicarium mittat.*

XXI. *Ut ante horam vespertinam in Quadragesima non edatur.*

XXII. *Ut sabbathi Paschæ officium ante horam nonam non inchoetur.*

XXIII. *De sanctorum festivitatibus transferendis.*

XXIV. *Ut generale baptisma nisi sabbatho Paschæ & Pentecostes non fiat. Parvuli quocumque tempore petierint, baptizentur: nullus in Epiphania sine infirmitatis necessitate.*

PRÆFATIO.

ANno igitur ab Incarnatione Domini 1072 congregatum est Concilium in Metropolitana Rotomagensis urbis sede in Basilica beatæ & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, cui Joannes ejusdem urbis Archiepiscopus præerat: & vestigia patrum secutus utilitati Ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum Suffraganeis suis Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Roberto Sagiensi, Michaële Abrincatensi, & Gisleberto Ebroïcensi. In primis disputatum est de fide summæ & individuæ Trinitatis, quam secundum statuta sanctorum Conciliorum * Nicæni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Calchedonensis Concilii corroboraverunt, sanxerunt, & se toto corde credere professi sunt. Post hanc Catholicæ fidei professionem annexa sunt hæc subscripta Catholicæ fidei & doctrinæ capitula.

*al. ad. scilicet

CANONES.

I



N primis statutum est à nobis ut secundum statuta patrum, chrismatis, & olei baptismatis, & unctionis consecratio, competenti horâ, id est, post nonam secundum statuta sanctorum Patrum fiat. Hoc etiam de-

bet Episcopus prævidere ut in ipsa consecratione, 12. Sacerdotes Sacerdotalibus vestibus indutos vel plures secum habeat.

II

Item in quibusdam Provincijs mos detestabilis inolevit, quòd quidam Archidiaconi Pastore carentes, ab aliquo Episcopo particulas olei & chrismatis accipiunt, & ita oleo suo commiscent, quod & damnatum est. Sed unusquisque Archidiaconus chrisma & oleum suum totum, Episcopo à quo consecrabitur, ut proprio Episcopo, præsentet.

III

Item chrismatis & olei distributio à Decanis summâ diligentiâ & honestate fiat: ita ut interim dum distribuerint albis sint induti, & talibus vasculis distribuatur, ut nihil inde aliquâ negligentiâ pereat.

IV

Item statutum est ut nullus Missam celebret qui non communicet.

V

Item nullus Sacerdos baptizet infantem nisi jejunus, & indutus albâ & stolâ, nisi necessitate.

VI

Item sunt quidam qui Viaticum & aquam benedictam ultra octavum diem reservant, quod & damnatum est; alij verò non habentes Hostias consecratas iterum consecrant: quod terribiliter interdictum est.

VII

Item donum sancti Spiritus ut non detur nisi jejunis & à jejunis, neque ipsa Confirmatio absque igne fiat, statutum est: * Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris ordinibus Apostolicæ autoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis Papæ, quòd non passim diebus omnibus sacri ordines celebrentur: sed post diem sabbathi, in ejus noctis exordio quæ in prima sabbathi lucescit, his qui consecrandi sunt jejunis à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si manè ipso Dominico die continuato sabbathi jejunia celebrentur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit: quò diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.

* quiljusdam videtur Caron VIII.

VIII

Item quatuor temporum observatio competenti tempore se-

cundum divinam inſtitutionem communi obſervantiâ à nobis ſervetur, id eſt, prima Hebdomada Martij, ſecunda Junij, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam Dominicæ Nativitatis. Indignum enim valde eſt ut ſanctorum inſtitutio aliquibus occupationibus, vel mundiali ſollicitudine deſtruatur.

IX

Item Clerici qui non electi, nec vocati, aut neſciente Epiſcopo ſacris ordinibus ſe intromittunt; aliquibus verò Epiſcopus ut Diaconibus manum imponit: alij cæteros ordines non habentes Diacones aut Preſbyteri conſecrantur, hi digni ſunt depoſitione.

X

Item qui coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, uſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur. Clerici qui ordinandi ſunt in quinta feria veniant ad Epiſcopum.

XI

Item Monachi & Sanctimoniales qui relictis ſuis Eccleſijs per orbem vagantur, alij pro nequitijs ſuis à Monaſterijs expulſi, quos Paſtorali autoritate oportet compellere ut ad Monaſteria ſua redeant: Et ſi expulſos, Abbates recipere noluerint, victum eleemoſinæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quò uſque ſi vitam ſuam emendaverint videantur.

XII

Item emuntur & venduntur curæ Paſtorales, ſcilicet Eccleſiæ Parochiales tam à Clericis quàm à laïcis, inſuper etiam à Monachis, quod ne amplius fiat interdictum eſt.

XIII.

Item Nuptiæ in occulto non fiant, neque poſt prandium; ſed ſponſus & ſponſa jejuni à Sacerdote jejuno in * Monaſterio benedicantur, & antequam copulentur, progenies utrorumque diligenter inquiratur; & ſi infra ſeptimam generationem aliqua conſanguinitas inventa fuerit, & ſi aliquis eorum dimiſſus fuerit, non conjungantur. Sacerdos qui contra hoc fecerit, deponatur.

* au Montier

XIV.

De Sacerdotibus, & Levitis & Subdiaconibus, qui feminas ſibi uſurpaverunt, Concilium Lexovienſe obſervetur: Ne Eccleſias per ſe, neque per Suffraganeos regant, nec aliquid de beneficijs habeant. Archidiaconi qui eos regere debent non permittantur aliquam habere, nec concubinam, nec ſubintroductam*, nec pellicem: ſed caſtè & juſtè vivant, & exemplum caſti-

* mulierem.

XV.

tatis & sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam ut tales Decani eligantur, qui sciant subditos redarguere & emendare, quorum vita non sit infamis, sed merito præferatur subditis.

XV

Item interdictum est ne aliquis qui vivente sua uxore de adulterio calumniatus fuerit, post mortem illius unquam de qua calumniatus fuit accipiat: multa enim mala indè evenerunt; nam plurimi de causa hac suas interfecerunt

XVI

Item nullus cujus uxor velata fuerit, ipsâ vivente unquam aliam accipiat.

XVII

Item si uxor viri, qui peregrè aut aliàs profectus fuerit, alij viro nupserit : quousque prioris certitudinem habeat, excommunicetur usque ad dignam satisfactionem.

XVIII

Item statutum est ne hi, qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inveniuntur, citissimè in sacris ordinibus restituantur. Si enim lapsis (ut ait beatus Gregorius) ad suum ordinem revertendi facultas concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ dum per reversionis spem, pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Unde hoc ratum manere oportet, ut in crimine publicè lapsus ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summâ necessitate post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

XIX

Item si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponendum tot Episcopos quot autoritas postulat, scilicet in Sacerdotis sex, in Diaconi depositione tres*: unusquisque qui adesse non poterit vicarium suum cum sua autoritate transmittat.

for. add. * non convenisse cõstiterit;

XX

Item statutum est ut nullus in Quadragesima prandeat antequam horâ Nonâ peractâ Vespertina incipiat. Non enim jejunat qui ante manducat.

XXI

Item statutum est ut in sabbatho Paschæ Officium ante Nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ Resurrectionis respicit, ob cujus reverentiam *Gloria in excelsis Deo* & *Alleluya*

M

cantatur : quod etiam in Officij initio, cerei ſcilicet benedictione monſtratur. Narrat liber Officialis, quòd in hoc biduo non ſit Sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum ſextam feriam & ſabbathum, in quo recolitur luctus & mœſtitia Apoſtolorum.

XXII

Item ſi alicujus Sancti feſtivitas in ipſa die evenerit in qua celebrari non poſſit, non ante, ſed infra octavam diem celebretur.

XXIII

Item juxta ſanctorum Patrum Decreta ſcilicet Innocentij Papæ, & Leonis, ſtatuimus ne generale baptiſma niſi ſabbatho Paſchæ & Pentecoſtes fiat. Hoc quidem ſervato quòd parvulis quocumque tempore, quocumque die petierint regenerationis lavachrum non negetur. Vigiliâ vel die Epiphaniæ, ut nullus niſi infirmitatis neceſſitate baptizetur, omnino interdicimus.

Huic Concilio conſenſerunt Joannes Archiepiſcopus Rotomagenſis Eccleſiæ, Odo Bajocenſium Epiſcopus, Michaël Abrincatenſis Epiſcopus, Giſlebertus Ebroïcenſis Epiſcopus, & quàmplures etiam venerabiles Abbates, quibus eo tempore Cœnobia Normaniæ nobiliter pollebant, & Monachicum rigorem ſervabant.

Hujus Concilij meminit Thomas Valſingham in hipodygmate Neuſtriæ. Molinæus pag. 213. Hiſt. Norm. Robertus de Monte p. 726. & alij.



REGIUM GUILLELMI CONQUESTORIS DIPLOMA Fundationis Abbatiæ ſancti Stephani Cadomenſis, Epiſcoporum & Optimatum Normaniæ ſuffragijs confirmatum.

QUo die, quove anno, aut loco congreſſus hic Epiſcoporum ac Procerum cum Rege fuerit habitus, ex tabula Fundationis planè non conſtat quam ex autographo primùm evulgavit, ſuiſque ad vitam Lanfranci Cantuarienſis Commentarijs inſeruit D. Lucas Dacherius, unde pauca hæc quæ infra ſequuntur deſcripſimus; ceterùm hoc unum pro certo ſtatuendum eſt, non ante annum 1069, quo Joannes *de Bayeux* Rotomagenſis Eccleſiæ Pontificatum inijt; nec poſt 1076, aut 77, quo Hugo Lexovienſis Antiſtes infulas cum vita exuit, editum eſſe Diploma, cui uterque ſubſcripſiſſe probatur; ſed tempore intermedio, non ſtatim ab inauguratione Lanfranci, qui ibi nominatur Archiepiſcopus : ſic autem Charta incipit.

QUisquis Deo, ſeu pro Deo aliquid præſtat, non ipſum à ſe alienat; ſed potiùs in futurum cum vita æterna multiplicandum conſervat. Hoc agit pia Creatoris largitas, & larga ejus circa creata pietas,


qui cùm bonorum nostrorum non egeat (*suus est enim orbis terra & plenitudo ejus*) honorari tamen de nostra substantia, immolarique sibi sacrificium laudis de nostra salute desiderat: hortatur nos ut ei serviamus, tribuit quod pro collatis beneficijs suis ei retribuamus: quod tamen misericors pater quasi alienum suscipit, quasi nostrum rependit; in hoc sæculo peccata remittens, in futuro centuplum accepturis, seipsum & Regnum cæleste promittens. Quâ spe ductus, Ego Guillelmus Anglorum Rex, Normanorum & Cœnomanorum Princeps, Cœnobium in honorem Dei ac beatissimi Protomartyris Stephani, intra Burgum, quem vulgari nomine vocant, Cadomum, pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum, ac parentum meorum, disposui construendum. Cui loco, ne divinæ religionis cultura aliquando propter inopiam desit; hoc modo ipsi in posterum mea sollicitudo prospexit. Ps. 23.

Trado igitur præfato Cœnobio Villas juris mei, Ceusium, Rotz, Allemanniam, Pontem-Divæ, Catburgum, cum Colonis &c.

Signum Guillelmi, Regis.
Signum Mathildis, Reginæ.
Signum Joannis, Archiepiscopi.
Sig. Roberti, Sagiensis Episcopi.
Sig Roberti, Comitis, filij Regis.
Sig. Guillelmi, Comitis, filij Regis.
Signum Lanfranci, Archiepiscopi.
Sig. Odonis, Bajocensis Episcopi.
Sig. Gisleberti, Ebroïcensis Episcopi.
Sig. Michaëlis, Abrincensis Episcopi.
Sig. Hugonis, Lexoviensis Episcopi.
S. Gaudfridi, Constantiensis Episcopi
Sig. Roberti, Comitis de Moretonio
Signum Rogerij de Bellomonte.
Sig. Roberti, Comitis de Mellento.
Signum Henrici de Bellomonte.
Signum Hugonis de Gornaco.
Signum Walterij Giffardi.
S. Richardi, Abrincensis Vice-Comitis
Signum Hugonis, Comitis.
Sig. Guillelmi, Comitis Ebroïcensis.
Sig. Rogerij, Comitis de Monte Gomerico.
Signum Guillelmi de Bretolio.
Sig. Roberti, Aucensis Comitis.
Sig. Roberti de Belesmo.
Sig. Hugonis de Monte-forti.
Sig. Hugonis de Grente-Menilo.
Sig. Nigelli de Constantino.
Sig. Willelmi, Dunelmensis Episcopi.
Signum Richardi de Corceïo.
Signum Willelmi Crispini.
Sig. Ingilranni, filij Heberti.
Sig. Alani Comitis.
Sig. Willelmi de Varenna.
Signum Henrici de Ferrarijs.

Chartam integram consule si lubet apud supradictum domnum Lucam Dacherium pag. 26. ad vitam Lanfranci.





CONCILIUM PROVINCIALE ROTOMAGENSE

Ordine tertium ſub Joanne *de Bayeux* in cauſa tumultus exorti in Cœnobio & feſto die ſancti Audoëni, in Baſilica beatæ MARIÆ ab eodem Archipræſule & Suffraganeis celebratum anno Chriſti * 1073. Gregorij VII. Papæ * 1. Indictione 11. Philippi Francorum Regis * 14. Guillelmi Ducis 38, Regni verò Anglicani 7.

* al. 1074. * 2. * 15.

DE hoc Concilio ac funeſta diei hujus tragœdia, quæ ejus colligendi cauſam præbuit ita loquitur Chronicon Cadomenſe ad annum 1073.

ANno 1073 invaſerunt Monachi ſancti Audoëni Joannem Rotomagenſem Archiepiſcopum Miſſam celebrantem in feſtivitate ejuſdem ſancti cum armata manu virorum. Unde judicatum eſt in Concilio in eadem civitate congregato, præſidente Rege Anglorum Willelmo, Monachos hujus criminis reos per Abbatias carceribus retrudi ad placitum Archiepiſcopi. Inde complures depulſi fuerunt, unus Wrnemarus nomine apud Fiſcannum, alter apud ſanctum Wandregeſillum nomine Benedictus, alter apud Gemeticum nomine Radulphus. Hactenus Chronicon Cadomenſe

Rem geſtam fuſiùs proſequitur ſcriptor anonimus ſancti Audoëni, in ea quam texuit Archiepiſcoporum Rotomagenſium Chronologia, cujus etſi teſtimonium elevare contendant nonnulli, alterius partis ſtudium obtendentes; exceptionem tamen omnino ſuperat quod elucet in eo ſcriptore antiquæ ſinceritatis inſigne; Quâ porro totum factum fuerit ex eodem vetuſto Codice depromamus.

GUILLELMUS Nortmannorum Comes & Anglorum Rex glorioſus Cœnomanis cum expeditione ſua morabatur. Aderant ei inter reliquos proceres iſte Joannes ſedis hujus Archiepiſcopus, ut vir excellentis ingenij & non mediocris conſilij, Nicolaus quoque Abbas ſupradict. Cœnobij. Imminebat celeberrima totiſque votis excipienda ſanctiſſimi Audoëni dies natalitia. Et quia moris eſt ut Archiepiſcopus ipſâ die inibi Miſſarum ſolemnia celebret, non pro ulla quidem vel ipſius gentaculi viciſſitudine, ſed quaſi in recompenſationem conſecrationis ſuæ, quam non niſi in præfata Eccleſia cuivis ſedis memoratæ licet accipere, miſſione à Rege petitâ redibat concitè, Abbate prænominato interim ad occupatiora remanente. Quid plura? Adeſt dies veneranda, Clerici majoris Eccleſiæ ſolito eò conveniunt. Et quia præmiſſo nuntio venturum ſe mandaverat, ſolemne Miſſarum interim differtur. Poſt aliquandiu verò communi conſilio, ne quid tantæ diei ſubtraheretur, dum veniat initiatur. Tantâ vero moroſitate, tan-

tâ id factum est devotione, ut non mirum totis animis hostem humani generis ad hanc turbandam lætitiam exarsisse, qui maximo sibi lucro credidit sic illud veneno suæ nequitiæ tempus inficere, quod interim sibi debebit deperire. Finito itaque *Kyrie eleison* cum duobus rithmis, exacto *Gloria in excelsis Deo*, quod inceptum ab Abbate Richardo Sagiensi, Chorus celeberrimè fuerat executus cum laudibus suis, id verò totum expendebatur in præstolatione Archipræsulis; Ecce accurrit ut turbo tempestatis, omnem confundens illius gratiam celebritatis. Hic namque totam mentis indignationem animo concipiens, quod non usquequaque fuisset expectatus, torvis oculis, ore furibundo omnibus maledixit, conversusque ad ipsos Monachos excommunicavit ex autoritate Dei & sua, Officium præsens interdicens cessare fecit. Abbatem ab altari evellens, divini officium ministerij prohibuit. Ipse ad complendum Officium se præparat, Clericis suis ut à loco intercepto peragerent imperat. Nihil hic reticendum fore censuimus, quod dum alteri parti favendo dissimulamus, alteri totum derogando imputare videamur. Fratres etsi decorem sibi tanti sui gaudij præripi dolentes, Pontificali tamen autoritati cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum tumultu Ecclesiam egrediuntur, hùc quidam, pars illò, alij aliò succedunt, invicem & ad suos, super suo pudore mœrentes conqueruntur. Cum subitò quidam mœroris impatiens, dubium quidem, an ex ipsis vel eorum famulis, plus furoris, minus consilij animo colligens, turrim properat, majus Ecclesiæ signum pulsat. Hinc forum ocior advolat, Archiepiscopum sancti Audoëni glebam ad majorem Ecclesiam asportare velle proclamat. Prosiliunt omnes è domibus, alius gladium, hic bipennem, diversi quod primum manibus occurreret arripiunt, Ecclesiam cum furore irrumpunt. Quidam curiositate acti celata Monasterij conscendunt, quædam ex tabulatis auferunt, quid sic furens populus agere vellet rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia tantæ eis continuationem lætitiæ interrupisset, nec sibi perficere liceret. Archiepiscopus circumcirca furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas Monasterij fugam arripuit, vix elapsus infra ambitum earum, ipsis priùs clausis sè recepit. Undique circum se sedilia & formas aggregari fecit; nonnulli tamen partis ipsius arreptis candelabris, cereis & perticis in Monachos efferati, sed ab eis non segniter excepti, pudet dicere quàm fœdo exemplo res eo die debuit determinari! &c. Et infra; Igitur Vice-Comes civitatis Archiepiscopum sic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconsultius adversus ipsum ageretur, & ipse post noxæ argueretur, militarem manum cogit, Regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit, jam nihil reluctantem, imò sibi penitus diffidentem periculo eximit. Ijs tumultuum dementijs exacta est dies tantæ celebritatis &c. Et paulò inferiùs. Fratres in crastinum de suis eligunt, per quos Abbati suo quod factum fuerat innotesceret, & Regem super hoc suggesturus adiret: sed Archiepiscopi nuntius præcesserat, invidiam omnem in Monachos retorserat; Sic infecto negotio reditum est. Rex licet post ipsius Archiepiscopi & quorumdam aulicorum instincta animo in Monachos motus, rem tantam ex æquo pen-

ſans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconſultum tumultum juſtis librationibus præponderat. Jubet igitur Eccleſiam ab Archiepiſcopo reconciliari, quod cum ſatis irato & reluctanti animo abnueret, Rex Michaëli Epiſcopo Abrincatenſi loci reconciliationem injunxit; pudorem vero ſuum in futuro vindictam prætendens diſſimulavit. Quatuor igitur Monachos quos factionis autores audierat totidem aliorum Cœnobiorum Abbatibus commiſit, quatinus & Archiepiſcopo ſatisfacerent, & illi in peregrinatione luerent quod minus conſultè peccaſſent. Non multo poſt, & rationis conſideratione, & petitu Abbatis ipſorum flexus, in præſentiam ſui eos revocavit, & Eccleſiæ reconciliatos reddidit &c. Hactenus anonimus ſcriptor ſancti Audoëni.

Ex Codice MS. Sanctæ Mariæ de Fontaneto.

ANno Incarnationis Dominicæ M. LXXIV. congregatum eſt Concilium in Metropolitana Rotomagenſi ſede Eccleſia beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ, præſidente ſedi Apoſtolicæ Gregorio, regnante Philippo Rege Francorum, ac tenente Normanniam Guillelmo invictiſſimo Rege Anglorum; In quo in primis diſputatum eſt de fide ſanctæ & individuæ Trinitatis, quam ſecundum ſtatuta ſanctorum Conciliorum, ſcilicet Nicæni, Conſtantinopolitani primi, Epheſini, Calchedonenſis Concilij corroboraverunt, ſanxerunt, & ſe toto corde credere profeſſi ſunt. Poſt hanc Catholicæ fidei profeſſionem annexa ſunt hæc ſubſcripta Catholicæ fidei capitula.

I



UT omnis ſimoniaca hæreſis funditus eradicetur, ita quòd neque Abbatia, ſeu Archidiaconatus, aut Decanatus, aut Eccleſia Parochialis ematur aut vendatur, nec aliquid pro introïtu Eccleſiæ expectetur. Quod præceptum Canonicalis autoritas, & beati Gregorij Decreta corroborant.

II

Quòd nullus ordinetur Abbas, niſi qui priùs diuturnâ converſatione monaſticæ vitæ diſciplinam aſſecutus fuerit. Quod ex Canonicali autoritate, atque ex Decretis beati Nicolai Papæ ſancitum eſt.

III

Quia neglectâ ſanctorum Patrum inſtitutione, nullum videlicet Clericum abſque proprij Epiſcopi formatâ poſſe ſuſcipi, nefandiſſimos in ſancta Eccleſia errores pullulaſſe cognovimus, quòd hi qui nondum ſacerdotalis benedictionis gratiam adepti fuerant, ſacerdotale officium adimplere præſumpſerunt; ſicut prædicta Canonicalis autoritas inſtituit, ſancimus debere obſervari.

IV

Ne Ordines ab Acolytho uſque ad Sacerdotium unâ die vel uno tempore tribuantur, ſacrâ Canonum autoritate prohibemus.

V

Quòd Subdiaconi, ſive Diaconi, ſive Sacerdotes parochiani non ordinentur ſecundum confirmationem Toletani Concilij abſque legitima profeſſione, quam coram Epiſcopo & omnium circumſtantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.

VI

Nullus Monachus corporali crimine publicè lapſus Abbas ordinetur, vel in aliquo exteriori officio præficiatur, quod in utroque ſexu ſervetur. Hoc autem præceptum ex Decretis beati Gregorij Papæ roboratur.

VII

Ut Regula beati Benedicti in utroque ſexu incommutabiliter obſervetur, ut neque in vigilijs, neque in jejunijs, ſive indumentis ab ejus inſtitutione diſſideant; nec juxta beati Gregorij decretum, ſi alia lege vivere voluerint quàm ordo exigit, permittantur. Juramenta quæ contra regularem obſervantiam faciunt, omnino omittant, & ſilentium quod penitus omiſerunt, teneant.

VIII

Clericis qui in - - - - - - ordinantur, nulla ſit excuſatio ignorantia, ut in Toletano Concilio 8. ſtatutum eſt.

IX

Ne morte præoccupatis, ſi crimine mortali liberi fuerint, ſepultura, vel exequiæ denegentur, neque prægnantibus aut parturientibus. Hos verò qui ſacros Ordines reliquerunt, placuit ſanctæ Synodo, niſi anathematizari.

X

De his qui ſub obtentu religionis quaſi pœnitentes dicunt ſe cum ſororibus, aut cum conſanguineis uxorum ſuarum ante conjugium coïſſe, odio habentes uxores ſuas, & hac occaſione volentes dimittere eas, communi aſſenſu inſtituimus, ut quod ore profitentur judicio prebent.

XI

Similiter de his qui ſacris Ordinibus conſecrati, & ab Ordine volentes deponi, mentientes dicunt ſe non habuiſſe omnes Ordines, dum conſtituuntur, Sacerdotes fieri judicamus.

XII

Ne hi qui culpis urgentibus ab Ordine ſunt depoſiti, quaſi ab omni Clericatu liberi, militent ſæculo more laïcali.


XIII

Ut qui pro aliquo inceſto matrimonio ſunt disjuncti, caſtitatem ſervent, quoad uſque nubant. Quod niſi fecerint, adulterantur.

XIV

De Judæis canonicalis autoritas, & beati Gregorij decretum ſervetur; ſcilicet: Ne Chriſtiani mancipia habeant, nec nutrices.

Huic Concilio interfuit Guillelmus Rex potentiſſimus Anglorum & Princeps Normannorum, cujus juſſu præſcriptæ ſententiæ corroboratæ ſunt.
Subſcripſit autem ejuſdem Metropolitanæ ſedis Joannes Epiſcopus.
Odo Bajocenſis Epiſcopus.
Hugo Lexovienſis Epiſcopus.
Michaël Abrincenſis Epiſcopus.
Giſlebertus Ebroïcenſis Epiſcopus.
Robertus Sagienſis Epiſcopus, & alij plures etiam venerabiles Abbates.



CONCILIUM
ROTOMAGENSE

Quartum ſub Joanne *de Baveux* præſente Guillelmo Anglorum Rege, pro negotijs tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus pertractandis collectum, in quo Prioratus ſancti Victoris apud Caletes in Abbatiam commutatus eſt anno 1074. Gregorij VII. 2. Indictione 12, Philippi Regis Francorum 14. Guillelmi Conqueſtoris 39, ejuſdem Anglorum Regis 8.

CElebrati hoc anno Concilij Rotomagenſis meminerunt Robertus de Monte & Chronicon Cadomenſe, de quo hæc Robertus.



CONGREGATUM eſt Concilium in Rotomagenſi urbe, præſidente Willelmo Anglorum Rege & Normannorum Principe, & Joanne Archiepiſcopo Rotomagenſi, & Odone Bajocenſi Epiſcopo, & Hugone Lexovienſi, & Michaële Abrincenſi, Giſleberto Ebroïcenſi & Roberto Sagienſi, in quo tam de negotijs Eccleſiaſticis, quàm de

de Regni utilitatibus diligenter tractaverunt.
Hactenus Robertus Montensis, quem sequitur Chronicon Cadomense.

QUid porro in Concilio agitatum, quid ve circa Ecclesiasticam Disciplinam statutum est non perinde constat; Ceterùm inter ejus acta recensetur Decretum de Prioratu sancti Victoris in pago Caletensi in Abbatiam erigendo editum, cujus extat authenticum Joannis Archiepiscopi Diploma eo nomine confectum, quod nuper ex Regalis Monasterij sancti Audoëni Chartophilacio juris publici fecimus; in eo veterum chartarum Collectaneo, unde totus Historiæ San-Audoënianæ liber 5ᵘˢ constat: Diplomatis autem tenor talis est.

JOANNES Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, universis Fidelibus salutem, gratiam & benedictionem.


NOTUM sit omnibus modernis & futuris, quòd Petitio Rogerij de Mortuo-mari, & uxoris ejus Haduizæ ad nos venit, ad Dominum Guillelmum Regem Anglorum & ad me, sedentes & tractantes de negotijs Ecclesiasticis & sæcularibus in quodam Concilio congregato in urbe Rotomagensi, ut Domnum Nicolaum Abbatem sancti Audoëni Rotomagensis cognatum nostrum obnixè conveniremus, quatinus pro amore Dei & nostri, Abbatiam fieri dimitteret de quodam Prioratu de Ecclesia S. Victoris in *Caux*, in qua habitabant Monachi S. Audoëni, quæ dicitur ad sanctum Victorem, & quam Ecclesiam quidam Presbyter nomine Tormor de cujus jure erat, Ecclesiæ Sancti Audoëni, de assensu Guillelmi tunc Ducis Normanorum, & Malgerij Archiepiscopi Rotomagensis, & Rogerij de Mortuo-mari, in cujus feodo erat, pro salute animæ suæ dederat in eleemosinam, & in Ecclesia sancti Audoëni Monachus effectus fuerat, cum quodam nutritio suo nomine Gilberto. Et præfatus Rogerius concessit ut tantum redditus augeret Ecclesiæ sancti Victoris & Ecclesiæ sancti Audoëni, ut honorificè ibi Monachi servire possent & eis dignè sufficeret, & quale dominium antea habuerat Ecclesia sancti Audoëni in Prioratu, tale postea in Abbatia æternaliter possideret. Cum verò prædictus Abbas Nicolaus assensu capituli sui, & rogatu nostro, & amore Rogerij & uxoris suæ hæc concessisset, Radulphum quemdam Monachum suum ibi præficiens ad supradictum locum constituendum misit & cum eo de Monachis suis sancti Audoëni, Fulbertum, Gislebertum Fauvetellum, Hubertum Treton, & Guillelmum. Tali tamen conditione quod Dominium suum sancto Audoëno in domo sancti Victoris nullo modo minueretur, sed ibi poneret Abbatem alio defuncto, sicut Priorem ponere solebat, salva dignitate sancti Audoëni. Hoc enim constitutum est inter nos ratum & firmum esse in perpetuum, cujus rei testes sumus ex utraque parte. Si enim in disponendo Abbate Monachi vel laïci rebelles Ecclesiæ sancti Audoëni fuerint, statuimus & firmiter præcipimus Guillelmus Rex & ego Joannes Archiepiscopus Rotomagensis, & Rogerus de Mortuo-mari, in quorum præsentia hoc factum fuit autoritate Domini Papæ Gregorij, & Regia potestate omnibus hæredibus & successoribus nostris, ut Abbas sancti Audoëni accipiat Ecclesiam Prioratus sui sancti Victoris, cum omnibus appenditijs suis inibi inventis, in Ecclesijs, in

decimis & alijs substantijs, & ponat Priorem in Ecclesia illa sicut antea solet, ne Ecclesia sancti Audoëni pro liberalitate sua detrimentum patiatur fraude & dolo, quam antecessores nostri pro salute animarum suarum fundaverunt. Hanc conventionem autoritate nostra ab Abbate Nicolao & Rogero de Mortuo-mari concessam coram Rege ratam esse statuimus, & præsentis scripti privilegio & sigilli nostri autoritate confirmavimus, & prohibuimus ego Joannes Archiepiscopus sub anathemate, ne quis Clericus aut laïcus audeat hoc infringere, præsentibus istis Episcopis & mecum excommunicantibus, Gisleberto Ebroïcensi Episcopo, Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Roberto Sagiensi; quorum anathemate omnes fractores hujus operis confodiantur. Præfatus autem Rex Anglorum Willelmus prohibuit sub forisfactura 20 unciarum auri reddendarum Duci Normaniæ, & 20 librarum Rotomagensium Archiepiscopo ne ab aliquo infringatur. Testibus prædictis Episcopis & Fulberto Archidiacono, & Rogero de Mortuo-mari, in quorum præsentia hoc factum fuit, anno ab Incarnatione Domini 1074. Hactenus Charta Joannis Archiepiscopi.

Quod autem ad Canones attinet in Concilio editos, in antiquis membranis Cœnobij sancti Stephani de Fontaneto Diœcesis Bajocensis 13 delitescere autor est Joannes Labe Societatis Jesu Presbyter, quos singulari Ecclesiæ commodo ab aliquo antiquitatis Ecclesiasticæ studioso proferri in lucem summopere gratularemur.

Porro in hac eadem Synodo id contigisse testantur Sammarthani quod superiùs attigimus, nimirum solito in concubinarios Presbyteros zelo æstuantem Pontificem, dum eis concubinas prohibet, lapidibus petitum, fugâ saluti consulere coactum fuisse; qua de re Ordericus. pag. 507. hæc strictim.

Multum contra impudicos Presbyteros pro auferendis pellicibus laboravit: à quibus dum in Synodo concubinas eis sub anathemate prohiberet, Psal. 78 lapidibus percussus aufugit, fugiensque de Ecclesia: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, fortiter clamavit.



CONVENTUS EPISCOPORUM NORMANIÆ

Ad Consecrationem Basilicæ S. Stephani Cadomensis à Joanne Metropolitano, præsente Anglorum Rege, anno 1077 factam.


SAcræ Basilicæ inaugurationem paucis exequitur Ordericus Vitalis lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ ad annum 1077. unde quæ sequuntur descripsimus.



ANno ab Incarnatione Domini 1077. Indictione 11 Præfati Pontifices alacriter Roma redierunt: in quorum adventu Rex & omnes indigenæ Normanici magnificè lętati sunt. Tunc Basilicæ plures in Normania cum ingenti tripudio dedicatæ sunt; ad quas Rex & Regina cum filijs suis Roberto atque Guillelmo, & ingenti frequentia optimatum affue-

sunt; Matrices Ecclesiæ Bajocensis & Ebroïcensis Episcopatus, & Beccensis Cœnobij dedicatæ sunt in honore Sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ.

Eodem quoque anno Cœnobialis Basilica in honore Sancti Stephani Protomartyris apud Cadomum dedicata est, cui à Rege & proceribus ejus locuples dos atque multarum copia gazarum data est. Harum dedicationes Ecclesiarum Joannes Rotomagensis Archiepiscopus & Suffraganei ejus Episcopi Normaniæ solemniter egerunt, cum quibus reverendi Metropolitæ Lanfrancus & Thomas, & multi Abbates & mira multitudo populorum affuerunt. Hæc Vitalis.



CONVENTUS NORMANIÆ ANTISTITUM,


Abbatum ac Procerum pro Dedicatione Beccensis Basilicæ à Lanfranco Cantuariensi peracta anno 1077. Gregorij VII. 5. Indictione 15. Philippi Francorum Regis 17. Guillelmi Ducis 42, Regni ejusdem Anglici 11.

Celebritatis hujus apud Guillelmum Gemeticensem insignis extat memoria ad annum 1077. qui Cœnobij Beccensis primordia referens, constructæ à beato Herluino primo loci hujus Abbate, ædis sacræ inaugurationem accuratè sic prosequitur.



Ova necdum sacrata erat Ecclesia, quoniam ab ipso, cujus eam inchoavit & auxilium consummavit, expectabat consecrari, instanter à Deo exposcens, cujus petitioni, qui ad cetera sibi benignus extiterat, optatum Deus concessit effectum: multo enim ampliori quàm præsumere poterat honorificentiâ consecrata est à quo exoptabat.

Igitur 10 Kalendas Novembris anno ab Incarnatione Domini 1077. sanctæ omni Ecclesiæ venerandus gentium transmarinarum summus Pontifex advenit consecrando consummaturus Ecclesiam, quam inspirante Deo inchoavit, & in cujus extruendis fundamentis lapidem secundum ipse manu sua imposuit. Convenerunt universi Normaniæ Episcopi, Abbates & alij quique religiosi viri, affuerunt proceres regni. Rex alijs intentus negotijs adesse non potuit. Regina Mathildis libens adfuisset, nisi regijs detenta occupationibus fuisset. Affuit tamen per condecentem beneficentiæ suæ largitionem. Noluit Rex supernus operi gratiæ suæ Regem terrenum supremam manum imponere, sibi totum reservans consummari gaudium, quòd infra 16 annos solis pauperum expensis complevit Monasterium cum omnibus officinis, opus pulchrum & maximum. Affueruut & Franciæ clarissimi Consules, & ex alijs regni ejusdem Primatibus complures Clerici, Monachi, ex universis adjacentibus Provincijs. Hactenus Gemeticensis.



SYNODUS EPISCOPORUM ABBATUM

Totiusque Cleri Cathedralis Ecclesiæ Rotomagensis in causa depositionis Joannis Archiepiscopi ob infirmam valetudinem ab Huberto Cardinali sedis Apostolicæ Legato Rotomagi habita anno 1078. Gregorij VII, 6. Indictione 1. Philippi Francorum Regis 18. Guillelmi Ducis 43, Anglorum Regis 12.

MAndatum de hac Synodo habenda subindicat Gregorij VII ad Guillelmum Anglorum Regem Epistola de Archiepiscopi Rotomagensis ægritudine data, quæ talis est.

Gregorius servus servorum Dei Guillelmo Regi Anglorum, salutem & Apostolicam benedictionem,

OFFICIJ nostri cura exigit ut Ecclesijs Pastoribus viduatis sollicitè subvenire properemus &c. Unde Rotomagensi Ecclesiæ, quam dudum Pastore destitutam ægritudine impediente audivimus, succurrere hoc modo disposuimus. Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum, quem experimento nobis & tibi fidelem didicimus liberali gloriæ tuæ, fili carissime, mittimus, qui cum Viris religiosis Episcopis, & Abbatibus ejusdem etiam Ecclesiæ fratribus prædictum Archiepiscopum adeas, diligenti & pia consideratione examines, an Pastorali moderamini præesse ut oportet valeat; si verò valetudine corporali sic judicent destitutum, ut amodo Episcopali non sit aptus regimini, prius admonitionibus admonere non desistant, si oportuerit, etiam autoritate Apostolicâ ut suo consensu ordinetur Ecclesia. At si valetudo sic eum oppresserit, ut insensatum & officij sui obliviosum reddiderit, non disjudicans quanti sibi & universæ patriæ ægritudo sit detrimenti, præcipimus ut autoritate Apostolica virum tanto ponderi competentem, bene moratum & sapientem universorum consensu canonicè cures eligi & in Archiepiscopum promoveri. Data Romæ 2. Non. Aprilis. Indictione 1.

---

48. * GUILLELMUS I. cognomento bona anima, Radbodi Sagiensis Episcopi filius, primùm Canonicus Rotomagensis sub Maurilio, tum Monachus Beccensis, deinde Cadomum à Guillelmo Conquestore ad novæ hujus familiæ mores instituendos cum Lanfranco vocatus: eodem postea in Archiepiscopum Cãtuariensem assumpto, in ejus Asceterij administratione Successor: postremò Joanne deposito ad Ecclesiæ metropolitanæ regimen evectus est anno 1079: Vir sanè tanto munere dignus qui generis maculam insigni vitæ sanctimoniâ ac morum gravitate compensavit. Præclaras animi ejus dotes ac virtutes, præter eas quas commemorat varijs ad eum datis Epistolis Yvo Carnutensis, graphicè pro singulari ejus merito describit Ordericus Vitalis quibus supersedemus brevitati consulentes. Verùm ut mortalium fert con-

ditio non caruit suis nævis tantus Pontifex; duplici quippe maculâ gloriam suam aspersit. Altera quod in exhibenda sedi Apostolicæ debita reverentia paulò negligentiùs se gesse it, limina Apostolorum invisere plus æquo distulerit, pro more illius temporis; Pallium Archiepiscopalis dignitatis insigne à summo Pontifice postulare neglexerit; quamobrem acriorem à Gregorio VII. correptionem excepit: Alterum quod gravius est solus ex Galliarum Episcopis incestis Philippi primi nuptijs cum Bertrada pellice benedictionem impertiri non est veritus Guillelmo Malmesburiensi teste, quod Odoni Bajocensi ascribit Ordericus Vitalis: eam ob rem sacri muneris interdicto diu subditus, vix tandem post multum temporis agente apud Paschalem 2. beato Anselmo Cantuariensi, restitutus est;

Ceterùm multis præclarè gestis Pontificis hujus administratio celebratur: in primis Orderico Vitali teste matricem Basilicam pretiosa suppellectili instruxit, claustrum Episcopij, domosque convenientes à fundamentis renovavit. Corpus sancti Romani de propria æde in Basilicam Metropolitanam transtulit, ejus feretro auro ac gemmis, ac etiam sancti Pontificis solemnitatem decimo Kalendas Novembris per totam Diœcesim festivè celebrari constituit. Multa eo sedente Concilia celebrata sunt. In ijs sunt Rotomagensia plura; alterum ut Sagiensis Ecclesiæ, Serlo Uticensis Abbas, renuntiaretur Pontifex: alterum absoluto Claromontensi Concilio collectum, in quo perspectis (ut scribit Ordericus Vitalis) Claromontanæ Synodica-pitulis scita Apostolica confirmarentur, ac novæ constitutiones promulgarentur.

Postremum item Rotomagi à Guillelmo acturo de rebus Ecclesiæ necessarijs cum Suffraganeis suis. His accedunt Juliobonense autore Guillelmo Anglorum Rege congregratum. Lexoviensis Conventus Henrico I. Rege ad sedandas procerum discordias ex præteritis bellorum tumultibus natas. Quibus annumerantur Conventus apud Oxellum in causa quæstionis inter Guillelmum Archipræsulem & Gerbertum Fontanellensem mota, coram Guillelmo Principe tractata atque composita; & alter Cadomi in causa Fundationis sancti Stephani Provincialium Episcoporum autoritate firmandæ, ac tandem Guillelmi Regis vita functi funus pio æque ac grato animi affectu accitis undique Provinciæ Episcopis & Abbatibus curavit. Denique ipse multis gloriosè pro Ecclesia sua perfunctus laboribus post 32 regiminis annos nondum expletos excessit è vivis anno 1110. 5. Idus Februarij, & in exedra seu loco Capitulari à se constructo tumulum sortitus est. Concilia eo Pontifice celebrata recensentes à Juliobonensi servato debito temporis ordine auspicamur, cujus acta ex Orderici Vitalis libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ deprompta, & ad veterum aliquot codicum Manuscriptorum Bibliothecæ Bigotianæ, Fontanellensis & Pratellensis fidem collata exhibemus, ex quibus tum varias lectiones deprehendere, tum etiam nonnulla immutata restituere licebit, quæ ad marginem posita conspiciuntur.


DECRETUM SYNODALE

De pace quæ vulgo Dei trevia dicitur, & quæ die Mercurij incipit, constitutum à Guillelmo seniore, Rege Anglorum & Duce Normanorum, & Episcopis Normaniæ in Synodo Iuliobonensi.



RATRES in Domino carissimi in pace quæ vulgo dicitur trevia Dei, & quæ à die Mercurij Sole occidente incipit, & die Lunæ Sole nascente finit, hæc quæ dicam vobis promptissima mente dehinc inantea debetis observare. Nullus homo nec femina hominem nec feminam usquam assaliat, nec vulneret, nec occidat, nec castel-

lum, nec burgum, nec villam in hoc ſpatio quatuor dierum, & quinque noctium aſſaliat, nec deprædetur, nec capiat, nec ardeat ullo ingenio, aut violentiâ, aut aliquâ fraude. Quòd ſi aliquis, quod abſit, illa non tenendo quæ præcipimus, infregerit, ſi non xxx. annorum ſpatio pœnitentiam in exilio fecerit, & antequam ab Epiſcopo exeat, quicquid fecit contra pacem emendaverit, à Domino Deo excommunicamus, & à tota Chriſtianitate ſit ſeparatus. Quicumque verò illi aliqua in re communicaverit ſcienter, aut conſilium ſive adjutorium dederit, aut ullum colloquium; niſi ut ad pœnitentiam veniat, & ut dictum eſt, ab hoc Epiſcopo exeat, habuerit, ſimiliter ſit excommunicatus, donec ad emendationem venerit. Quòd ſi ille ſanctæ pacis violator miſerrimus poſtquam acceptâ pœnitentiâ xxx. annorum ubi exulat moriatur, nullus Chriſtianorum præſumat illum viſitare, aut corpus à loco in quo jacuerit tollere, nec quicquam ex ſubſtantiæ ſuæ bonis accipere. Præterea Fratres hanc pacem & treviam Dei, de terris aut de beſtijs, inſuper de rebus omnibus quæ habere poſſunt, tenebitis. Quòd ſi quis aut aliquam beſtiam, aut etiam obolum ſive veſtimentum in iſta pace tulerit alieni, ſit excommunicatus, donec ad emendationem veniat. Quòd ſi ad emendationem voluerit venire, primum reddat quod rapuit, aut tantum quanti erat pretij quod rapuit. Dehinc VII. annis pœniteat infra Epiſcopum. Si autem moriatur priuſquam ſatisfaciat, & pœnitentiam ſumat, non ſepeliatur, nec à loco quo obijt moveatur, niſi pro illo parentes ejus ſatisfecerint ei cui injuriam fecit. Ceterum in hac pace nullus niſi Rex aut Comes hujus patriæ caballicationes aut hoſtilitatem faciat, & quicumque in caballicatione aut hoſtilitate Regis fuerit, in hoc Epiſcopi nihil pluſquam ſibi ac ſuis equis neceſſaria ad victum accipiant, mercatores autem & omnes homines qui ab alijs regionibus per vos tranſierint pacem habeant à vobis. Hanc etiam Dei treviam ab initio Adventus Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & à capite jejunij uſque ad octavas Paſchæ, & à diebus Rogationum inchoantibus uſque ad octavas Pentecoſtes per omnes dies tenebitis. Qui hanc pacem obſervaverint pro illis preces agendo benedicant, illos verò qui infregerint, aut qui infractoribus conceſſerint, maledicant. Si quis autem ſe pacem neſcienter dixerit infregiſſe, priùs ſacramentum faciat calidumque judicij ferrum portet, ſeptem annis pœniteat,



CONCILIUM JULIOBONENSE

JUSSU GUILLELMI CONQUESTORIS COLLECTUM,

Guillelmo hujus nominis I. Rotomagenſi Archipræſule præſidente celebratum anno 1080. Gregorij VII. 8. Indictione 3. Philippi Francorum Regis 20. Guillelmi Conqueſtoris 45, Anglorum Regis 14.

De Concilio Juliobonenſi ad annum 1080. hæc ſcribit Ordericus Vitalis.

PRÆFATIO.

ANNO ab Incarnatione Domini 1080 Rex Guillelmus in * Feſto Pentecoſtes ad * Illebonam reſedit, ibique Guillelmum Archiepiſcopum & omnes Epiſcopos & Abbates, Comiteſque cum alijs Proceribus Normaniæ ſimul adeſſe præcepit: ut Rex juſſit ita factum eſt. Igitur octavo anno Domini Gregorij Papæ VII. celebre Concilium apud * Jullam-bonam celebratum eſt, & de ſtatu Eccleſiæ Dei, totiuſque Regni, providentiâ Regis cum * Baronum ſuorum conſilio utiliter * tractatum eſt. Statuta verò Concilij, ſicut ab his qui interfuerunt veraciter annotata ſunt, volo hìc referre, ut poſteri diſcant, quales in Normania leges fuerunt ſub Guillelmo * Rege.

*MS. c. in feſtivitate. *B. g. c. Inſulâbonam *Lillebonam. *præſcriptorum. *B. g. c. diffinitum eſt *a. Prîncipe.

CANONES.

I.

PAx Dei, quæ vulgo * Trevia dicitur, ſicut ipſe Princeps Guillelmus eam initio conſtituerat firmiter teneatur, & per ſingulas * Parochias dictis excommunicationibus renovetur. Qui verò * ſervare contempſerint, vel aliquatenus fregerint, Epiſcopi ſecundum quod priùs ſtatutum eſt eos judicando juſtitiam faciant. Si quis verò Epiſcopo ſuo * inobediens fuerit, Domino in cujus terra habitat Epiſcopus hoc demonſtret, & ille ſubdat eum Epiſcopali juſtitiæ. Quod ſi & Dominus facere contempſerit, Regis Vice-Comes * per Epiſcopum inde requiſitus omni remotâ excuſatione faciat.

*Big. c. Treuga *Big. c. Eccleſias. C. Prat. eam. *Prat. inde. *al. interim.

II.

De his qui de parentela ſua uxores tenent, vel uxores parentum ſuorum, Epiſcopi Canonicam juſtitiam exequantur. Rex enim inde nullum ſuſtinet vel tuetur; ſed potiùs Epiſcopos adjuvando admonet, ut lex Dei firmiter teneatur.

N iiij

III.

*deeſt, poſt, in cod. MS
*al. videtur.
*al. priùs.
*al. quòd.

Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & omnes Canonici & Decani, nullam omnino feminam habeant. Quòd ſi aliquis * poſt, eandem culpam * viſus fuerit incurriſſe, ſi per miniſtros Epiſcopi inde * prior fuerit accuſatus, in curia Epiſcopi ſe purgabit: ſi vero Parochianorum vel Dominorum ſuorum aliquis eum prius accuſaverit, habeat accuſatus inducias ut cum Epiſcopo poſſit loqui: * & ſi ſe purgare voluerit, in eadem Parochia cui ſervit præſentibus Parochianis pluribus ante Epiſcopi miniſtros, & eorum judicio ſe purgabit: ſi verò purgare ſe non potuerit Eccleſiam * perdet irrecuperabiliter, hoc * prædictus Rex ſtatuit, non perenniter Epiſcopis ſuis aufferendo debitam juſtitiam; ſed quia Epiſcopi * eo tempore minus quàm conveniſſet inde fecerant, donec ipſe eorum * videns emendationem eis * redderet pro bene facto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commiſſo.

*al. perdat.
*autē
*deeſt; eo tempore
*al. videndo.
*al. reddidit Pratell.

IV

*pro horum venditione vel donatione
*al. interim
*add. Preſbyter.

Nullus laïcus in redditibus altaris, vel in ſepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat; nec pecuniam * per eorum venditionem aliquatenus habeat, nec Preſbyter * inde ſervitium faciat, niſi legationem Domini ſui portet. Ita ut * in eadem die ad ſervitium Eccleſiæ revertatur, & ad orationes (per Normaniam ſolummodo) victum Domini ſui habens, ſi Dominus voluerit, ſecum vadat: ſervitium Eccleſiæ Preſbyter interim curet.

V

*al. propter

Preſbyteri ab Epiſcopis vel ab eorum miniſtris * præter juſtos redditus Epiſcopi vi vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

VI

*In cod. ms. deeſt Preſbyterorū

Archidiaconi per Archidiaconatus ſuos ſemel in anno * Preſbyterorum ſuffraganeorum ſuorum veſtimenta, & calices, & libros videant: deſignatis ab Epiſcopo in unoquoque Archidiaconatu ſolummodo tribus locis, ubi vicini Preſbyteri ad hæc monſtranda convocentur.

VII

*al. Quòd cùm.
*Big. & Prat. ſᵒ.

*Quando Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris qui conveniunt triduo (ſi expedit) victum ſibi * habeat.

VIII

*al. forfacturā
*al. interim.

Si Presbyter * forisfacturam fecerit de foreſtis Regis, vel Baronum ejus, nullam * inde emendationem habebit Epiſcopus.

IX

IX

Presbyteri ſemel in anno circa Pentecoſtem cum proceſſionibus ſuis ad matrem Eccleſiam veniant; & de ſingulis domibus ceræ * denerata, vel idem valens ad illuminandam Eccleſiam altari offeratur. Quod qui facere noluerit, à Presbytero ſuo per miniſterium ſuum cogatur hoc ſolvere, ſine emendatione pecuniæ.

*al. denariata *al. denariatio alias.

X

Laïcus Preſbyterum non det * vel adimat Eccleſiæ, niſi ex conſenſu Præſulis. * Quem tamen, ſi recipiendus eſt, Epiſcopus non repellat; & ſi repellendus eſt, non retineat.

* vel ordinet * al. qui

XI

In Cimiterijs Eccleſiarum quæ in civitatibus, vel in caſtellis vel burgis ſunt, quidquid Epiſcopi tempore Rodberti Comitis vel Guillelmi Regis * ejus conſenſu habuerunt, Epiſcopi rehabeant.

* al. eorum

XII

In Cimiterijs verò quæ in marchis ſunt, ſi * gerra fuerit, & aliqui ad habitandum ibi faciant manſionem, dum gerra durabit, & ipſi * propter gerram in atrio manſerint, nullam * foriſfacturam ab eis Epiſcopus habebit, niſi quam habuiſſet antequàm ad atrium confugiſſent. Cùm autem pax facta fuerit, qui propter guerram illùc confugerant de atrio exire cogantur, aut Epiſcopalibus legibus ſupponantur: qui verò in prædictis Cimiterijs antiquitùs manſerunt, in antiqua * quietudine permaneant.

* Prat. Werra * al. propè. * al. forisfactionẽ. * Prat. manſuetudine.

XIII

Eccleſiæ villarum quantum Cimiterij tempore Rodberti Comitis * habuerunt, vel quantum uſque ad illud ſupraſcriptum Concilium habuerunt tantum habeant; & in eis illas conſuetudines habeant Epiſcopi, quas tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis * ejus conſenſu habuerunt, niſi Epiſcopi concedente Rege Guillelmo aliquam conſuetudinem fecerint.

Big. cod. addit, * vel Guillelmi Regis. * al. eorum.

XIV

Si * poſt Concilium aliqua nova fit Eccleſia intra villam, faciat Epiſcopus Cimiterium * conſideratione dominorum & parochianorum ejuſdem Eccleſiæ: † Si verò extra villam nova fit Eccleſia, undique habebit quinque perticas Cimiterij.

* Prat. priùs. * Big. c. conſuetudine. † *Hæc deſunt in cod. Bigot.*

XV

Si Monachis donatur Eccleſia, Preſbyter qui eandem tenet Eccleſiam, honorificè teneat quidquid de eadem Eccleſia * habuit, antequam Monachi eam haberent, & tanto melius quan-

* al. habuerit.

to ſanctioribus aſſociatur hominibus. Eo autem mortuo, vel aliquatenus deficiente, Abbas idoneum Preſbyterum quærat, & Epiſcopo eum vel per ſe, vel per * nuntium ſuum oſtendat. Quem, ſi recipiendus eſt, Epiſcopus recipiat: Si verò Preſbyter cum Monachis * religioſè vivere voluerit, videat ut Eccleſia quam Epiſcopali licentiâ intravit honeſtè tractetur, tam in veſtimentis quàm in libris & ceteris Eccleſiæ ſerviendæ neceſſarijs, ſecundum ejuſdem Eccleſiæ facultatem. Quòd ſi Presbyter cum Monachis vivere noluerit, tantum det ei Abbas de bonis Eccleſiæ, unde & bene vivere & Eccleſiæ ſervitium convenienter valeat Presbyter adimplere. Quod ſi Abbas facere noluerit, ab Epiſcopo convenienter cogatur ut faciat: Presbyter verò Epiſcopo ſuo juſtè ſubditus ſit, & Epiſcopales redditus perſolvat. Quæ verò ſuperabundant, in uſus Monaſterij ſui Abbas habeat. Hoc idem in Eccleſijs Canonicorum obſervetur.

* al. judicium.

* al. religioſis.

XVI.

Violatio Eccleſiæ & atrij, ſicut ſuperiùs determinatum eſt, & commiſſa pro quibus divinum officium remanet, Epiſcopis per pecuniam emendetur. Aſſultus in itinere * Eccleſiæ ſimiliter.

* deeſt Eccleſiæ.

XVII.

Si quis iratus perſequitur alium in atrium vel in Eccleſiam, ſimiliter.

XVIII.

Si laïcus arat vel ædificat in atrio ſine licentia Pontificali, ſimiliter.

XIX.

Si Clericus raptum fecerit, vel furtum, vel aliquem percuſſerit, aut vulneraverit, aut occiderit: ſi duellum ſine licentia Epiſcopi ſuſceperit, aut namnum ceperit, aut aſſultum fecerit, aut aliquid injuſtè ſaiſierit, aut incendium fecerit, aut manupaſtus ejus, aut habitator atrij, ſimiliter. * Epiſcopis per pecuniam emendetur.

* MS. c. addit

XX.

Si Clericus adulterium fecerit, aut inceſtum, ſimiliter.

XXI.

Si Preſbyter de miniſterio ſuo forisfecerit, ſimiliter.

XXII.

Presbyteri, qui ad Synodum venire neglexerint, ſimiliter.

XXIII.

Et qui Synodum & * circadam ſtatutis terminis non reddiderit, ſimiliter.

Big. cod. & Prat. circacam.

XXIV.

Si Clericus coronam ſuam dimiſerit, ſimiliter.

XXV.

Si Monachus vel Monacha, qui ſunt ſine regula, habitum ſuum dimiſerint. Similiter.

Prat. præſentis.

XXVI.

Si Presbyter, * præter treviæ * infractores * ſine licentiâ Epiſcopi excommunicaverint. Similiter.

cod. Big. & Prat. * Dei. * *Prat.* & latrones.

XXVII.

Si erraticum habere (quod vulgo dicitur Weridif) in curiam Sacerdotis, vel Clerici, qui in atrio manent venerit, vel in eleemoſinam ejuſdem Eccleſiæ, vel in * atrium; Epiſcopi erit.

* *Big. c.* atum.

XXVIII.

Si quid per contentionem in domo Presbyteri, vel Clerici, vel in atrio, Sacerdoti, vel Clerico, vel eorum manupaſto relictum fuerit; Epiſcopi erit.

XXIX.

Si quis Presbyterum vel Monachum, aut Monacham * aſſaillierit, aut percuſſerit, ceperit, aut occiderit, aut domos eorum in atrio incenderit, ſimiliter emendabit.

Big. cod. addit. * aut Clericũ percuſſerit aut turpiter tractaverit.

XXX.

Si quid in Eccleſia vel in atrio inveniatur, vel relinquatur, Epiſcopi erit.

XXXI.

Si quis adulterium vel inceſtum fecerit, vel cum matrina, vel cum matre, vel filiola coïerit, ſimiliter.

XXXII.

Si mulier hoc idem fecerit, ſimiliter.

XXXIII.

Si quis uxorem * ſuam, vel ſi qua mulier virum ſuum ſine judicio Præſulis reliquerit, ſimiliter.

In cod. Bigot. deeſt * ſuam

XXXIV.

Qui mortuos conſulunt, vel maleficia tractant, ſimiliter.

XXXV.

Qui intentum * ſibi crimen inficians vel negans, ferri judicio convincitur, (exceptâ Treviâ Dei) ſimiliter.

* *Prat.* ſcripto

XXXVI.

Qui juſtitiæ reſiſtens excommunicari ſe patitur, ſimiliter.

XXXVII.

Parochianorum crimina Epiſcopo pertinentia, ubi conſuetudo fuit, Epiſcoporum judicio examinentur.

*Big. c. jurisdictionis. Prat. c. & Big. *apud *al. facta. *al. fuerit. Bigot. *al. Episcopi

XXXVIII.

Si contradictio * judicationis facta fuerit, ante Episcopum diffiniatur.

XXXIX.

Si ferri judicium fuerit judicatum * ante matrem Ecclesiam terminetur.

XL.

Si plana lex erit * facienda, ibi fiat ubi placitum priùs * fuit.

XLI.

In Parochia Episcopi sine licentia * ejus nullus audeat prædicare.

XLII.

Qui in prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis injungatur, & pecunia nullatenus exigatur.

XLIII.

Si laïcus raptum in atrio fecerit, Episcopo emendabit: si verò alibi fecerit, quocumque modo faciat, Episcopus nihil habebit.

XLIV.

Has consuetudines habeant Episcopi in illis locis, in quibus eas tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis ejus concessione hactenus habuerunt. Quæ verò quieta fuerunt, eam quietudinem habeant, quam hùc usque * solidè tenuerunt. In his omnibus justitijs & consuetudinibus Rex sibi retinet quod hùc usque habuit.

*al. soliti.

XLV.

Si Presbyter Domini sui judicio contradixerit de Ecclesiastica causa, & * eum in Curia Episcopi eundo injustè fatigare fecerit, Domino suo decem solidos emendabit.


*al. eundē

XLVI.

Si Episcopi aliquid quod non sit hìc scriptum in Regis Curia monstrare possunt se habuisse tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis ejus * concessione, Rex eis non tollit quin habeant: tantummodo illud nullatenus * saisiscant, donec in Curia ejus monstrent quòd habere debeant. Similiter laïcis propter hoc scriptum Rex nihil tollit quod in Curia ejus monstrare possint Episcopos non debere habere: tantummodo Episcopos inde non * dissaisiscant, donec in curia Regis monstratum sit quòd Episcopi inde habere non debeant.

*al. consensione. *al. saisiant *al. dissesiant, & dessaisiant

De hoc Concilio præter Ordericum vide Robertum Montensem pag. 727. Matt. Paris ad annum 1021; ex recentioribus Joannem Morin de pœnitentia pag. 763. Dadræum pag. 155. Molineum pag. 222.



CONVENTUS EPISCOPORUM ET ABBATUM

Apud * Oxellum in causa componendæ controversiæ inter Guillelmum Archiepiscopum, & Gerbertum Fontanellæ Abbatem coram Guillelmo Conquestore anno 1082. Gregorij VII. Papæ 9. Indictione 5. Philippi Francorum Regis 22. Guillelmi Normanorum Ducis 47, Anglorum Regis 16.

Oissel.


EX antiquissimo Cœnobij Fontanellensis codice apparet anno 1082 Indictione 5. Nonis Septembris apud Oxellum non longe ab urbe Rotomagensi, juris olim Ecclesiæ Rotomagensis, coram Guillelmo Anglorum Rege, plurimis Episcopis, Abbatibus, alijsque tum sacri tum sæcularis ordinis Magnatibus, quæstionem agitatam inter Guillelmum Archipræsulem & Gerbertum Fontanellæ Archimandritam, de libertate quatuor Ecclesiarum à Fontanellensi Cœnobio pendentium, quarum nomina in charta authentica recensentur partium consensu mutuo terminatam. Pro Abbatis jure judicatum est, eaque definitio Canonicorum Cathedralium consensu rata literis consignata fuit: ex quibus constat occasionem liti dedisse quendam hujus Cænobij Monachum, qui ferum judicij, quod ex antiquo jure ibidem erat, per ignorantiam & ex simplicitate in alios usus transformarat: cumque Abbas ferrum aliud ab Archiepiscopo benedici postularet, & Archiepiscopus dubitans utrum ex antiqua consuetudine idem Monasterium ferrum haberet judicij, quod Abbas postulabat, denegaret. Tamdiu res indeterminata mansit, donec ad Regis præsentiam deferretur. Constat præterea dictas Ecclesias olim ab omnium Episcopalium & Archidiaconorum jure & vexatione fuisse exemptas eâ lege, quæ in authentico instrumento exprimitur, cujus apographum exhibemus, ut sequitur.



N nomine S. & individuæ Trinitatis. Cùm non sit contra Apostolicam, & Canonicam autoritatem plura Monasteria quadam speciali dignitate esse absoluta, ab omnium * Episcopalium vexatione, & Archidiaconorum gravatione; Fontanellense Monasterium in quatuor suis Ecclesijs, id est, Caldebec, sancta Gertrude, Resentium & sancto Michaële ex multis & ab antiquis temporibus, hanc semper tenuit & tenet absolutionem, hoc tantum excepto quòd unus ex Clericis in Synodo debet sedere, & Ecclesiasticæ utilitatis instituta audire, & ceteris tribus ad observandum renunciare; liber tamen ab omni interrogationis, & responsionis, vel emendationis quæstione, excepto quòd si idem Presbyter dixerit aut fecerit aliquid, quod pertinet ad dehonorationem Archiepiscopi, Archiepiscopus Abbatem conveniens commonebit, & Abbas ipsum Presbyterum, secundum culpam Archiepiscopo satisfacturum, ducet, aut mittet. Nam si quid in his quatuor Ecclesijs culpæ reperitur, ad Fontanellensis Abbatis censuram pertinere jure antiquo probatur. De qua libertate, tempore Guillelmi Regis Anglorum, & Principis Normannorum quæstio ex parte mota est inter Guillelmum Archiepiscopum Rotomagensem, & Girbertum Abbatem Fontanellensem hac occasione, quia quidam Monachus præfati Monasterij ferrum judicij, quod ex antiquo jure in eodem Monasterio erat, per ignorantiam, & ex quadam simplicitate in alios usus

** meliꝰ Episcoporum*

transformavit. Cumque Abbas ferrum aliud ſupra nominato Archiepiſcopo ſibi benedici poſtularet, & Archiepiſcopus, dubitans utrum ex antiqua conſuetudine idem Monaſterium ferrum haberet judicij; quod Abbas poſtulabat, denegaret, tamdiu res indeterminata permanſit donec ad præſentiam prædicti Regis deferretur, ubi Abbate monſtrante Monaſterium ſuum ex antiquis temporibus hujuſmodi ferrum habuiſſe, & in quatuor prædictarum Eccleſiarum Parochijs quarumlibet culparum cenſuram, & libertatem ab omni Archiepiſcopi & Archidiaconorum exactione quietè obtinuiſſe, tandem hoc modo, ipſa culpa ſecundum ſententiam præſidentis Regis & plurimorum Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum magnorum virorum, Clericalis, & laïci ordinis inter utramque partem concorditer eſt determinata; ut Fontanellenſe Monaſterium dignitatem libertatis & abſolutionis, quam inconcuſſam eatenus poſſederat, deinceps nullatenus ab ullo concutiendam in perpetuum quietè poſſideret, quæ determinatio Rotomagenſium Canonicorum S. Mariæ audientiæ relata, ipſorum conſenſu confirmata eſt. Et ne quis hujus juſtæ determinationis firmitatem per oblivionem aut ignorantiam, aut aliqua occaſione inquietare in futuro præſumeret, ex præcepto Regis & conſenſu omnium ibi præſentium per præſentis ſcripturæ memoriam poſterorum notitiæ commendatur; Facta eſt autem hæc prædictæ cauſæ determinatio anno ab Incarnatione Domini 1082. Indict. 5. Non. Septembris in villa quam Oxellum vocant, intra pratum, juxta domum Guillelmi --- ----- ---- coram Rege, præſente Archiepiſcopo Guillelmo, & Abbate Girberto, teſtibus Epiſcopis Giſleberto Lexovienſi, Giſleberto Ebroënſi, Guillelmo Dunelmenſi de Anglia Abbate, Guillelmo Fiſcanenſi, Guntardo Gimegienſi, Anſelmo Beccenſi, Gualtero de Monte ſanctæ Trinitatis, Fulcone de ſancto Petro ſupra Divam, Clericis verò Benedicto Rotomagenſi, Sanſone Bajocenſi, Gualtero filio Goteri, Roberto Benardo filio Oſpa, Guillelmo filio Suevi, laïcis Guillemo Comite Ebroënſi, Hugone de Ceſtra, Rogero de Bello-monte, & filijs ejus, Roberto Comite *de Mellant* & Henrico Rugultrano filio Roberti, Guillelmo Criſpino, Roberto de Veteri-ponte, Guillelmo de Tony Normano, Primate, Leſto filio Alcheri, & fratre ejus Rodulpho, Rogero Bigot, & alijs multis.



Charta Fundationis Cœnobij ſanctæ Trinitatis Cadomenſis Sanctimonialium Benedictinarum, totius Normaniæ Præſulum ac Procerum autoritate rata anno 1082. Gregorij VII. 6. Indictione 5. Philippi Francorum Regis 22. Guillelmi Conqueſtoris 47. Anglici ejuſdem Regni 16.

HAnc Fundationis tabulam ex Archivo Cadomenſi primùm edidit D. Lucas Dacherius pag. 33. Notis in vitam Lanfranci, eſtque hujus tenoris.

DIvinâ gratiâ, ac Domini noſtri Jeſu Chriſti diſponente clementiâ; Ego Willelmus, Anglorum Rex, Normanorum & Cœnomannorum princeps, ſed & Mathildis Regina, uxor mea, Balduini glorioſi Flandrenſium


Ducis filia, ad gloriam beatitudinis, ad præmium beatæ retributionis, pio ſapientique deſiderio anhelantes : in territorio, quod ab antiquis Cadomum appellatur, Eccleſiam in honorem ſanctæ Trinitatis, pro ſalute animarum noſtrarum coædificavimus, ibique ſanctas ac religioſas feminas, ſecundum inſtitutionem Sancti Benedicti, ſub Abbatiſſa, Domino ſervituras, in perpetuum conſtituimus, quibus ut in poſterum, uſus neceſſariarum rerum uſquequaque ſufficiat, Regiâ munificentiâ opportunâ proviſione proſpeximus.

Tradidimus itaque ſanctæ Dei Eccleſiæ prænominatæ villam, quæ vocatur, Caluz, cum omnibus pertinentibus ſibi, exceptâ decimâ, quæ eſt Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Bajocenſis. Dedimus etiam Oiſtrehan, cum cunctis appenditijs ſuis &c.

Si quis verò horum omnium, quæ prædictæ ſanctæ Trinitatis Eccleſiæ data, oſtenſa ſunt; temerariâ præſumptione aliquando (quod abſit) violator effectus in ſua impudenti obſtinatione perſtiterit : Noverit ille ſe anathema factum à Domino, ſanctâ ac beatâ fidelium omnium communione privatum, divino judicio perpetualiter eſſe plectendum.

Ut igitur univerſa hæc ſecundum quod à nobis inſtituta eſſe noſcuntur, inconcuſſa in perpetuum firmitate perdurent, adverſum Dei Eccleſiæ inimicos. Ego Willelmus Rex privilegium Regiæ Majeſtatis apponens, Epiſcoporum ac Magnatum meorum, quorum nomina ſubſcripta habentur, irrefragabili atteſtatione probavi, meæque imaginis munimento, præſenti legitimâ ſanctione firmavi. Anno ab Incarnatione Domini 1082. Indictione 5. Apoſtolicæ ſedis Cathedram poſſidente Papa Gregorio VII. Regni mei 16 anno, in Francia Regnante Philippo, Romanis in partibus Imperiali jure dominante Henrico.

Signum Willelmi Anglorum Regis.
Signum Mathildis Reginæ.
Signum Lanfranci Archiepiſcopi.
Signum Willelmi Rotomagenſis.
Signum Odonis Bajocenſis Epiſcopi.
Sig. Michaëlis Abrincenſis Epiſcopi.
Sig. Giſleberti Lexovienſis Epiſcopi.
Sig, Giſleberti Ebroïcenſis Epiſcopi.
Sig. Comitis Rodberti, Regis filij.
Signum Comitis Willelmi filij Regis.
Sig. Henrici, Regis Willelmi filij.
Sig. Comitis Roberti Moritonenſis.
Sig. Balduini, filij Comitis Giſleberti
Signum Alani Comitis.
Signum Rogerij Comitis de Monte-Gomerico.
Signum Willelmi de Warenna.
Signum Giſleberti Criſpini.
Signum Roberti Bertranni.
Signum Henrici *de Ferrieres*.
Signum Rogerij de Bellomonte.
Signum Hugonis Comitis de Ceſtra.
Signum Richardi, filij Herluini.
Sig. Rogerij Pincernæ de Ibriaco.
S. Comitis Rotberti de Bellomonte.
Sig. Willelmi Comitis Ebroïcenſis.
Signum Hugonis Pincernæ.
Signum Fulconis de Alnou.
Signum Ranulfi Vice-Comitis.
Sig. Willelmi, qui dicitur caritas.
Signum Radulfi de Todenio.
Signum Willelmi *de Bretoil*.
Signum Girardi de Gornayo.
S. Willelmi Camerarij, filij Radulfi.
Signum Eudonis Vice-Comitis.
Signum Richardi de ------



CONCILIUM ROTOMAGENSE

In electione Serlonis Abbatis quondam Uticensis in Episcopum Sagiensem à Guillelmo Metropolitano & Suffraganeis Præsulibus celebratum anno 1091. Urbani II. 4. Indictione 14. Philippi Francorum Regis 31. Roberti II. Ducis cognomento brevis ocreæ anno 4.

COncilij hujus meminit Ordericus Vitalis ad annum 1091. ac rem gestam paucis in hæc verba complectitur.



POst solemnitatem Pentecostes Guillelmus Archiepiscopus Synodum Episcoporum & Abbatum apud Rotomagum aggregavit, & cum Duce Roberto, Suffraganeisque Præsulibus de Sagiensi Præsulatu tractare cœpit. Tandem finito consultu Serlonem Uticensium rectorem elegit, eique * Salariensem Episcopatum valdè renitenti commisit. Denique 10 Kalend. Julij præfatum Cœnobitam Rotomagum convocavit, & in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ canonicè consecravit. Porro venerandus Serlo susceptam Pontificatus sarcinam 322. annis & 4 mensibus strenuè gessit, Ecclesiæque Dei solerti studio inter prospera & adversa prodesse sategit.

* de Sées

Vide tom. 1. Concil. Gall. de ordinatione Talasij Episcopi, & Veneticum in ordinatione Paterni ibid. pag. 137. & 141. 142. Concil. Sanctonense ibid. pag. 319. Belvacense to. 3. Concil. Gall. pag. 23.

Concilium aliud Rotomagense memorat Chronicon Rotom. ad calcem Molinei de profectione Normanorum in Apuliam, de quo nihil superest.

* SYnopsis Labeana indicat anno 1092 Concilium Rotomagense, itemque aliud anno sequenti; At neutrius mentionem reperio apud ullum autorem. Unde conjicere licet id errore factum eo nimirum quòd apud Ordericum paginæ 700. suprema pârte notetur Robertus II. & annus 1092. quamvis in contextu ubi Concilium à Guillelmo Rotomagi congregatum scribit, expressè ponat, anno Domini 1108. Indictione 1. non 1092. aut 1093.

In urbe Constantiensi celebratum est Concilium seu Synodus anno Christi 1094.





CONCILIUM
ROTOMAGENSE,

In quo Decreta Concilij Arvernensis relecta sunt, à Willelmo Archiepiscopo cum Suffraganeis suis celebratum mense Februario, anno 1096. Urbani II. Papæ anno 8. Philippi Regis 36.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

ODo Episcopus Bajocensis, Gislebertus Ebroïcensis, & Serlo Sagiensis, legati quoque aliorum de Normannia Præsulum, cum excusatoriis apicibus Arvernensi Concilio interfuerunt: & inde cum benedictione Apostolica regressi, Synodales Epistolas Coëpiscopis suis detulerunt. Guillelmus igitur Archiepiscopus Concilium Rotomagi aggregavit, & cum Suffraganeis Episcopis de utilitatibus Ecclesiasticis tractavit. Tunc omnes Februario Rotomum convenerunt. Capitula Synodi, quæ apud Clarummontem facta est, unanimiter contemplati sunt. Scita quoque Apostolica confirmaverunt, & hujusmodi scriptum posteris dimiserunt. De eo vide Ordericum ad annum 1095. pag. 721.

CANONES.

I



STATUIT Synodus sancta, ut Trevia Dei firmiter custodiatur à Dominica die ante caput jejunij, usque ad secundam feriam oriente Sole post octavas Pentecostes: & à quarta feria ante Adventum Domini occidente Sole,

usque ad octavas Epiphaniæ : & per omnes hebdomadas anni, à quarta feria occidente Sole, usque ad secundam feriam oriente Sole : & in omnibus festis S. Mariæ, & vigilijs eorum : & in omnibus festis Apostolorum, & vigilijs eorum. Et ut nullus homo alium adsaliat, aut vulneret, aut occidat, nullus namnum aut prædam capiat.

II

Statuit etiam ut omnes Ecclesiæ & atria earum, & Monachi, & Clerici, & Sanctimoniales, & feminæ, & peregrini, & mercatores, & famuli eorum, & boves & equi arantes, & homines carrucas ducentes, & herceatores, & equi de quibus herceant, & homines ad carrucas fugientes, & omnes terræ sanctorum, & pecuniæ Clericorum, perpetua sint in pace: ut in nulla die aliquis audeat eos adsalire, vel capere, vel prædari, vel aliquomodo impedire.

III.

Statuit etiam ut omnes homines à duodecim annis & supra jurent hanc constitutionem Treviæ Dei, sicut hìc determinata est, ex integro se servaturos, tali juramento. Hoc audiatis vos N. quod ego amodò inantea hanc constitutionem Treviæ Dei, sicut hìc determinata est, fideliter custodiam, & contra omnes, qui hanc jurare contempserint, vel hanc constitutionem servare noluerint, Episcopo vel Archidiacono in eo auxilium feram : ita ut, si me monuerint ad eundum super eos, nec diffugiam, nec dissimulabo : sed cum armis meis cum ipso proficiscar, & omnibus quibus potero juvabo adversus illos per fidem, sine malo ingenio, secundum meam conscientiam. Sic Deus me adjuvet, & isti sancti.

IV

Statuit præterea sancta Synodus, ut omnes feriantur anathemate qui hoc juramentum facere noluerint, vel hanc constitutionem violaverint : & omnes qui eis communicaverint, vel sua vendiderint, sive fabri, sive alij officiales, sive Presbyteri, qui eos ad communionem susceperint, vel divinum eis officium fecerint. Hoc etiam anathemate feriuntur falsarij, & raptores, & emptores prædarum, & qui in castris congregantur propter exercendas rapinas, & Domini qui amodò eos retinuerint in castris suis. Et autoritate Apostolicâ & nostrâ prohibemus, ut nulla christianitas fiat in terris dominorum illorum.

V

Statuit etiam sancta Synodus, ut omnes Ecclesiæ ita sint saisiatæ de rebus suis, sicut fuerunt tempore Guillelmi Regis; & cum eisdem consuetudinibus : & quòd nullus laïcus participationem habeat in tertia parte decimæ, vel in sepultura, vel in oblatione altaris : nec servitium, nec aliquam exactionem inde exigat, præter eam quæ tempore Guillelmi Regis constituta fuit.

VI

Statuit etiam, ut nullus laïcus det vel adimat Presbyterum Ecclesiæ, sine consensu Præsulis : nec vendat, nec pecuniam inde accipiat. Ac ut nullus homo comam nutriat, sed sit tonsus, sicut decet Christianum : alioquin à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ sequestrabitur, nec Sacerdos aliquis divinum ei officium faciet, vel ejus sepulturæ intererit.

VII

Nullus laïcus habeat consuetudines Episcopales, vel justitiam quæ pertinet ad curam animarum.

VIII

Nullus Presbyter, efficiatur homo laïci. Quia indignum est, ut manus Deo consecratæ, & per sacram unctionem sanctificatæ mittantur inter manus non consecratas : quia est aut homicida, vel adulter, aut cujuslibet criminalis peccati obnoxius. Sed si feudum à laïco Sacerdos tenuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem quòd securus sit.

Hæc itaque Gislebertus Ebroïcensis Episcopus, qui pro sua proceritate cognominabatur Grus, & Fulbertus Rotomagensis Archidiaconus, scita Patrum palam promulgaverunt : & Guillelmus Archiepiscopus, alijque Præsules autoritate sua corroboraverunt; Odo quippe Bajocensis, & Gislebertus Lexoviensis, Turgisus Abrincatensis, & Serlo Sagiensis, atque Radulfus Constantiensis, præfatam Synodum sanxerunt. Abbates quoque totius Provinciæ, cum Clero, & parte Procerum pacem optantium adfuerunt.

Conventus Magnatum Normaniæ apud Lexovium ab Henrico I. quem Concilij nomine indigitat Labeus in sua Synopsi * post Ordericum, qui de eo pauca hæc scribit pag. 822, quæ an Concilij rationem habeant, judicium esto penes eruditum Lectorem. *pag. 170



CONCILIUM LEXOVIENSE

Pro rebus Normaniæ componendis, anno Dom. 1106. præſente Henrico I. Anglorum Rege, & Normaniæ Duce.



N medio Octobri Rex Henricus Lexovium venit, cunctos optimates Neuſtriæ convocavit, & utiliſſimum Eccleſiæ Dei Concilium tenuit. Ibi ſtatuit Regali ſanctione, ut firma pax teneatur per omnes fines Normaniæ: ut latrocinijs omnino compreſſis cum rapacitate, omnes Eccleſiæ poſſeſſiones, ſicut eas, die quâ pater ejus defunctus eſt, tenebant, alijque nihilominus legitimi hæredes poſſideant. Omnia quoque dominia patris ſui, ſuæ proprietati mancipavit; judicioque ſapientum, irrita eſſe cenſuit, quæ Frater ſuus ingratis per imprudentiam permiſerat.

Concilium appellavi cum Orderico & alijs. Conventum Epiſcoporum & Procerum melius dixero: in quo tam regni negotia tractentur, quàm ſacerdotij. Dadræus in hiſtoria chronologica Archiepiſcoporum Rotomagenſium habet hujus, ut vocat, Concilij decreta, ſed Gallicè tantum, ut ab ipſo reddita ſunt. Ex ijs pauca, quæ Ordericus non habet, latinè tranſlata hìc deſcribo.

I

UT prædones juxta leges ſeveriſſimè puniantur: ijſque capiendis, ſtatim atque detecti fuerint, operam ſuam omnes commodent.

II

Ut Dux Robertus in Angliam mittatur, ibique aſſervetur in cuſtodia, ſuppeditatis ipſi abundè omnibus, quæ ipſius dignitas exigit: ne ſi captivus in Normania maneat, res novas factioſi moliantur ſpecie liberandi Principis.

III

Ut ei qui virginem violaverit effodiantur oculi, & genitalia præcidantur.

IV

Ut amputetur dextera his qui monetam adulteraverint.

AD hunc annum aſſignatur aliud Concilium ab eodem Orderico pag. 832. Sedente Paſchali II. anno 8. quod prorſus diverſum eſſe reor ab eo quod anno ſequenti coactum mox videbimus ob variantes omnino circumſtantias; ſic autem de præſenti loquitur,




CONCILIUM LEXOVIENSE

Habitum anno ab Incarnatione Domini 1107. Indictione 15. Paſchalis II. 8. Regnante Henrico Anglorum Rege, & Normanorum Duce.

MENSE Martio idem Rex Henricus Concilium apud Luxovium tenuit, & neceſſaria ſubjectis plebibus edicta ex conſultu magnatorum providè ſanxit, & Regali poteſtate ſedatis bellorum tempeſtatibus Neuſtriam utiliter edomuit. &c.

Tum loquens de Fiſcanenſis Eccleſiæ, quam Guillelmus *de Ros* 3ʼ Abbas reſtauraverat, 2. Dedicatione: Opus conſummatum à Guillelmo Archiepiſcopo Rotomagenſi alijſque quatuor Præſulibus 17 Kalend. Julij conſecrari fecit.



CONCILIUM ROTOMAGENSE

De neceſſarijs Eccleſiæ rebus, anno Domini 1108.

PAuca hæc de Concilio iſto Uticenſis Monachus p. 700. quod ultimum fuiſſe comperio à Guillelmo habitum.

ANNO ab Incarnatione Domini 1108. Indictione 1. Guillelmus Archiepiſcopus Concilium Præſulum & Abbatum Rotomagi congregavit, & de neceſſarijs Eccleſiæ rebus cum Suffraganeis ſuis per aliquot dies tractavit.

JUvat hìc varias ad Guillelmum Epiſtolas referre, quarum prima eſt Gregorij Papæ VII. quâ eum arguit quòd nec ipſe nec ejus Suffraganei ad Apoſtolorum limina venerint, nec Legatos Apoſtolicos adierint, & quòd Pallium à ſede Apoſtolica non poſtularit. Quare prohibet ne deinceps Epiſcopum vel Sacerdotem ordinet, vel Eccleſias conſecret, donec Pallium impetrarit.



Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Willelmo Rotomagenſi Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LITERÆ quas nobis miſiſtis ſatis devotionis prætendunt, ſed ad earum fidem rei penitus teſtimonium deeſt. Si enim ita ſe res haberet, non, quemadmodum Suffraganei tui, etiam tu ipſe Apoſtolorum limina viſere tanto tempore parvipendiſſes. Ex quo enim nos licet indigni

ad hujus ſedis curam dignatio divina provexit, neminem veſtrum nos vidiſſe recordamur. Quod tamen in eo minus mirandum videtur: quia Legatos noſtros qui propiùs vos ſunt adire non multum curatis. Qui verò labor, aut quæ difficultas præ alijs diſſuaſit vobis per tantum ſpatij beatum Petrum negligere? cum ab ipſis mundi finibus, etiam gentes ad fidem noviter converſæ ſtudeant annuè, tam mulieres quàm viri ad eum venire? Illud quoque, niſi nos Apoſtolica manſuetudo detineret, profectò ſeveriùs in te jam animadverſum ſenſiſſes, quod hucuſque præclarius tuæ dignitatis inſigne, videlicet Pallium ab Apoſtolica ſede pro more acquirere poſtpoſuiſti: Teipſum namque non ignorare putamus, quàm diſtrictè ſanctorum Patrum cenſura in eos judicandum ſtatuerit, qui poſt conſecrationem ſuam per tres continuos menſes Pallium quod ſui ſit officij, obtinere tepuerint.

Proinde Apoſtolicâ tibi præcipimus autoritate, ut quia ſanctorum Patrum ſtatuta parvipendiſti, nullum deinceps Epiſcopum vel Sacerdotem ordinare, ſeu Eccleſias præſumas conſecrare, donec honoris tui ſupplementum, Pallij videlicet uſum, ab hac ſede impetraveris. De cetero, tam te quàm & Suffraganeos tuos monemus, ut præfatam culpam ſummopere emendare procuretis, ne ſi negligentes, ut hactenus, in hoc extiteritis, poteſtatem beati Petri per nos quanto dilatiorem tanto ſeveriorem pro contemptu experiamini.

PASCHALIS II. AD EUNDEM EPISTOLA.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili Fratri Willelmo Rotomagenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LICET cauſæ tuæ qualitas patientiam noſtram plurimum gravet, pro reverentia tamen Fratris noſtri Cantuarienſis Epiſcopi & dilectione latoris præſentium filij noſtri Willelmi, qui pro te apud nos vehementiùs intercefferunt, paternâ penes te benignitate moverunt, cauſam itaque tuam videns Fratri Cantuarienſi Epiſcopo commiſimus, ut quod ipſe indulſerit, indulgeamus. Eo nimirum intuitu, eâ conditione, ut malos conſiliarios, quorum inſtinctu multas pravitates incurriſti, à tua familiaritate repellas. Datum Beneventi 5. Kal. Aprilis.

CHARTA PHILIPPI I. FRANCORUM REGIS, Quâ donat Guillelmo Rotomagenſi Archiepiſcopo Abbatiam S. Melloni Pontiſarenſis eâ lege ut, cùm vocatus fuerit ad Curiam Regis, veniat.


Denyaldus in Rotom. Cathed. cap. 5.

O beata tempora & gregibus felicia! quibus cogi oportebat Epiſcopos aulam Regiam adire, idque (ut hæc legis) cum debito honore.

IN Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Philippus, Dei gratiâ Francorum Rex, concedo Abbatiam ſancti Mellonis de Ponte-Iſaræ

Domino Willelmo Rotomagensi Archiepiscopo, & omnibus Successoribus suis, & dono in fedium, ut eam de me & de Successoribus meis perpetuò teneant ad honorem & exaltationem Sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ. Sed & de Ecclesijs atque Altaribus quæ sunt in Vilcassino, de quibus præfatus Archiepiscopus monstrare poterit rectitudinem Ecclesiæ suæ, concedo ei auxilium meum, fortitudinem, atque consilium secundum iustitiam. Præter hæc etiam concedo & confirmo redditionem illam, quâ Gualterius Comes filius Drogonis Comitis reddidit Maurilio Rotomagensi Archiepiscopo & omnibus Successoribus suis totum illud quod pertinet ad Archidiaconatum de Vilcassino, sive in Castello de Ponte-Isaræ, sive extrà, & quodcumque ipse ante hæc in manu sua detinebat, vel aliquis per eum habebat & possidebat. Similiter & in Calvomonte, & reliquis sive burgis, sive villis. Hanc, inquam, redditionem tali ratione confirmo, ut si est de fedio meo, de me illud habeat Rotomagensis Archiepiscopus: si verò est de Archiepiscopatu, de Comite Normanorum teneat, cujus est Archiepiscopus. Hoc autem erit servitium quod pro præfato fedio faciet mihi Rotomagensis Archiepiscopus: Per singulos annos veniet ad unam ex Curijs meis, sive Belvacum, sive Parisius, sive Silvanectum, si fecero eum convenienter submoneri, nisi ipse legitimam excusationem habuerit. Cùm autem ad Curiam meam venerit, mittam ei conductum ad Calvum-montem, sive ad Pontem-Isaræ. Sed & ad placita mea veniet per Vilcassinum, si & ego eum inde fecero convenienter submoneri. Ut autem hæc ratio omnibus tam præsentibus quàm futuris fiat cognita, & Charta hæc firmitatem obtineat, Nominis mei inscriptione & Sigilli mei impressione corroborari feci & præmuniri. Anno M. XCI. ab Incarnatione Domini. Huic verò Donationi interfuerunt ex mea quidem parte, Wido Dapifer *de Rochefort*, & Adelelmus *de Lusarches*, & Galterus *Tyrel*, & Paganus de Nielfa, & Odo filius Walonis, & Hubertus Cancellarius meus: Ex parte verò Archiepiscopi, Odmundus de Calvo-monte, & Drogo filius Gualonis, & Ricardus *de Pormort*, & Fulbertus Archidiaconus, & Ricardus Capellanus, & Herbertus de Calvo-monte, & Urso Canonicus, & Rogerus de Constantijs & Wibertus, Canonici.

Signum Philippi Regis,
Signum Walteri Tyrelli.
Signum Pagani de Nielfa.



Signum Adelelmi *de Lusarches*.
Signum Widonis Dapiferi *de Rochefort*.

Sigillatum sigillo antiquo in mastice, in quo effigies Regis sedentis conspicitur.



GUILLELMI ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLA ad Anſelmum Abbatem Beccenſem. De ſuſceptione Pontificatus Cantuarienſis Eccleſiæ.

Frater Guilielmus Archiepiſcopus ſuo Domino & amico Anſelmo; Dei benedictionem & noſtram.

DE his quæ de vobis à me Rex quæſivit, & de quibus ipſe mihi ſcripſiſtis, ſicuti de tanta re decuit, hucuſque diu multumque pertractavi; & amicorum meorum ac veſtrorum, ſuper hoc, conſilium quæſivi. Qui utrimque voluiſſent, ſi poſſibile fuiſſet, & veſtram ſemper, ut olim, habere præſentiam, & non facere unde offenderent divinam voluntatem. Sed quia ad hoc res venit ut utrumque impleri nequeat, ſicut dignum eſt, divinam voluntatem noſtræ præponimus, & noſtram voluntatem divinæ ſubjicimus, atque ex parte Dei & S. Petri, omniumque amicorum meorum ac veſtrorum qui ſecundum Deum vos diligunt, jubeo ut Paſtoralem curam Cantuarienſis Eccleſiæ, & Eccleſiaſtico more benedictionem Epiſcopalem ſuſcipiatis, oviumque veſtrarum vobis, ut credimus, divinitùs commiſſarum ſaluti deinceps invigiletis. *Valete viſcera mea.*

ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLA Ad Guillelmum Rotomagenſem Archiepiſcopum.

Domino, & Patri Reverendo, Archiepiſcopo Rotomagenſi Guillelmo; Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis, fidele ſervitium cum orationibus.

Vt revocet Abbatem S. Edmundi ab Abbate S. Ebrulfi intruſum; & illi Eccleſiæ res & homines, quibus injuſtè ſpoliata eſt, reſtituantur.

* al. omittit.

CLAMAVIMUS, & iterum clamavimus, & adhuc * clamamus ad Deum & ad vos, & ad totam Eccleſiam Normaniæ, maximè ad Epiſcopos & Abbates, & omnes religioſas perſonas, de Abbate Cœnobij ſancti Ebrulfi, qui quemdam ſuum inſipientiſſimum juvenem profeſſione Monachum in vita, ita, ſicut jam vobis ſcripſimus, inordinatè & irreligiosè in Eccleſia ſancti * Edmundi pro Abbate ingeſſit. Videte ne nobis neceſſe ſit, ut familiariter reverendo meo Patri loquar, clamare ad Deum de vobis, ad quem pertinet hoc corrigere, ſi contemnitis. Dicit, ut mihi relatum eſt, idem Abbas, illum non eſſe ſuum Monachum, ſed de ſancto Severo. Sed ſecundum quod ipſe in Anglia confeſſus eſt, ſicut ab audiente didici,

* al. N.

profeſſus

professus est Ecclesiæ suæ ; & ideo non est verum quod negat eum suum esse Monachum. Denique ipse, quomodocunque sit de professione ; ipse, inquam, Ecclesiam impedivit. Ipsum cogite, quantum ad vos pertinet & quantum potestis, ut eam expediat. Nimis carè vendidit nobis Lupulum suum, Ecclesiam rebus suis, & homines Ecclesiâ suâ violentiâ, illis nolentibus, sine quorum consensu fieri non debuit, spoliavit, & talem Monachum, qualem sæpe vobis ostendi, in eandem Ecclesiam immisit ; & ad injuriam Dei & contumeliam Monachici ordinis ibi dimisit. Obsecro facite ut reddat Ecclesiæ quos abstulit, & recipiat quos intulit. *Valete.*


Domino & Patri Guillelmo, Reverendo Archiepiscopo Rotomagensi, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, salutem.

CLAMO & queror ad vos, & ad vos, & ad omnes Episcopos & Abbates & totam Ecclesiam Normaniæ, pro me & pro congregatione Ecclesiæ sancti Edmundi quæ est in Anglia, de Abbate Monasterij sancti Ebrulfi quod est in Normania, & vestram peto justitiam. Injuria, quam nobis nimis inordinatè fecit in Anglia, præter opinionem quam de illo habebamus, hæc est. Juvenem quemdam filium Comitis Hugonis *de Cestre*, nimis carentem prudentiâ & utilitate, & virtutibus ad Abbatis pertinentibus personam, per potestatem regiam ingessit in Ecclesiam S. Edmundi cum armis, Monachis quantum in ipsis erat, recusantibus & contradicentibus, & omnino sine nostra concessione, ad quem pertinent omnes ejusdem Ecclesiæ consecrationes. Qui ibi nititur extorquere ab ipsis Monachis obedientiam & electionem, & ut animas suas commendent illi custodiendas, qui quàm non idoneus ad hoc sit, apertè cognoscitur ; quia ipsi nusquam sine laterna & custodia, atque antequam ad hoc assumeretur, sibi ipsi credebatur. Precor igitur ut eundem Abbatem autoritate vestra Monachum suum revocare cogatis, & Ecclesiam quam iniquè opprimit, velut à lupo rapace & oves dispergente liberetis, ne nos aliquid super Monachum vestrum nostræ autoritatis censum, vestrâ cessante, facere cogamur. *Valete.*

Domino & Patri Reverendo Guillelmo Archiepiscopo Rotomagensi, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis ; cum assiduis orationibus fidele servitium.


PRo injuria & oppressionibus, pro gravaminibus, pro destructione Ecclesiæ S. Edmundi clamavi ad Paternitatem vestram, & nondum exaudistis clamorem nostrum, conquestus sum, & nondum sensi compassionem vestram. Promisistis vos facturos quod rogaveram de Monachis Monasterij S. Ebrulfi qui prædictam Ecclesiam gravant, spoliant, destruunt,

ſed nimis moratur effectus promiſſionis veſtræ: adhuc clamo intimo doloris corde cogente, pro me ad cujus propriam curam pertinet illa Eccleſia, & pro fratribus qui in ea converſantur: propter Deum, ſi zelum Dei habetis, ſi Epiſcopalem pietatem habetis, rogo, obſecro, ad veſtigia veſtra mente me proſterno, ſuccurrite, miſeremini orphanis & viduæ Eccleſiæ, quibus pro Patre invehitur privignus, pro Paſtore lupus, pro ductore cæcus, pro doctore neſcius, pro Abbate fur & latro: quia non intrat per oſtium. Revocate Monachos veſtros, liberate nos ab oppreſſionibus eorum. Facite ut Abbas Monaſterij S. Ebrulfi revocet Monachos ſuos, quos contra legem Dei & Ordinem ſuum in Eccleſiam prædictam ingeſſit, & res ejuſdem Eccleſiæ quas inde abſtulit ſacrilegâ rapinâ, juſtè reſtituat. *Valete & ſuccurrite, precor, feſtinate.*



Domino & Patri Guillelmo, Reverendo Archiepiſcopo Rotomagenſi, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: fideles orationes cum ſervitio.


CUm ſemper gaudere & Deo gratias agere debeamus, quoties ſervos Dei gloriam mundi pro Chriſti amore contemnere videmus, nec ullâ violentiâ aut blandimentis à rectitudine poſſe ſeparari, tunc utique hoc maximè facere debemus, cùm in filijs & familiaribus noſtris hoc cognoſcimus operari. Quantâ autem virtute, quantâ conſtantiâ Domnus Guillelmus filius veſter, & gratiâ veſtrâ noſter, quem Canonicum & Decanum Eccleſiæ veſtræ electum canonicè Epiſcopum Wintonienſis Eccleſiæ nobis caritativè conceſſiſtis, conſecrationem ab ijs à quibus eam ſicut offerebatur recipere non dedebat reſpuerit: & quomodo propter hoc rebus ſuis ſpoliatus & de Anglia expulſus ſit, nullius ſcripto meliùs quàm ejus vivâ voce, & eorum qui cum illo quando hæc facta ſunt, adfuerunt, Paternitas veſtra cognoſcere poterit. Quæ res quantum in ipſo eſt tam fortiter facta eſt, tamque patenti honeſtate ſe manifeſtat, ut nullius relatione ad laudem ejus augeri valeat. Quapropter quamvis noſtrâ prece prudentia veſtra non egeat, tamen ex cordis abundantia obſecro, ut eum benignè ſicut filium veſtrum & meum pro juſtitia exulantem ſuſcipiat, atque cum amore & honore ei auxilium ſuum & conſilium, ubi res exiget, exhibeat. Alijs quoque quod ab illo de hac re Reverentia veſtra audiet, ſecurè pro veritate teſtetur; & eos ad ejus amorem & honorem ſicut meruit exhortetur. *Valete.*



Domino & Patri Reverendo Archiepiſcopo Rotomagenſi Guillelmo, Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis: quod Patri filius.


QUAMVIS Dominus Guido lator præſentium olim nobis ut Domino & Patri familiari notitiâ, ut ait, adhæſerit; tamen quia novit quan-

ta inter vos & me mutua sit Dilectio, nostris literis vestræ commendari petit sanctitati. Sciat igitur vestra Paternitas quia cum nostra amicitia & licentia redit de Anglia in Normaniam ad suam Ecclesiam. Quod precor ut apud quoscunque opus fuerit vestra testetur autoritas. Precor etiam ut ubi vestro consilio & auxilio eguerit, secundùm quod vestram decet Reverentiam, ad salutem animæ suæ promptum inveniat. *Valete.*



Domino & Patri Reverendo Archiepiscopo Rotomagensi Guillelmo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis: salutem & fideles orationes cum servitio.

MANDASTIS mihi in literis vestris quia Guillelmus Camerarius & uxor ejus dicunt me sibi dixisse quòd ipsi possent eleemosynis redimere peccatum suum, illud scilicet, quia ipse Guillelmus in uxorem habet eam quæ fuit cognati sui. Quod sciat Sanctitas vestra me nunquam eis dixisse, sed potiùs dico quia neuter illorum, si in hoc peccato mortuus fuerit, videbit gloriam Dei. *Valete.*



YVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI EPISTOLA
Ad Guillelmum Rotomagensem Archiepiscopum.

Willelmo Dei gratiâ Rotomagensium Archiepiscopo, Yvo Ecclesiæ Carnotensis minister humilis, salutem & servitium.

DE Clerico præsentium portitore, qui inordinato & præpropero saltu cùm non esset benedictus in Clericum, in Subdiaconum se fecit ordinari, sublimitati vestræ respondeo: quia si rigorem justitiæ tenere vultis, nec in acceptis inordinatè ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum promovebitis. In decretis enim pontificalibus legitur: quia quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur. Si autem honesta vita ejus, aut utilitas Ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatoriè dato Clericatu cum debita satisfactione eam misericordiam impendere, ut cùm sacram ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde & corpore sacris benedictionibus intersit, non ut reordinetur, sed ut competentibus verbis in acceptis ordinibus confirmetur. De talibus excessibus, pro impendenda misericordia propriam sententiam ad manum non habeo, sed pro simili negotio dispensatoriam Alexandri Papæ II. sententiam vestræ discretioni transmitto. Cujus exemplo munitus, si vobis visum fuerit dignum, habita ratiocinatione poteritis & acccepta confirmare & non accepta concedere. Sententia autem hæc est. *Alexander II. Rumaldo Constantiensi Episcopo. Sollicitudo dilectionis tuæ nos studuit consulere,*

utrum portitor istarum literarum Diaconatus & Presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cum ad id praepropero saltu vel cursu, videlicet sine Subdiaconatus ordine, negligentiâ potiùs quàm superbiâ cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo caritati tuae mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio, Subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. Vale.

Guillelmo Dei gratiâ Rotomagensium Archiepiscopo, & ceteris Diœcesis Rotomagensis Episcopis, Yvo humilis Carnotensis Ecclesiae minister, salutem & debitae caritatis obsequium.

GRATIAS agimus justo & misericordi Deo, qui Ecclesiam suam delinquentem paternâ severitate flagellat, & flagellis attritam misericorditer visitat: ut tamquam pia mater panem consolationis tribuat lugenti, qui flagella prius justè irrogaverat delinquenti. Quod in Ecclesia Lexoviensi nunc Deo propitiante, & vestrâ solertiâ cooperante provenisse cognovimus. Quorum consilio & auxilio eliminata est praedicta Ecclesia spurcitiâ puerorum, novâ & inauditâ Neophytorum haeresi Cathedram Episcopalem in eadem Ecclesia usurpantium. Quod quamvis ad tempus aliqua rationabili consideratione, vel aliqua pusillanimitate sit à vobis toleratum: nunc tamen est, quantum nobis videtur, in melius commutatum. Cùm & ipsos flammigeros pueros de praedicta Ecclesia ejici feceritis, & virum strenuum & honestum, domnum videlicet Gulielmum Ebroïcensem Archidiaconum in Pastorem praedictae Ecclesiae elegeritis. Unde multum liberalitati vestrae congratulamur: & caritati vestrae, si in hoc negotio parvitatis nostrae auxilium vel consilium foret opportunum, pro viribus paratum esse pollicemur.

Guillelmo Dei gratia Rotomagensium Archiepiscopo, & Gilberto Ebroïcensium Episcopo, Yvo humilis Ecclesiae Carnotensis, abundare spiritu consilij & fortitudinis.

QUONIAM pro domo Dei stare, & murum pro domo Dei Israël ponere cœpistis, sollicitudini vestrae summoperè cavendum est, ut sartago quae fervere cœpit, ferreâ fortitudine nullis ignibus cedat, sed zelus domus Dei & amor decoris ejus de die in diem in mentibus vestris & vehementiùs exardescat. Quod ideò sanctitati vestrae commemoro, ut quod de Lexoviensi Ecclesia benè incœpistis, meliore exitu terminare studeatis, ut caudam hostiae cum capite immoletis. Audivimus enim & dolemus, quòd stercora quae de praedicta Dei domo vestro fuerant labore emundata, multiplicato nequam spirituum numero in eandem sint reportata, & ipsa domus graviori errore quàm priùs infecta. Quam domus Dei injuriam

ſi non ut decet animadverteritis, ſi non pro perſona quam portatis correxeritis, certum nobis eſt quòd cum iſte fœdus & fœtidus rumor Apoſtolicas aures vel noſtrâ, vel alienâ relatione percuſſerit, nec præterita neglecta remittentur, & hæc graviter exigentur. Ideò dum tempus eſt præmonemus dilectionem veſtram, ut ſuo tempore liberâ fronte poſſimus famam veſtram excuſare, & Apoſtolicas aures opportunè pro vobis & importunè pulſare. Cùm enim in ipſa infantia mundi in Lameche carnalis bigamia ſit culpata, quomodo poterit in ſponſa Chriſti quæ eſt Eccleſia, laudari, quæ & ſacramento & in veritate ſacramenti uni debet viro deſponſari. Eliminetur ergo de Lexovienſi Eccleſia Ranulfus Dunelmenſis Epiſcopus, ut digamia non admittatur. Eliminentur pueri ejus, ut Neophytorum hæreſis extirpetur. Non ignorantibus legem loquimur, ſed caritativè vos monemus, ut veſtræ conſulatis honeſtati, & Eccleſiæ utilitati.

---

49 * GAUFRIDUS ſeu GOFRIDUS genere Brito, Judicaëlis Aletenſis Epiſcopi frater, Decanus Eccleſiæ Cœnomanenſis. Cum ad ejuſdem Eccleſiæ regimen Hoëllo Præſule defuncto, Heliæ Cœnomanenſis Comitis autoritate fretus aſpiraſſet, ac repulſam turpiter paſſus fuiſſet, capitulo Hildebertum Canonicè eligente, prout fusè Orde- [H]iſt. ricus narrat. Tandem melioribus fatis poſt [li]b.10 Guillelmi deceſſum, ab Henrico I. in Angliam evocatus, Rotomagenſis Eccleſiæ præficiendus deſignatur


In Pontificatu varius & inæqualis, quædam opportunè, quædam inauſpicatò geſſit; his eum adumbrat coloribus idem autor. [l]ib.12 *Erat Brito in multis indiſcretus, tenax, & iracundus, vultu geſtuque ſeverus, increpatione auſterus, procax, & verboſitate plenus.* Quæ omnia ex Apoſtoli ſententia jure in Epiſcopo damnantur. Extat Yvonis Carnotenſis Epiſtola ad Paſchalem II quâ GAUFRIDUM excuſat quòd nondum limina Apoſtolorum adierit, eumque ſummo Pontifici plurimùm commendat. Fuit ergà Salicoſanum Prioratum ſuæ Diœceſis beneficus. Inſtitutionem Canonicorum regularium Augenſis Eccleſiæ ab Henrico Augi Comite factam confirmavit diplomate. Concilium Rotomagi celebravit anno 1118, ac Synodum è Concilio Remenſi reverſus, de qua Orderic. Sagienſem Cathedralem 12 Kal. Aprilis anni 1126. dedicavit & Baſilicam S. Audoëni Rotom. 16 Kal. Nov. ejuſdem anni. Tandem diuturnâ ægritudine afflictatus migravit è vita 4. Kal. Dec. 1128. dum ægrotaret aliud Concilium habitum eſt, de quo agemus ſuo loco.

Neuſtria pag 994.



CONCILIUM ROTOMAGENSE.


Habitum anno 1118. Gelaſij II. Pontificis anno 1. Indictione 11. Nonis Octobris.



ONCILIUM Rotomagi congregatum eſt. Ibi Rex Henricus de pace regni tractavit cum Radulpho Cantuariæ Archiepiſcopo alijſque Baronibus quos aggregaverat. Ibi Goisfredus Rotomagenſis Archiepiſcopus de Statu Eccleſiæ locutus eſt cum quatuor Suffraganeis Præſulibus, Richardo Bajocenſi, & Joanne Lexovienſi, Turgiſo Abrincatenſi, & Rogerio Conſtantienſi, & Abbatibus multis. Ibi enim affuerunt Rogerius Fiſcanenſis, Urſus Gemeticenſis, Guillelmus Beccenſis,

& Eudo Cadomensis, Richardus Pratellensis, & Andreas Troarnensis, Guillelmus de Cruce, & Osbernus Ultrisportensis & alij plures, quos nominare necesse non est. Ibi tunc Conradus Romanus Clericus Gelasij Papæ Legatus, eloquentissimo sermone, utpote laïcali * fonte à pueritia inebriatus, querimoniam fecit de Karolo Imperatore, Paschalis Papæ bonorum operum & ædificiorum pravo destructore, & Catholicorum diro persecutore. Addidit etiam planctum de Burdino Pseudopapa, Apostolicæ sedis invasore, & de multimoda in Tusciæ partibus Ecclesiæ tribulatione. Retulit etiam Gelasij Papæ, qui jam cis Alpes venerat, insurgentibu s procellis, exilium: & à Normannica Ecclesia subsidium petijt orationum, magisque pecuniarum. Serlo autem Sagiensis Episcopus huic Synodo non interfuit, sed Legatus ejus infirmitatis senijque causa eum defuisse, asseruit. Arduinus vero Præsul Ebroïcensis per Legatum suum mandavit quòd pro tutela patriæ contra publicos hostes non interfuerit. Hucusque Orderic. lib. 12. pag. 946.

* al. latiali.



CONCILIUM ROTOMAGENSE,

Goisfredi Archiepiscopi in Presbyteros mulierum consortium habentes, mense Novemb. anno 1119. Callisti II. anno 1.




GOISFREDUS postquam de Concilio Remensi Rotomagum redijt (*inquit Ordericus*) tertiâ Novembris hebdomadâ Synodum tenuit, & institutionibus Apostolicis excommunicatus in Presbyteros suæ Diœcesis acriter exarsit. Nam inter cetera Concilij capitula, quæ protulit, omne consortium feminarum penitus eis interdixit, & in transgressores terribilem anathematis sententiam vibravit. Cumque Presbyteri tam grave pondus nimium abhorrerent, & inter se pro corporum & animarum discrimine conquerentes mussitarent. Archiepiscopus Albertum quemdam eloquentem, quia nescio quid fari cœperat, jussit comprehendi, & mox in ergastulo carceris retrudi. Præfatus enim Præsul erat Brito &c. Cum autem reliqui Sacerdotes insolita re visa nimis obstupuissent, & Presbyterum sine reatus accusatione & legitima examinatione velut furem de templo trahi ad carcerem vidissent, nimiumque perterriti quod agendum esset ignorarent, dubitantes utrum sese defendere seu fugere deberent: furibundus Præsul de Cathedra surrexit, de Synodo concitus exivit, satellitesque suos, quos ad hoc prius instruxerat, advocavit. Protinus illi cum fustibus & armis in Ecclesiam irruerunt, & in conventiculum Clericorum mutuò colloquentium irreverenter ferire cœperunt. Porrò quidam illorum, poderibus suis induti per cœnosos urbis vicos ad hospitia sua cucurrerunt, alij verò podijs vel lapidibus quos ibi fortè invenerant, arreptis, repugnare conati sunt. Clientes autem quod ab inermi coronatorum choro convicti fugissent, erubuerunt: & indignantes, coquos ac pistores, & vi-

cinos asseclas actutum asciverunt, & recidivum certamen in sacris temerè penetralibus reïteraverunt. Quoscumque in Ecclesia vel cœmeterio, repererunt, justos vel injustos, percusserunt; vel impegerunt, vel alio quolibet modo injuriati sunt. Tunc Hugo de Longavilla, & Anschetillus *de Cropus*, alijque nonnulli senes maturi & religiosi in æde sancta præstolabantur, & de confessione, vel alijs utilibus causis, vicissim loquebantur, seu diurnales horas ad laudem Dei ex debito modulabantur. Vecordes autem famuli stolidè in eos impetum fecerunt, contumelijs affecerunt, & vix à cæde retractis manibus, illis pepercerunt: quia flexis genibus misericordiam flebiliter ipsi postulaverunt. Ipsi protinus dimissi cum socijs qui præcesserant, quantocius de urbe fugerunt: nec licentiam, nec benedictionem Episcopi præstolati sunt, sed diros rumores Parochianis & pellicibus suis retulerunt, atque ad comprobandam fidem vulnera & liventes læsuras in corporibus suis ostenderunt. Archidiacones verò & Canonici, civesque modesti, de infanda cæde contristati sunt, & divinis compatiebantur cultoribus, qui dedecus inauditum perpessi sunt. Sic in sinu sanctæ matris Ecclesiæ Sacerdotum cruor effusus est, & sancta Synodus in debacchationem & ludibrium conversa est. Nimis conturbatus Archipræsul, in triclinio receptus delituit. Sed paulo post, ubi fatigatis, ut dictum est, Clericis, fœdatus furor quievit: progressus aquam acceptâ stolâ benedixit, & Ecclesiam quam contaminaverat cum tristibus Canonicis reconciliavit. Clamor seditionis execrabilis ad aures Principis pervenit. Sed ille alijs intentus negotijs, rectitudinem læsis facere distulit. Hæc Order. pag. 866.

Alterius Conventus mentionem facit Ordericus ad annum 1126. his verbis.

ANNO ab Incarnatione Domini MCXXVI. Indictione IV. Pontificalis Basilica sancti Gervasij Mediolanensis Martyris apud Sagium XII. Kalend. Aprilis dedicata est à Domino Goisfredo Rotomagensi Archepiscopo, & alijs quinque Præsulibus. Ibi tunc Henricus Rex Anglorum cum Proceribus suis affuit, & eidem Ecclesiæ redditus X. librarum pro dote per singulos annos donavit. Ibi tunc interfuerunt Girardus Engolismensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ Legatus, Joannes Lexoviensis, Joannes Salariensis, Goisfredus Carnotensis; & Ulgerius Andegavensis.



CONCILIUM PROVINCIALE

A Matthæo Albanensi, Sedis Apostolicæ Legato habitum Rotomagi anno 1128.

Ex Orderico Vitali.

INTEREA dum Archipræsul ægrotaret, & de salute animæ suæ sollicitus omnia quæ habebat prudenter erogaret, Matthæus Cluniacensis Monachus,

Albanenſis Epiſcopus, Romanæ Eccleſiæ Legatus Rotomagum ad Regem Henricum venit, & cum eo de utilitatibus Eccleſiaſticis tractavit. Juſſu igitur Regis Epiſcopi & Abbates Normaniæ aſciti ſunt, & in Rotomagenſi Capitulo ſcita præſente Rege audierunt; quæ per Legatum Honorij II. Papæ ſic propalata ſunt.

CANONES.

I



UT nullus Preſbyter uxorem habeat. Qui verò à pellice abſtinere noluerit, Eccleſiam non teneat, nec portionem in beneficijs Eccleſiaſticis obtineat, nec aliquis fidelium Miſſam ejus audiat.

II

Ut unus Preſbyter duabus Eccleſijs non deſerviat, nec Clericus quilibet in duabus Eccleſijs præbendas poſſideat: ſed in illa Eccleſia, cujus beneficijs fruitur, Deo militet, eíque pro benefactoribus ſuis quotidie ſupplicet.

III

Ut Monachi vel Abbates Eccleſias ſeu decimas de manu laïcorum non recipiant, ſed laïci quæ uſurpaverant Epiſcopo reddant, & ab Epiſcopo Monachi pro voto poſſeſſorum oblata recipiant. Ea tamen quæ antea quoquomodo obtinuerant, quietè per indulgentiam Papæ poſſideant: ſed vel ulteriùs aliquid hujuſmodi ſine Præſulis, in cujus Diœceſi eſt, licentia uſurpare non præſumant.

Tunc Romanus Legatus de tranſactis tranſgreſſionibus omnes abſolvit, & ſequenti menſe, ut jam dictum eſt, Archiepiſcopus migravit. Ibi cum Legato fuerunt Goisfredus Carnotenſis Epiſcopus, & Goiſlenus Rufus Sueſſionis Epiſcopus, & omnes Epiſcopi Neuſtriæ, Ricardus Bajocenſis, Turgiſus Abrincatenſis, Joannes Lexovienſis, Richardus Conſtantienſis, & Joannes Salarienſis. Abbates etiam affuerunt plures, Rogerius Fiſcanenſis, Guillelmus Gemeticenſis, Ragenfredus ſancti Audoëni, Guarinus S. Ebrulphi, Philippns ſancti Taurini, & Alanus electus ſancti Wandregiſili alijque plures, quorum fautor Rex Henricus affuit, qui nullam eis gravedinem ab Epiſcopis imponi permiſit.



DIPLOMA IN GRATIAM CANONICORUM SANCTÆ MARIÆ AUGENSIS.

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

EGo Goisfridus Rotomagenſis Archiepiſcopus, Petitioni Roberti Decani, ſociorumque ejus Canonicorum, clauſtro & communi habitatione ſimul vivere deſiderantium, ipſius ſub manu Comitis Augi ſæculariter viventium, aſſenſum præbens, concedo: ut redditus præbendarum ipſorum, qui ipſas diviſim, juxta numerum perſonarum, poſſidebant, amodò quia communiter vivunt, communes in perpetuum habeantur. Quòd ſi quis reliquorum Canonicorum, ad eorum converſationem tranſire voluerit; redditus ejus, ſupradicto modo, fiat communis. Poſt mortem verò ceterorum, vel vitæ mutationem, redditus eorum, ad iſtorum victum & communitatem tranſeant. Omnes autem redditus præbendarum, & ea, quæ ad theſaurum Eccleſiæ pertinent; ipſis Regularibus, & eorum Eccleſiæ, ita liberè & quietè ab omni conſuetudine, concedo, ſicut Eccleſia Augenſis, liberiùs & quietiùs viſa eſt poſſediſſe. Liceat etiam eis, more aliorum clauſtralium, quot Fratres voluerint in ſuo loco, ad id ſervitium conjungere. Et ſuorum Abbatum liberam electionem facere: nec ulli Abbatum liceat bonos uſus Eccleſiæ, qui ſecundum veram Religionem, in eadem inſtituti ſunt ullo modo, infringere. Quòd ſi quis Canonicorum ſæcularium, de rebus Eccleſiæ pertinentibus, ſine meo juſſu & Comitum Augi, & conſenſu totius Capituli, quoquomodo à præbendæ dominio alienaverit, primò, quòd præbendæ ad communitatem Regularium pervenerint: omnis eorum donatio, vel venditio in irritum revocetur. Ipſe vero Decanus Robertus S. Mariæ Augi, & ſocij ſui, præbendas, quas à laïca manu acceperant, in manu mea reddiderunt, & ſe victuros Canonicè promiſerunt: ea, quæ prius propria poſſederant, ipſis ut communiter viverent, habere permiſi; & eidem Roberto, & Succeſſoribus ſuis, dignitatem & poteſtatem Eccleſiæ conceſſi. Hanc præſcriptam inſtitutionem Regularium Canonicorum Augenſis Eccleſiæ, Dei, & noſtræ Metropolitanæ ſedis autoritate confirmo; & ſacram Religionem, & Canonicum Ordinem, in Eccleſia Augenſi, inviolabiliter præcipio permanere: & ne quis huic rei, vel contradicere, vel aliquod impedimentum aliquando inferre præſumat: ſub anathemate prohibeo. Anno Domini 1119. Ludovico regnante in Gallia; Henrico Rege Anglorum, principante in Normania: in Capitulo S. Mariæ Rotomagenſis præſentibus, Audino Ebroïcenſi Epiſcopo, Ranulfo Dunelmenſi Epiſcopo; W. Abbate S. Audoëni, Rogero Secretario, Richardo Archidiacono: Oſmundo Archidiacono, & multis Canonicis alijs S. Mariæ.


Ipſe verò Henricus, Augenſis Comes, omnibus prædictis teſtibus, & præſentibus, ſuperiùs in ſua Charta citatis, iterum hanc hujuſmodi fundationem ijſdem verbis, à ſe conceptam, & expreſſam, approbavit, laudavit, ratamque habuit: nec non omnia ejuſdem Eccleſiæ bona; tum ab anteceſſoribus ſuis, tum à ſe, & ab alijs data confirmavit. Cujus filius Joannes, & ipſe Augenſis Comes, piè poſtea comprobavit.

50 * HUGO Ambianensis, Monachus Cluniacensis. inde Prior sancti Pancratij de Levis in Seleciensi Angliæ Diœcesi, post ea Radingensis Abbas, ac tandem in Rotomagensem Archiepiscopum cooptatus. Fuit ut notat Robertus Montensis, vir religiosus ac timens Deum, summorumque virorum amicitiâ floruit, utpote Innocentij II. summi Pontificis, Petri venerabilis Cluniacensis, & S. Bernardi Clarevallensis Abbatum. Sedem Apostolicam contra Petri Leonis schisma intrepidè tutatus est, ac Innocentium Papam juvit modis omnibus quibus potuit, hunc Rotomagi excepit, quò Pontifex advenerat cum Henrico I. Angliæ Rege de rebus Ecclesiæ tractaturus; nec solum in Gallia, sed & in Italia opem ei præstitisse testis est Ordericus, qui eum Pisis, Concilio à Pontifice coacto scribit interfuisse, ac summo ab eo habitum honore. Quin & de diuturniori ejus cis Alpes mora Regem conquestum, quòd nimirum res proprias negligeret dum curaret alienas.

Insigne ei Diploma Innocentius concessit Blesis, cui septem Cardinales subscripsere quo Hugonem in proprium & specialem B. Petri filium suscipit, ac Ecclesiæ Rotomagensis jura ei & Successoribus confirmat. Translationem sancti Galteri Abbatis Pontisaræ celebrat anno 1153. & sancti Guillelmi Firmati apud Moretonium 1156. in Octava Pentecostes. Henricus Angliæ Rex repentino correptus morbo apud Sylvam Leonis Præsulem accersit, cujus pijs adhortationibus triduo confirmatus, vitam felici exitu claudit. Plura dixit, fecit, scripsit, quibus meritò inter optimos Ecclesiæ nostræ Pontifices annumerari potest. Desijt vivere 4. Idus Novembris, anno 1164.

Extat ejus Diploma in gratiam Abbatiæ Fiscanensis, in Neustria pia pag. 247. Et aliud pro Abbatia Albæ-marlæ ibidem pag. 735. plurima etiam idem Hugo Diplomata concessit Cœnobio S. Wandregisili quæ continentur in Cartulario Fontanellensi. Vide Neustriæ piæ. pag. 176. & 177.

Habetur tom. 3. Spicilegij Dacheriani. Epistola Cleri Rotomagensis ad Honorium II. summum Pontificem pro electione Hugonis Abbatis Radingensis in Archiepiscopum Rotomagensem, qui dignitati huic se subdere renuebat, nisi jussu summi Pontificis.



EPISTOLA CLERI ROTOMAGENSIS Ad Honorium II. Summum Pontificem, anno Christi 1130.

DOMINO Papæ Universali HONORIO Rotomagensis Ecclesia, omnem in Christo obedientiam. Elegimus electione communi filium nostrum Hugonem Abbatem Radingensem nobis in Pontificem: super hoc quæsivimus assensum Domini nostri Henrici Regis Anglorum, & obtinuimus; ab Episcopo quidem Salesberiensi, sub cujus manu Abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum & absolutum quæsivimus, & cum libertate suscepimus: Sed quia ipso revelante percepimus, quòd sine autoritatis vestræ assensu eum habere non poteramus, cùm & hoc in literis vestris prædicto Regi Anglorum directis ita scriptum legimus: *Ipsum itaque sub primo jure absque dominio nostro tanquam specialem B. Petri & S. R. Ecclesiæ Clericum retinemus*: Ea propter donari eum nobis à sublimitate vestra requirimus: quem tantò cariorem habebimus, quantò à vestræ Celsitudinis Sede nobis donatum lætabimur. Quem humili supplicatione ita donari à vestra gratia quærimus, ut sub nullius unquam jure vel potestate, nisi sub vestra tantummodò pia protectione eum persistere gaudeamus, Carissime Pater & Domine.

HAbitus fuit eo præsente Rotomagi Conventus Abbatum, in quo composita est controversia inter Abbatem de Pinu & Abbatem de Mortuo-mari anno 1137. Edita reperitur Charta hujus compositionis in Neustria pia, pag. 771.

COngregatum fuit Concilium Provinciale apud Novum-mercatum in Normania mense Julio anni 1160, vel ut alijs placet 1161, annuente Henrico II. Anglorum Rege, ubi omnes consenserunt Alexandro Pontifici, reprobato Victore Antipapa. Binius ejusque assecla Coriolanus, Staurovolscius, alijque minus rectè vocant Anglicanum Concilium; hæc Labeus in Synopsi. Nolim tamen credere tot eruditos scriptores per Anglicanum Concilium voluisse suadere Concilium apud *Neumarquet* in Anglia celebratum esse, aut per Anglicanos Præsules; sed apud Novum-mercatum, quod non longè à Gisortio distat, Rege Anglorum id postulante, qui in suo Normaniæ Ducatu tunc agebat.

CONCILIUM APUD NOVUM MERCATUM
In Normania celebratum, de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris Antipapæ, anno Domini 1161. tempore Alexandri Papæ III. & Henrici II. Regis Angliæ.

ANNO MCLXI. mense Julio, Henricus Rex Anglorum congregavit omnes Episcopos Northmanniæ, & Abbates, & Barones, apud Novum-mercatum, & Ludovicus Rex Francorum adunavit suos Belvaci; & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris: & consenserunt Alexandro, reprobato Victore. Ita enim præcisè Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum.

ALterius Concilij est mentio apud eundem regnante eodem Henrico II. Juliobonæ habiti ab Hugone & Suffraganeis suis, de quo hæc pauca præfatus autor.

PRimâ Dominicâ Quadragesimæ Rex Henricus aggregavit Episcopos, Abbates, & Barones totius Normaniæ apud Rotomagum, querimoniam faciens de Episcopis & eorum ministris, & Vice-comitibus suis, jussit ut Concilium Juliæ-Bonæ teneretur.

Quid autem ibi actum fuerit penitus interijt.

DE PROTECTIONE ECCLESIÆ ROTOMAGENSIS.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabili Hugoni Rotomagensi Archiepiscopo & ejus successoribus.

APOSTOLICÆ sedis consueta benignitas & discreta simplicitas de plenitudine gratiæ suæ, fœcundis successoribus plene honorificentijs, & beneficijs plures obligat & circa domesticos & humiles filios caritatis suæ indeficientem affluentiam ubi opus fuerit repræsentat. Propensiori igitur ratione est prospiciendum, ut si quando beneficium seu obsequium

ab aliquo piè oblatum ſuſcepimus, ut longè ſuperiores in retribuendo quàm in conferendo appareamus, non menſurâ pari vel æqualitate, ſed ubertate copioſa reſpondere valeamus curemuſve. Pravum eſt enim & deteſtabile ingratitudinis vitium & funditus à bonorum mentibus repellendum, ingratus ſiquidem pœnam, non gratiam promeretur. Quanto autem ſtudio & infatigabili ſollicitudine hac tempeſtate cauſam matris tuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ intrepidus aſſumpſeris, & ambitionem invaſoris * Petri Leonis deteſtans, ac Judaïcæ perfidiæ furorem conterens frequentibus & ratione munitis exhortationibus Clericorum, Principum & ceterorum corda in fide Catholica & obedientia noſtra firmaveris; non immemores, te, cariſſime Frater Hugo Archiepiſcope, virum utique ſapientem, religioſum, & in neceſſitate probatum, in proprium & ſpecialem beati Petri & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filium ſuſcepimus, & inter noſtræ dilectionis gremium familiari dulcedine retinemus. Rationabilibus igitur tuis poſtulationibus aſſenſum præbentes; Rotomagenſem Eccleſiam, cui Deo autore præſides, cum bonis ſuis Apoſtolica defenſione protegimus, & quæ ipſius juris ſunt tibi tuiſque ſucceſſoribus ſcripti noſtri robore communimus, ſtatuentes ut Rotomagenſis Archiepiſcopus, Bajocenſi, Abrincenſi, & Ebroïcenſi, Lexovienſi, Conſtantienſi, Sagienſi, jure Metropolitico præſit Epiſcopis; qui nimirum ab eo conſecrationem recipiant, & ei tamquam Metropolitano pareant. Decernimus etiam ut Preſbyteri in Rotomagenſi Parochia Eccleſiarum adminiſtrationem & curam animarum à vobis recipiant, & ad Synodum vocati abſque contradictione aliqua venire non differant, ad hæc adjicientes prohibemus, ne aliquis laïcus infra præfatum Epiſcopatum officium ſibi Archidiaconatus aſſumat, neque compoſitionem Eccleſiaſticam ſibi vindicare præſumat; nullus quoque Archiepiſcopus vel Epiſcopus in Rotomagenſi Parochia abſque tuo, vel ſucceſſorum tuorum aſſenſu audeat Epiſcopalia celebrare. Porro nemo de veſtris frugibus aut animalibus decimas exigat, quandoquidem Epiſcoporum eſt decimas à ſubditis ſuis accipere reſque in uſum propriæ menſæ, ad opus Clericorum, nec non pro ædificijs Eccleſiæ reparandis, & pro ſuſtentandis pauperibus juxta ſanctiones Canonicas diſpenſare.

*ſcilicet Anacleti.

Quiſquis præterea infra Rotomagenſem Epiſcopatum ad Paſtoralitatis officium aſſumptus fuerit, Epiſcopali jure nobis integrè conſervato, debitam reverentiam tibi tuiſque ſucceſſoribus abſque refragatione exhibeat. Porro quæcumque poſſeſſiones aut bona ad præfatam Eccleſiam juſtè & canonicè pertinere noſcuntur, vel in futurum liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci; firma vobis in perpetuum & illibata maneant, in quibus hæc proprijs nominibus duximus exprimenda.

Oppidum quod dicitur Andeleum cum villis, ſylvis, pratis, juſtitijs & libertatibus cum portu & navium redditibus, & ut tam vos quàm omnes ſervientes domus veſtræ liberum commeatum vini, frumenti & omnium aliarum rerum, tam in aquis quàm in terris, tranſitibus, pontium, & portibus maris omni tempore habeatis; in Anglia in Epiſcopatu Wintonienſi manerium quod dicitur Bintæ-Worda, in Normania Oppidum *Giſors* & Villas

Douvrent ac Devillam, cum aquis, ſylvis, pratis, molendinis, & cum omni libertate & juſtitijs; prata quoque ſuper Sottevillam juxta Sequanam ſita, & domum ibidem ad fana conſervanda, Rotomagi domum propriam, curiam & hortum, ultra muros pomarium, & manſionarios, de quibus habes cenſum & juſtitiam, etiam quæ ſunt de fedio Rotomagenſis Archiepiſcopi-----
----------- præter illa caſtella quæ ad jus Regis ex antiqua conſuetudine permanent. Sane Alba-marla cum omnibus ad eam pertinentibus, & caſtrum Alleïum Ambianenſi civitati proximum, quod ſupra Somenam fluvium ſitum eſt, vobis ſicut cetera autoritate Apoſtolicâ communivimus; terminos verò Parochiales, infra quos utique Mellentum & Pontizara per *Reiſſons* & marchias Radulfi, per calceiam Augi ad mare protenduntur, & antiquitus ex alia parte a Mellendo caſtro non ſolum Sequana fluvio; ſed etiam ultra Sequanam antiquis territoriorum finibus diſcernuntur uſque ad fluvium *Rithle*, & inde per Sequanam uſque in mare. Nulli ergo omnino hominum fas ſit, præfatam Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu aliquibus modis fatigare, ſed omnia integra conſerventur, veſtris & eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus profutura.

EPISTOLA HENRICI II. ANGLORUM REGIS AD INNOCENTIUM II. PAPAM.

Conqueritur de Hugone Archiepiſcopo quòd obedientiam ab Abbatibus exigat.

INNOCENTIO *Dei gratiâ ſummo Pontifici, Patri ſuo venerando* HENRICUS, *eadem gratiâ Rex Angliæ, & Dux Normaniæ, Salutem & debitam obedientiam.*

CONQUEROR apud Paternitatem veſtram de HUGONE Archiepiſcopo Rotomagenſi, qui perſonam meam conturbavit, & Ducatum meum Nomaniæ gravavit, & contra me, & dignitates, & ſtatum Ducatus mei à patre meo, & ab omnibus anteceſſoribus meis, & à me ipſo uſque ad noviſſimum diſceſſum veſtrum de Normania in pace habitos, & tempore Beatiſſimorum Romanorum Pontificum anteceſſorum veſtrorum, & ſanctorum Rotomagenſium Archiepiſcoporum prædeceſſorum ejus, inconcuſsè, illibatéque poſſeſſos, vehementer & irreverenter egit. In benedictionibus ſcilicet & extortis profeſſionum ſcriptis, extra Ducatum meum, & Provinciam ſuam, ab Abbatibus meis Normaniæ, me inconſulto, vobis in Concilio querimonijs inde propoſitis, cùm eos in pace dimiſerim quando noviſſimè in Regnum meum transfretavi, & ipſum Archiepiſcopum amicabiliter ad vos deſtinavi.

Attentiùs itaque ſuppliciter rogo Paternitatem veſtram, ut his & ceteris quæ contra honorem, & conſuetudines, & dignitates regni mei, & Duca-

tus mei spectare videritis, eo modo manum correctionis imponatis, tam de his qui fecerunt, quàm de his à quibus exigitur ut faciant; ne, quod absit, insolitis novitatibus, & consimilibus gravaminibus me ab amore, & fidelitate, & servitio vestro vestrorúmque discedere cogatis, quoniam sine honore olim habito & debito terram tenere non possem, nec ullo modo à Baronibus & hominibus meis, sine quorum consilio & auxilio esse non possum, in hujusmodi vilitate & ignominia terram tenere ampliùs permittar, qui inde vehementer & frequenter improperant mihi & insultant, tamquam qui honorem pristinum, & Regni mei jura tam integrè semper hactenus conservata, meo tempore tam negligenter & nimis remissè mihi surripi sustineam: nec ullo modo ampliùs adquiescent Barones terræ, me, & ipsum Archiepiscopum, in eadem terra cum pace vel amore remanere, nisi vos, & ipse, hæc & hujusmodi studueritis emendare. Quoniam si ipse Archiepiscopus in præsentia vestra dum Rotomagi fuimus, super hac re verbum fecisset, ego in omnibus quæ Deum velle, & contra honorem meum non esse cognoscerem, adquievissem. Qui itaque in his quæ ad Deum sunt, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vestræ personæ dignitatem, semper obedire paratus sum & fui, postulo mihi à vobis honorem debitum, & habitum hactenus integrè conservari, ac de his de quibus prætaxatum est revestiri. Conservet autem Deus Apostolatum vestrum ad honorem suum & pacem Ecclesiæ suæ.

EPISTOLA INNOCENTIJ II. PAPÆ Ad Hugonem Archiepiscopum Rotomagensem.

Ut nonnihil juris Ecclesiastici Regi deferat, exhortatur.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Carissimo Fratri Hugoni Rotomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUEMADMODUM sit concedendum Regibus, & terrarum Principibus, quorum potestate ac justitiâ Dei Ecclesia & Christianus populus proteguntur, prout credimus, tua Fraternitas non ignorat. Ceterùm Carissimus filius noster Rex Anglorum Henricus, prout accepimus, est adversum te graviter indignatus, quòd contra consuetudinem suam, & aliorum Ducum Normaniæ, à quibusdam Abbatibus professionem & obedientiam suscepisti. Quod profectò quamvis justum fuerit, & nobis in Concilio Rhemensi mandatum: pro ejus caritate à rigore justitiæ aliquando condescendere debemus, & pro tempore ipsius voluntati assensum præbere. Credimus enim, sicut nostris auribus intimatum est, & nos ei præscripta nostra mandavimus, quoniam si ei detuleris, quod ad honorem & jus Rotomagensis Ecclesiæ pertinet, cum plenitudine gratiæ suæ imposterum obtinebis. Unde fraternitatem tuam rogamus atque mandamus, quatenus de Abbatibus illis ejus voluntati consentias, & si quem de Abbatibus ligasti, absolvas.

HUGONIS ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI EPISTOLA. AD INNOCENTIUM II. PAPAM.

Domino & patri suo Innocentio Papæ servus Hugo, Rotomagensis Sacerdos, obedientiæ debitum.

DE Domino meo Rege, non sine dolore memorando, piæ paternitati vestræ notificandum duximus: quia subitâ præventus ægritudine nos, missis quàm citissimè Legatis suis, ægritudinis suæ solatijs voluit interesse. Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mœroribus confecimus triduum: prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propriâ pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro, Episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio, tertiò eum, & per triduum, absolvimus. Crucem Domini adoravit, Corpus & Sanguinem Domini devotè suscepit, eleemosynam suam disposuit, ita dicendo: Solvantur debita mea, reddantur liberationes, & solidatæ, quas debeo: reliqua indigentibus distribuantur. Utinam sic fecissent qui thesauros ejus tenebant & tenent. Tandem illi autoritatem de Unctione Infirmorum, quam Ecclesia à beato Jacobo Apostolo suscepit, studiosè proposuimus: & ipsius piâ petitione oleo sancto eum inunximus; sic in pace quievit: pacem det ei Deus, quia pacem dilexit. Hæc præfatus Rotomagensis, Archiepiscopus, de fide Regis Henrici morientis verè contestatus est.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Rotomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

FERVOREM tuæ dilectionis, ac constantiam fidei, quæ in persona tua hactenus claruerunt, exigente temporis necessitate, tam apud Ecclesiasticas quàm sæculares personas, ipsis operum fructibus sancta Dei Ecclesia comprobavit. Unde & in specula domus Domini divinâ providentiâ constitutus, super commissum gregem more boni Pastoris diligenter invigilas, & te severum in corrigendis vitijs exhibendo, Episcopale officium verbis & exemplis adimplere contendis. Age nunc, carissime, & juxta Apostoli vocem, *Argue, obsecra, increpa*, in omnibus tamen caritate, & mansuetudine, ac sanctorum Canonum formâ servatâ.

Nec ullatenus arbitreris quòd ea quæ rectè à te statuta sunt, in irritum devocare; & quæ plantaveris disperdere, aut eradicare velimus: quin potius ea quæ secundum Deum & justitiam feceris, perpetua firmitate volumus

observari. Quod si Abbas sancti Wandregisili usque ad proximam Pentecostes Solemnitatem obedire fraternitati tuæ contempserit, sententiam quam in ipsum rationabilem promulgabis Apostolica autoritate ratam habebimus.

Præterea, Frater dilectissime, te præsentibus literis duximus commonendum, quatinus personam tuam studeas præparare, ut cùm Nuntium nostrum acceperis, beati Petri servitium valeas exercere. Stolam ob insigne dilectionis de collo nostro assumptam, per dilectos filios nostros R. & G. viros industrios, tibique devotos, caritati tuæ transmittimus, ut videlicet ad honorem Dei, & beati Petri reverentiam, nostrique memoriam, eâ assiduè perfruaris. Data Pisis XIII. Kalendas Februarij.

GERARDI MONACHI

PROLOGUS

Ad HUGONEM Rotomagensem Archiepiscopum.

In vitam sancti Romani Episcopi.

GERARDUS, gratiâ Dei * venerabilis Pater Cœnobitarum, Domno HUGONI Rotomagensis urbis Archiepiscopo, & omni collegio ibi Deo militanti, prosperum vitæ præsentis successum, atque indelebilis felicitatis bravium. Noverit benivolentiæ vestræ sagacitas de Vita sancti Romani vestri Patroni, pro qua humillima memet exorastis prece, quoniam pactum quod pepigi vobiscum, nullo modo attendere quivi, ob adversitatum videlicet incommoditates, quas undique præsenti anno in nostris partibus perpessi sumus. Modò autem dirigo vobis vitam veteranam heroïco carmine editam: ut omnino cunctis notum sit, quòd nulla inventionum vobis dirigo mendacia. Illam autem quæ historiali stilo est depicta, pro nimia vetustate penes nos retinens, hanc digestam stilo illius ad instar vobis transmitto. Ordinem quoque rei, qualiter hanc merui adipisci, vobis indicabo brevi sermone. In Braina ergo, potestatis vestræ loco, eadem Vita negligentiæ causâ fuit perdita, alijque quamplurimi libri. Quidam autem Clericus Suessionis civitatis ab inventore mercatam nostræ contribuit nepti obtinendam in Monasterio Dei Genitricis Mariæ Deo sacratæ; illaque post hæc interjecto exigui temporis articulo eamdem Vitam mihi muneris gratiâ impertivit, multorum annorum peractis jam curriculis. Præterea flexo cordis poplite oramus munificentiæ vestræ modestiam, ut nobis vicem reimpendatis caritatis, scilicet transmittendo nobis per gerulum nostrum ex eodem Patrono vestro beatissimo Romano sacrorumque pignorum munera utpote spopondistis, ut & nos condignè celebrare queamus ejus memoriam. De cetero humili efflagito prece, quo cuncto illius loci contubernio Fratrum pro me jubeatis ad Dominum fundere preces, similique modo in Monasterio sancti Audoëni fieri, & in omnibus locis vestræ potestatis jubete:

* Videtur titulus ille ab aliquo Amanuensi additus.

quoniam

quoniam tanto pondere imbecillitatis premor, ut ultima ſemper exitus hora mihi præſens videatur adeſſe.

Gratia vos Domini ſervet ſine limite quovis;
Atque ſuave jugum miti cervice ferentes,
Angelicas læti poſſitis adire cohortes.

ITEM PROLOGUS.

Sanctorum Patrum vitas, Fratres cariſſimi, totius anni per ſpatia revolutas, à nobis unius amoris devotione celebrari oportet, &c.

INCIPIT VITA.

Tempora igitur mundani regni per ſæcula caducæ vitæ, &c.

ADNOTATIONES.

Gerardus iſte præfuit Sueſſionenſi ſancti Medardi Monaſterio, ubi à ſæculo nono celebris eſt memoria ſancti Romani Epiſcopi Rotomagenſis: at quo tempore vixerit, operoſum eſt definire. Multos quippe legimus Gerardos in catalogo Abbatum ejuſdem Monaſterij; multos item Hugones Rotomagenſis Eccleſiæ Archiepiſcopos: ſed nullus ex his Gerardis tempore convenit cum ullo Hugone. Quapropter exiſtimo Gerardum prædictæ Vitæ ſcriptorem non fuiſſe Abbatem, ſed Decanum ejuſdem Cœnobij ſub Abbate ſæculari, & Hugonem, cui opus ſuum Gerardus nuncupavit, eſſe Hugonem eo nomine ſecundum, qui ex Monacho Dionyſiano Rotomagenſem Eccleſiam rexit ab anno DCCCC. XLII. in annos octo & viginti. Certè eo tempore caſtrum Braina erat in poteſtate Eccleſiæ Rotomagenſis; & Heribertus Comes agrum Sueſſionenſem, atque etiam Brainam multis cladibus infeſtabat, ut poſtea dicam. Ergo Gerardus iſte Decanus ſucceſſit Ingranno, qui ad Epiſcopatum Laudunenſem aſſumptus eſt anno DCCCC. XXXII. teſtante Frodoardo, in Chronico.

Gerardus Venerabilis Pater Cœnob. Hugoni Superbum videri poſſit, & quòd Gerardus ſeſe *Venerabilem* Patrem vocet, & quòd nomen ſuum Hugoni Archiepiſcopo anteponat. Verùm familiare eſt illius ævi hominibus, ut ſeſe *inluſtres* viros appellent: & Warinus Comes in Chartario Brivatenſi litteris viri nobilis Hildegarij, anno III. Ludovici Aquitanorum Regis ita ſubſcribit: *Signum Warini gratiâ Dei bonæ indolis Comiti, Rectori* (legendum *Comitis*, *Rectoris*) *ipſius Eccleſiæ, qui hoc conſenſit.* Alia ejuſdem generis exempla extant in eodem Chartario: & in Vita ſancti Bonifacij Martyris, Archiepiſcopi Moguntini, Willibaldus ſe, uti & Lullum *bonæ induſtriæ* virum appellat. Ad ſecundum quod attinet; aureis Latinorum temporibus, qui Epiſtolam alteri ſcribebat, nomen ſuum ſemper præponebat alteri, quantumvis eſſet dignitate inferior. Immo inclinante felici illo litterarum ſtatu, Auſonius Burdigalenſis, cùm metri neceſſitate Paulino ſcribens nomen ſuum poſtponere cogeretur, factum excuſat his verſibus.

Paulino Auſonius. Metrum ſic ſuaſit, ut eſſes
Tu prior, & nomen prægrederere meum.

Quamquam idem autor Theodoſio Auguſto ſcribens, nomen ſuum poſteriori loco ponit. Sic hodie plerique factitamus: quibus etiam religio eſt *te*, *tuum*que dicere, ſummates compellando.

Pater. Hoc nomine etiam afficiebantur Decani Monachorum, dicti nonnunquam *Proabbates* apud Ekkehardum in hiſtoria Sancti-Gallenſi, illi ſcilicet qui Abbatibus ſæcularibus ſuberant.


Præsenti anno. Id contigiſſe reor anno DCCCC L, quo *homines Ragenoldi Comi-*

tis quamdam munitionem Rodomensis Ecclesiæ, super fluvium Vidulam sitam, quam vocant Brainam, furtivo capiunt ingressu. Vnde iratus Hugo Princeps, ad Regem mittit, & Rex illò profectus eosdem invasores expellit, ut scribit Frodoardus in Chronico. Isti enim alijque bellici motus, qui eo anno acciderunt, agro Suessionensi incommoda multa adscivere.

Vitam veteranam. Hanc Vitam heroïcis metris conditam excidisse puto: illa verò quæ *historiali* seu oratorio stilo descripta est, esse videtur ea ipsa, quam Nicolaus Rigaltius luce donavit, à Gerardo alijs verbis adornata.

Potestatis vestræ. Ergo hæc Vita scripta est eo tempore, quo castrum Braina dominio Ecclesiæ Rotomagensis subjectum erat. Atqui sub Hugone tertio jam translatum erat ad Comites Brainacenses. Ad superiorem proinde Hugonem hæc referri necesse est, cujus tempore Heribertus Viromandensis Comes castrum istud Rotomagensi Ecclesiæ subtraxit, testante Frodoardo in Chronico ad annum DCCCCXXXI his verbis. *Interim quidam fidelium Heriberti, Remensi ex urbe profecti, quoddam Hugonis castrum super Vidulam, nomine Brainam, quod ipse Hugo ab Episcopo Rotomagensi tulerat, capiunt atque subvertunt.* Quam subversionem Gerardus hoc loco præ oculis habuisse videtur.


Extant præterea tres ad Hugonem Epistolæ, una S. Bernardi Carevallensis, duæ S. Petri Venerabilis Cluniacensis Abbatum, quæ inter eorum opera reperiuntur.



EPISTOLA ARNULPHI LEXOVIENSIS EPISCOPI
Ad Hugonem Rotomagensem Archiepiscopum.

SUPER injuria quam nobis infert Dominus Fiscanensis literas vestræ majestatis accepimus, continentes quòd ipse nobis sacerdotem ad Ecclesiam illam de qua agitur per manum vestram consentit offerri. Et nos nimirum sanctæ & benignæ nobis diligentiæ vestræ gratias agimus, sed versuti hominis timemus astutias, ne hoc facto & prudentiam vestram circumvenire, & justitiæ nostræ præjudicium comparare disponat. Judicatum enim est inter nos, & à delegatis ab Apostolica sede judicibus imperatum, ut nobis ablata restituat, & excommunicatos ad satisfactionem venire compellat, Sacerdotem offerat, per quem & Ecclesiam & populum nobis, tamquam Pastori & Episcopo animarum suarum, faciat obedire. In quo si de alterius & non de ipsius manu suscipimus sacerdotem, non restituta nobis videbitur, sed sequestrata possessio, plurimúmque hoc poterit partem nostram, cùm de dominio tractabitur, impedire. Sed nec ad obsequendum judicibus sola sufficit sacerdotis oblatio, nisi & ea quæ præscripta sunt nobis integrè fecerit exhiberi. Si tamen ad præsens de ea inter nos compositione tractaretur, quæ omne in futuro litigium tolleret, possemus ad omnem temperantiam consilio vestræ paternitatis adduci, sed adversario ad pugnam se totis viribus accigenti vires addere, non est imprudentis tantùm hominis, sed insani.


Præfatam Epistolam Hugoni scripsit Arnulphus super quodam litigio exorto inter se & Henricum *de Sul'y* Abbatem Fiscanensem, sed postea hanc simultatem reconciliasse videtur & mitioribus verbis inter se usos fuisse, utcumque notat ejusdem Arnulphi Episcopi ad Henricum Abbatem Epistola.



EPISTOLÆ HUGONIS ARCHIEPISCOPI ROTOM. Ad Ludovicum VII. Franciæ Regem.

Domino ſuo dilectiſſimo LUDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum*, HUGO *ſuus*, *& Rotomagenſis Archiepiſcopus*, *ſalutem*, *honorem*, *& proſperitatem.*


MANET in memoria noſtra, quòd rogavimus nobilitatem veſtram de mercato conſtituendo apud *Gozengres*, & veſtra regia magnificentia dixit inquirendum ne inde impedimentum oriretur vicinis mercatis de Vilcaſſino. Nunc autem ab inquirentibus nobis relatum eſt, quòd in die Lunæ fieri poteſt abſque impedimento vicinitatis. Unde & hoc fieri à veſtra nobilitate poſtulamus, ſi vobis placet. Conſervet vobis Deus vitam & ſalutem per tempora longa.



AD EUNDEM.

Domino ſuo cariſſimo LUDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum*, HUGO *ſuus*, *& Rotomagenſis Archiepiſcopus*, *ſalutem*, *honorem*, *& proſperitatem.*

NOVIT Deus quòd in omnibus Synodis, Eccleſiarum conſecrationibus, conventibus, Miſſis, memoriam veſtri facimus in orationibus noſtris, quoniam vos plurimum diligimus. Quoniam autem vobis placuit ut nobis ſignificaretis ubi & quando debeamus ad vos venire, precamur ut uſque in diem Mercurij nos expectetis. Det vobis Deus vitam per tempora longa. *Amen.*



AD EUNDEM.

Domino ſuo cariſſimo LUDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, HUGO *ſuus*, *& Rotomagenſis Archiepiſcopus*, *ſalutem*, *honorem*, *& proſperitatem.*

ABBATIA ſancti Martini de Pontiſara à principio ſuæ fundationis poſt Dominationis veſtræ Principatum ad Rotomagenſem Eccleſiam, & ad ejus Archiepiſcopum pertinet ſingulariter in Abbatis electione, & conſecratione, & in omni alio jure. Nunc autem Monachi Cluniacenſes neſcio quâ novâ adinventione eam ſibi in ſubjectionem vendicare nituntur. Unde veſtræ regiæ Sublimitati humiliter ſupplicamus, quatinus eamdem

Ecclesiam, quæ vestra est, in sua libertate conservari præcipiatis, in ea videlicet quam nos tenuimus, & prædecessores nostri tempore vestro, & vestrorum antecessorum. Conservet vobis Deus vitam & salutem per tempora longa.



EPISTOLA HUGONIS ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI ad Sugerium Abbatem sancti Dionysij.

Venerabili Patri & Domino SUGERIO *Abbati sancti Dionysij,* HUGO *Rotomagensis Ecclesiæ humilis Minister, salutem & gratiam.*

CONQUERITUR Abbas & Conventus sancti Wandregesili, & nos cum eis & pro eis conquerimur super Hugonem Brostin, qui antiquam eleemosynam Regum Franciæ, quæ est apud Calceum à tempore beati Ausberti prædecessoris nostri, quietam & liberam inquietat & aufert. Nunc igitur, quia loco Domini Regis hujusmodi providere habetis, vobis mandamus & supplicamus, quatinus prædicto Hugoni præcipiatis, ut præfatam decimam in pace dimittat, nec ullo modo ampliùs in eam manum ponere præsumat. Facit itaque hanc injuriam, ut audivimus, quia excommunicatus est, & necesse est ut quem justitia Ecclesiastica ad viam veritatis non revocat, manus vestra rapinam ejus & tyranidem reprimat, reverende Pater & Domine.



EPISTOLA HUGONIS ROTOM. ARCHIEPISCOPI IN LIBROS TRES CONTRA HÆRESES SUI TEMPORIS, SIVE DE ECCLESIA ET EJUS MINISTRIS.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio ALBERICO *Hostiensi Episcopo, quàm sæpe Sedis Apostolicæ Legato, peccator* HUGO, *Rotomagensis utcumque Sacerdos.*

REVERENDE Pater tuis obedire mandatis pro tempore distuli, non tamen illud omisi, sed præsta petenti veniam, cui soles præstare gratiam. Digna sedet mihi memoria reminisci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum, civitate Nannetensi meruimus assistere tibi. Ibi sanctorum corpora Martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum, multo cœtu præsente fidelium, suscepta præsentasti, præsentata relocasti cum digno honore, & gratiarum actione. Ibi tecum aspeximus Cometam præcipiti lapsu in Occiduo ruentem, ruinam Hæresis, quæ in Armorico tunc scatebat, te protestante signantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica stare non poterat. Eorum Hæresiarches pertimuit: nec ap-

parere præsumpsit. Proinde placuit tibi super Hæresibus insurgentibus nos aliqua scribere, quod & suscepimus tuæ jussionis autoritate : sed succincto opere, sed brevi caractere. Trahatur itaque ex arcto commate clausa latissima, sumantur ex vase modico fercula copiosa, more Catholico in Spiritu sancto.

PRÆFATIO AD EOSDEM LIBROS.

MAndat Dominus, obediat servus, Patres præcipiunt, fratres expetunt, filij requirunt, caritatis imperio simul & singulariter injungunt, ut contra Hæreticos emergentes novos, contra eorum hæreses non novas sed veteres, tandem aliquando consurgamus, sinceram catholicæ fidei puritatem, & eis apponamus, & contra eos assistente Domino defendamus. Loquatur igitur per nos & pro nobis omnipotens Pater coæterni Verbi : loquatur Verbum quod semper & pariter omnia dicit : loquatur Spiritus Patris & Verbi unus & coæqualis, qui continens omnia, scientiam habet vocis. Veritatis sermo proponitur, audiamus; Deus in causa est, assistamus.

Reverendo Patri Theodorico Ambianensium Episcopo, HUGO *Rotomagensium Sacerdos, prosperari semper in Christo.*

MAGNA opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus! Apud Carnotum cœperunt in humilitate quadrigas & carpenta trahere ad opus Ecclesiæ construendæ. Eorum humilitas etiam miraculis coruscare, hæc fama celebris circumquaque pervenit. Nostram denique Normaniam excitavit. Nostrates igitur benedictione à nobis acceptâ, illùc usque profecti sunt, & vota sua persolverunt. Deinde formâ simili ad matrem suam Ecclesiam in Diœcesi nostra, per Episcopatus nostros, venire cœperunt, sub tali proposito, quod nemo in eorum comitatu veniret, nisi priùs datâ confessione, & pœnitentiâ susceptâ; nisi depositâ irâ & malivolentiâ, qui priùs inimici fuerant convenirent in concordiam, & pacem firmam. His præmissis: unus eorum princeps statuitur, cujus imperio in humilitate & silentio trahunt quadrigas suas humeris suis; & præsentant oblationem suam non sine disciplina & lachrymis.

Tria illa quæ præmisimus, Confessionem videlicet cum pœnitentia, & concordiam de omni malivolentia, & humilitatem veniendi cum obedientia, requirimus ab eis cùm ad nos veniunt, eósque piè recipimus, & absolvimus, & benedicimus si tria illa deferunt, dum sic informati in itinere veniunt, quandoque & in Ecclesijs nostris, quàm maximè, miracula creberrima fiunt. De suis etiam quos secum deferunt infirmis, & reducunt sanos quos secum attulerunt invalidos. Et nos permittimus nostros ire extra Episcopatus nostros, sed prohibemus eos ne intrent ad excommunicatos, vel interdictos. Facta sunt hæc anno Incarnati Verbi MCXLV. *Bene vale.*

Venerabili Domino suo LUDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi nobilissimo, Hugo suus, & Rotomagensis Sacerdos, salutem, honorem, & gloriam.*

CONQUESTI sunt apud nos Canonici nostri & vestri beati Melloni de Pontisara super Hulduino Concanonico suo, qui jure Capituli ipsorum contempto, Præpositum eorum de Wadencurt ante se venire summonuit, eique quinquaginta solidos violenter abstulit. Super hoc nobilitatem vestram rogamus attentiùs, quatinus hoc emendare Hulduinum cogat dignitas vestra, & ne prædictam villam de Wadencurt ipse vel alij inquietare præsumant, regiâ censurâ prohibeat. Rogamus etiam, ut res eorum, quas contra justitiam saisierunt, Hugo Malus-vicinus, & Walterus *de Pleiz*, & Drogo *de Curceles*, eis liberè & quietè reddi faciatis. Conservet vos Dominus Ecclesiæ suæ per tempora longa.

Hugo Rotomagensis Archiepiscopus, sedis Apostolicæ Legatus A. nobilissimo Comiti Tholosæ: Duce Narboniæ, Marchioni Provinciæ, quidquid boni tibi mandare possumus & debemus.

QUIA Deus tam honore, quàm probitate tuam personam egregiam & sublimem constituit; decet omnimodis ut bene placeas ei, in cujus manu honor & probitas tua consistit. Scripsit namque nobis tua liberalitas, quatenus aut Lugduni, aut Viennæ, aut Valentiæ tibi occurramus; sed pro tua Reverentia magis apud Valentiam tibi obviam veniemus. Nonis Martij, Domino ducente, pro tua petitione erimus Valentiæ. Speramus enim te plenâ fide sic velle prosequi, sicut venerabili fratri nostro Tricassino Episcopo promisisti, & nobis per literas tuas idipsum promittendo significasti. Festina reconciliari matri tuæ Ecclesiæ, ut crescas semper in honore, Egregie Princeps & Domine. *Vale.*

Ex veteri codice MS. Abbatiæ Mortui-maris.

FActa est controversia inter Abbates de Pinu & Mortuo-mari, quorum caussis & rationibus in medium productis, Metropolitanus Rotomagensis pacẽ inter eos composuit, & Ecclesiam Mortui-maris Cisterciensi Ordini donavit, pluraque in eam rem Diplomata idem Hugo dedit, quæ in Neustria pia habentur.

EPISTOLA HUGONIS ROTOM. ARCHIEPISCOPI.

Reverendo Abbati Raynardo, sacroque Conventui Cisterciensi, Hugo Rotomagensis Sacerdos, salutem, gratiam, & benedictionem.

TEMPORE nostro ædificatum est in Parœchia nostra Monasterium Mortui-maris, quod precibus Regis Anglorum, donavimus Ordini

vestro, per manum Domini Gualeranni Ursicampi. Abbas verò, qui nunc præest Monasterio Mortui-maris, Alexander nomine, fuit quidem Monachus Willelmi Abbatis de Cœnobio Pinus, Sed idem Willelmus, in præsentia Ecclesiæ nostræ, tenens manum præfati Alexandri, manu sua, reddidit eum in manu nostra, nobis: quem ego postea dedi vestro Ordini, sub manu prædicti Abbatis Gualeranni, orate pro me, patres & fratres mei, ut remittat peccata mea mihi; & misereatur mei, Agnus Dei qui tollit peccata mundi, *Amen.* Hic autem Raynardus, fuit Abbas Cisterciensis anno 1134.

DIPLOMA PRO ABBATIA ALBÆ-MARLÆ.

Hugo, Dei gratiâ Rotomagensis Ecclesiæ servus indignus, universis Ecclesiæ Catholicæ filijs, tam præsentibus, quàm futuris; commodum gratiæ profectum intrare, in perpetuum.

SCIATIS, quia Principis Albæ-marlæ Willelmi largitione, & Regis Anglorum, ac Ducis Normanorum Henrici gratâ concessione; statuimus Ecclesiam S. Martini Acciensis, Abbatiam utique fieri Monachorum; ad hoc sanè, ut Domino humiliter serviant, & professionem obedientiæ, Rotomagensi Archiepiscopo persolvant. Nec filijs Belial, qui humilitatem prætendunt, & superbiæ serviunt, omninò consentiant: qui benedici refugiunt, quia obedientiæ debitum profiteri nolunt. Hanc itaque Abbatiam ita disponimus, ut ab Ecclesia S. Luciani Belvacensis, Abbatem primum accipiant; postmodum verò si intra Ecclesiam suam idoneum invenerint, in Abbatem sibi eligant; aut si verò non invenerint, ab Ecclesia S. Luciani, Abbatem sibi Canonicè requirant. Quòd si Abbas S. Luciani dare noluerit, tunc acceptâ ab eo licentiâ, alias requirant Ecclesias; ut à qua voluerint Ecclesia, Abbatem idoneum licenter eligere possint. Quia vero Abbatia Acciensis, per Abbatem, & Monachos S. Luciani Belvacensis, exordia sumpsit; in tanti remuneratione beneficij, statuit præfatus Princeps Albæ-marlæ, 2 marcas argenti, per singulos annos persolvendas Ecclesiæ S. Luciani, tam pro se, quam prædecessoribus suis; & Monachi S. Martini accipient eas, & reddent Ecclesiæ S. Luciani. Quòd si prædictæ marcæ in crastino festi S. Remigij, prout statutum est, solutæ non fuerint, Decano Archiepiscopi Rotomagensis, Albæ-marlæ provisori injungimus, ut eas infra quindecim dies reddi faciat: & si infra quindecim dies illi redditæ non fuerint, Divinum in Parœchia S. Martini, & castello Albæ-marlæ fieri interdicat Officium, donec Ecclesia S. Luciani Belvacensis præfatum debitum accipiat. Qui autem hujus instituti transgressor fuerit, hoc est; si Monachi S. Martini Acciensis, prædictas marcas, sicut scriptum est, Ecclesiæ S. Luciani non reddiderint, sicut transgressores, sciant se divino judicio puniendos reservari: Decanus verò Parœchiæ illius, si justitiam, quæ suprà scripta est, minimè fecerit, sciat se ab officio deponendum, donec pro satisfactione duas marcas argenti Archiepiscopo Rotomagensi solverit. Actum hoc anno


Incarnati Verbi 1130. Innocentio Papa Romano, regnante Rege Francorum Ludovico, & principante in Normania Rege Anglorum Henrico.

Ego Hugo, Rotomagensis Archiepiscopus.

Richardus Archidiaconus.
Osmundus Archidiaconus.
Waleranus Archidiaconus.
Robertus Archidiaconus.



Fulbertus Archidiaconus.
Nicolaüs Decanus.
Warnerus Capellanus.



DIPLOMA EXEMPTIONIS ABBATIÆ FISCANENSIS.

Hugo, Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, dilecto filio Henrico, Abbati Fiscanensi, ejusque successoribus, in perpetuum.

ECCLESIARUM beneficia & jura tunc demùm justè ac stabiliter habentur, cùm Pontificis manu, de cujus Parœchia ea esse constiterit, data fuerint, & ejus autoritate confirmata. Inde est, quòd tuæ justæ petitioni, dilecte in Domino fili Henrice, assensum præbentes, habito consilio & assensu Capituli nostri, Ecclesias quasdam cum Parœchijs suis, in nostro Episcopatu, perpetuo jure libertatis, absolutas ab omni jure Episcopali, tibi, tuisque successoribus, & Ecclesiæ Fiscanensi, habendas in perpetuum concedimus & confirmamus. Ut igitur nulla super eis, de jure libertatis oriatur contentio; eas huic chartæ nostræ nominatim inserimus, scilicet,


Ecclesiam de *Esleetot*.
Ecclesiam S. *Gervasij*, apud Rotom.
Ecclesiam S. *Mariæ* de Wasto.
Ecclesiam de *Limpivilla*.
Ecclesiam de *Tormot-villa*.
Ecclesiam de *Witeflue*.
Ecclesiam de *Paluel*.
Ecclesiam S. *Richarij*.



Ecclesiam de *Ingovilla*.
Ecclesiam S *Walerici*.
Ecclesiam de *Mannevilla*.
Ecclesiam de *Wellis*.
Ecclesiam de *Plena-sylva*.
Ecclesiam S. *Petri* de Senis.
Ecclesiam S. *Mariæ* Gaillardæ.
Ecclesiam S. *Petri* parvi.

Ut ergò jus prædictarum Ecclesiarum, tibi & tuis successoribus, & Ecclesiæ Fiscanensi, constans & ratum conservetur, præsenti scripto, & sigilli nostri autoritate confirmamus. Testes, Gaufridus, Rotomagensis Ecclesiæ; Decanus & Archidiaconus: Willelmus Cantor, Radulphus Sacrista: Osmundus, Ægidius, Berardus, Archidiaconi: magister Reynerius; magister Reynaldus de sancto Amando, qui hoc notavit.

Septem Chartæ sequentes nunc primùm in lucem prodeunt ex Archivis Cathedralis Ecclesiæ Rotomagensis.



CHARTA STEPHANI REGIS ANGLIÆ, ET DUCIS NORMANIÆ HUGONI ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS NORMANIÆ, Quâ jura Episcopalia & Synodalia reddit &c. anno 1136.

Stephanus Dei gratiâ Rex Angliæ & Dux Normaniæ HUGONI *Rotomagensi Archiepiscopo, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Vice-comitibus, & omnibus in Normania commorantibus, tam futuris quàm præsentibus, salutem.*

QUONIAM Altissimus dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illa. Pro ejus honore & mea salute, consilio & assensu Principum & fidelium meorum statui & firmavi tibi Hugoni Archiepiscopo, tuisque successoribus & omnibus Episcopis Normaniæ jura omnia spiritualia & synodalia reddere, & de his qui Treviam Dei infringunt & in Trevia Domini homines occidunt similiter statui, quemadmodum Rex Henricus avunculus meus teneri mandavit, videlicet si occisorem in Trevia Domini aliquis duello probare voluerit, duellum illud in curia mea erit, & si occisus ille convictus fuerit, Episcopus in cujus Diœcesi Treviam Dei infregit, emendam suam, id est 9 libras de rebus convicti, justitiâ meâ cogente, primum habebit. Si vero res convicti non suffecerint ad faciendas illas 9 libras, quicquid ibi minus fuerit totum illud Episcopus habebit, & de rebus convicti nihil ad opus meum accipietur donec priùs totam emendam suam habuerit Episcopus: si verò quis occisorem in Trevia Dei duello probare noluerit, tunc ille occisor per ministros Ecclesiæ vocatus apertâ lege judicij, aut aquæ, aut ignis, se se purgabit, & si convictus fuerit ibi de Episcoporum emendâ quod superiùs scriptum est justitiâ meâ cogente fiat. Si autem infractor timore Dei justitiam subire noluerit, simili modo emendam suam habebit Episcopus cogente justitia mea. Et si occisor qui fugerit postea pacem mecum fecerit, pro pace mea non tolletur Episcopo emenda sua, sed reddet eam Episcopo, vel satisfaciet de ea cum eo. Ego denique qui Deo obedire primùm debeo omnes inobedientes condemno, & tam rigore gladij, quàm censurâ Episcopali puniendos decerno. Testibus Hugone Episcopo Vintoniensi, & B. Episcopo, S. David, R. Episcopo Batoniensi, Willelmo *Martel*, G. de Pomereya apud Winteham.

CHARTA HUGONIS ARCHIEPISCOPI PRO ABBATIA CORNEVILLANA CANONICORUM S. AUGUST. anno Christi 1143.

Ex Archivo loci.

HUGO *Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, carissimis Filijs suis, Priori, & Fratribus Canonicis regularibus, apud Cornevillam constitutis, in perpetuum.*


SANCTÆ matris Ecclesiæ moderata benignitas cum de provectu filiorum suorum gaudeat, in eis specialiùs novit exultare quos ferventiores conspicit

in obſervanda religione. Ut igitur honeſtas veſtra ſemper in Domino valeat proficere, & in augmentum virtutum de die in diem liberiùs conſcendere, ſtatuimus tam vos quàm bona veſtra ſub protectione & defenſione ſanctæ matris Eccleſiæ Rotomagenſis * conſiſtere, & præſentis paginæ munimine communire. Juſtis ſiquidem poſtulationibus veſtris aſſenſum præbentes, concedimus vobis Eccleſiam B. Mariæ de Cornevilla cum ijs omnibus quæ juſtè ei pertinere noſcuntur, videlicet decimis atque beneficijs; quin etiam ea quæ Galerannus Comes Mellenti vobis conceſſit ſcilicet unum eleemoſinarium apud Villevillam, & decimam de Extaldis quæ vadunt à Monte-forti ad Pontem-Audomarem, eo tempore quo diſcurrunt per aquam, & conſuetudines veſtras quietas per totam terram ſuam de dominio ſuo, ſicut Eccleſia de Pratellis melius & quietius habet, in foreſta de Monte-forti mortuum boſcum ad veſtrum proprium ignem. Terras quoque quas Guillebertus *de Corneville* dedit vobis, ſcilicet duas acras inter Eccleſiam & domum ſuam &c. Decernimus quoque ut ſi divinâ gratiâ ſuffragante locus veſter per manus fidelium amplioribus poſſeſſionibus amplificatus fuerit, ita ut ibidem poſſit conventus congruè inſtitui, inſtituatur tali modo, ut ab Abbate & Capitulo ſancti Vincentij vobis ſemper Prior ſubſtituatur, & ſicut bonis temporalibus exterius excreverit, ita & interius amplificetur augmentis ſpiritualibus &c. Actum eſt hoc anno Verbi Incarnati 1143. regnante Rege Francorum Ludovico, Principante in Normania Rege Anglorum Stephano. Pontificatus verò noſtri anno 13.

**fortè conſtituere.*

Ego Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus.
Ego Gualerannus Decanus.
Ego Fulbertus Archidiaconus.
Ego Robertus Archidiaconus.
Ego Gaufridus Archidiaconus.
Ego Oſmundus Archidiaconus.

Ego Hugo Archidiaconus.
Ego Ægidius Archidiaconus.
Ego Nicolaus Sacriſta.
Ego Guillelmus Cantor.
Ego Robertus Sub-cantor.
Ego Gaufridus Sacerdos & Canonicus.



EJUSDEM HUGONIS DIPLOMA
Pro Canonicis Burgi-Achardi.

HUGO *Dei gratià Rotomagenſis Archiepiſcopus cariſſimis filijs ſuis Priori Faleſiæ & Burgi-Achardi ſalutem, gratiam, & benedictionem.*

AUTORITATE divina ad Epiſcopos pertinere dignoſcitur & Eccleſias fundare & fundatas Canonicis inſtitutionibus ordinare. Eapropter mandamus poſteris noſtris fidelibus atque Catholicis, ut quæ de Eccleſia S. Laudi quæ ſita eſt in Burgo-Achardi, quæ per Priorem Eccleſiæ ſancti Joannis-Baptiſtæ & per ejus Canonicos in religione ædificata eſt, &

instituta, petitione nostra, unius societatis ejusdemque Capituli sit cum Ecclesia Falesiensi, & Prælatus Ecclesiæ pro ordinis observatione & culparum emendatione præfatæ sancti Laudi Ecclesiæ dignè præemineat. Ordinem vero & instructionem religionis quam Prælatus Ecclesiæ Falesiensis in præfata domo posuerit tenebunt & observabunt Canonici Burgi-Achardi, consilio & autoritate Rotomagensis Archiepiscopi. Si autem ex persona Prioris, vel in fratribus sancti Laudi de Burgo-Achardi aliquid corrigendum fuerit, & ipsos emendare nequiverit, tunc Prior Falesiæ, emendet & corrigat, strenuè veniat, & potestate Canonica liberè peragat. Quòd si non ille Prior id agere poterit, Archiepiscopus Rotomagensis constanter assurgat, & corrigenda corrigat & emendata retineat, & extirpanda extirpet, & Prioribus autoritatem conservandi ordinem Canonicum integrè restituat. Cum verò Fratres Falesiæ apud Burgum-Achardi fuerint, obediant Priori ejusdem loci similiter Fratres Burgi-Achardi Priori Falesiæ, quæ autem domus alteri meliùs subvenire in omni re, causa, poterit, & negotio, devotè subveniat. Actum est hoc anno 1143. ab Incarnatione Domini, Pontifice Romano Innocentio II.

CHARTA HUGONIS ARCHIEPISCOPI ROTOM. Pro Prioratu *de Basqueville*, Abbati & C. Tyroniensi Ordinis S. Benedicti.

Ex Cartulario Tyron.

HUGO *Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus Willelmo venerabili Abbati de Tyronio ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.*

AD nostrum pertinere dignoscitur officium loca Deo dicata sub protectione sanctæ matris Ecclesiæ suscipere, eorumque bona sibi canonicè à fidelibus collata nihilominus Episcopali autoritate tueri & roborare. Veruntamen oblationes fidelium, quæ pretia peccatorum esse noscuntur à nemine licitum est tangi, nec ad alios usus præter eos quibus assignatæ sunt aliquos inde fas est perfrui. Ceterùm de religione & bona vestra conversatione gratulantes, quod piè requiritis, congruum vobis duximus concedere, justisque vestris postulationibus assensum præbere. Ecclesiam itaque S. Mariæ *de Basqueville*, cum his quæ ad eam pertinent & *6* acras terræ vobis concedimus; nec illud concessioni nostræ nocere debet quòd Monachi de Pinu eamdem Ecclesiam aliquando habuerunt, atque ibidem aliquandiu commorati sunt; ijdem namque Monachi jam dictam Ecclesiam, locumque illum Willelmo *Martel* in præsentia nostra reddiderunt, & inde sibi quod vellet faceret, permiserunt. Concedimus vobis præterea Ecclesiam S. Petri *de Basqueville* cum universis sibi pertinentibus, salva parte Monachorum S. Wandregisili & Ecclesiam S. Joannis *de Basqueville* cum omnibus, quæ ei pertinent, & duas garbas de decimis feodi Gauterij perfecti, duasque garbas de feodo Bartholomæi filij Gauterij &c. & inferiùs Præterea


ea quæ Willelmus *Martel* & fratres sui, materque sua & conjux, filijque sui dederunt & concesserunt vobis ad opus Monachorum ceterorumque Fratrum in Ecclesia B. Mariæ de Baschavilla Deo assiduè servientium, & nos concedimus, firmaque vobis & illibata deinceps perpetuò possidenda sancimus manere, videlicet de proprio dominico suo 20 acras terræ quarum una est in prato; Boscum & Essarta, & viridarium sicut aqua currebat, & terram vivarij usque ad fossatum &c.

Veruntamen quæcumque in præsentiarum canonice possidetis ac deinceps justis modis adipisci poteritis, firma vobis & stabilia permaneant, salvo Sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ jure Episcopali, & consuetudine justè servata Parochiali; cunctis igitur, vobis ista servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & in præsenti fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro prœmia æternæ pacis inveniant. *Amen, Amen.*

CHARTA HENRICI II. DUCIS NORMANIÆ Hugoni Archiepiscopo & Episcopis Normaniæ pro civibus Rotomagensibus, anno 1150.

HENRICUS *Dux Normaniæ* HUGONI *Rotomagensi Archiepiscopo & omnibus Episcopis, Baronibus, Vice-Comitibus & omnibus Baillivis & ministris, & fidelibus suis Normanis salutem.*

SCIATIS quòd ego concessi civibus Rotomagensibus quòd sicut unusquisque eorum tenebat in anno & die quo Rex Henricus vivus fuit & mortuus ita teneat. Item quòd nullus eorum respondeat pro appellatione alicujus latronis recognoscentis vel aliquo crimine convicti, vel deprehensi, vel alicujus falsatoris. Item quòd nullus eorum adversus aliquem placitet de aliquo placito extra Rotomagum nisi ante Ducem Normaniæ, ante quem ipsi placitabunt tantum apud sanctam Valburgem & apud *Oissel*, & non alibi extra Rotomagum. Item quòd nullus eorum custodiat prisonem vel in Gaïola vel alibi, & id concessit eis Rex Henricus. Item quòd nullus eorum det pro modiatione nisi vinum, & si in die qua vinum venerit Rotomagum oblata fuerit ministris Ducis oblatio, & ipsi eam accipere noluerint usque in crastinum ad horam tertiam expectabuntur, & exinde ille cujus vinum fuerit, vendat illud ad velle suum sine forisfacto, salva Ducis consuetudine. Item quòd nullus eorum duellum faciat contra aliquem qui testificatus sit pugil conductitius per Sacramentum decem legalium civium Rotom. 5. intra civitatem & 5. de Burgo; illi verò decem Cives sint in electione justitiæ. Item ab illo die quo cives Rotomagenses homines Ducis G. patris mei effecti sunt, nec de factis, nec de dictis præteritis pro eis qui recesserunt à Rotomago & à communione Rotomagensi respondebunt.




CHARTA PRO PRIORATU S. SYDONIJ.* *S. Saens

Ex Archivis Abbatiæ S. Wandregesilli.

DEI providentiâ & nutu divino ego Matthæus peccator indignus pietate Antecessorum meorum & mei salute compunctus, donationem illam quam injustè tenueram in Ecclesia S. Sydonij & in Præbendis Canonicorum, Rogerio viro Religioso Abbati sancti Wandrigisilli, fratribusque sub ejus regimine Deo servientibus in eleemosynam tradidi & in perpetuum concessi. Et quòd Canonicorum vice, in eadem Ecclesiâ Monachi substituendi sunt, & largior necessaria mansio fuerit eis ad eorum usus & sustentationem, virgultum quod est situm in parte orientali cum omnibus domibus Canonicorum largitus sum. Deinde decimam omnium furnorum istius villæ & Osmondivillæ simili modo dedi eis, nec non etiam de campipartibus meis decimam de hoc & censum. Insuper eis adjeci decimam brasij mei. Hæc largitio in prædictam Ecclesiam publicè acta est, annuente Domino Hugone Archiepiscopo in præsentia Gironis Archidiaconi ejus nepotis, & Walterij Decani, & Radulfi Sacerdotis sancti Ermelandi & ejusdem Basilicæ Canonicorum, & plurimorum militum &c. prædicta itaque acta fuerunt anno Verbi Incarnati 1151.

Confirmata fuit hæc donatio à Willelmo *d'Etouteville* & uxore ejus Adeliza cohæredibus & participibus in præsentia Rotrodi Archiepiscopi, testibus Rainaldo Archidiacono &c.



CHARTA HUGONIS AMBIANENSIS Rotomagensis Archiepiscopi pro Tunica Dominica in Monasterio Argentoliensi à se visitata anno 1156.

Vniversis Catholicæ Ecclesiæ patribus Reverendis HUGO *Rotomagensis Ecclesiæ humilis Sacerdos, salutem & gratiam divinæ propitiationis.*

AD omnium volumus notitiam pervenire, quòd nos supernæ pietatis instinctu apud Argentolium convenientes adjunctis humilitati nostræ multis authenticis & reverendis personis, Archiepiscopo Senonensi, Theobalio Parisiensi, Roberto Carnutensi, Aurelianensi, Trecensi, Antissiodorensi, Catalaunensi, Eboracensi, Sylvanectensi Episcopis sanctis, Abbatibus quoque venerabilibus Odone Abbate B. Dionysij, T. S. Germani. God. Latiniacensi, Ferrariensi, Fossatensi, S. Pharonis, S. Maximini, S. Maglorij, Pontiniacensi, Mauriniacensi, alijs etiam quampluribus. CAPPAM pueri Domini JESU, quæ in ejusdem Thesauris Ecclesiæ à temporibus antiquis honore condigno deposita erat, ad fidelium salutem humiliter inspe-

ximus & palam eduximus, & veneratione solemni debitam ejus magnificentiæ reverentiam exhibentes, illam desiderio & devotioni populorum obtulimus. Aderat ibidem supereminens & sublimis præsentia illustris Regis Francorum Ludovici cum proceribus & optimatibus Palatinæ dignitatis, maxima consistente fræquentia vulgi. Ob insigne igitur gratiæ cælestis illud videlicet indumentum, quo se se humana induere sapientia dignata fuit, & ob sacratissimam præscriptorum Patrum præsentiam, Domino propitio salubri dispositione decretum est, ut omnibus ibidem venientibus supernæ miserationis gratiam poscentibus, merces & fructus suæ devotionis, in indulgentia veniæ compensetur. Quicumque igitur hoc præsenti anno, in loco prænominato in honorem Dominicæ vestis propriam servitutem & devotionem obtulerint. Nos omnibus illis de clementiæ cælestis plenitudine confisi, si peccatis gravibus & maximis implicati fuerint unius anni pœnitentiam relaxamus. Qui verò levibus, id est venialibus detinentur, medietatem pœnitentiæ remittimus, oblita peccata modo simili condonamus; annis verò singulis à festivitate S. Dionysij usque ad octavas ejusdem loci ipsius & sacratissimæ vestis venerationem piè invisentibus quadraginta dies suæ pœnitentiæ remittimus & indulgemus. De parvulis qui baptizati, vel sine baptismi remedio infra septem annos per negligentiam parentum mortui sunt, totam pœnitentiam parentibus eorum remittimus, excepta feria 6. in hebdomadam, qua etiam die si ad Ecclesiam pœnitens perrexerit qualem ei charitatem Presbyter dederit talem habeat, si verò infirmus fuerit aut mulier prægnans, debilis quæ jejunare non possit, dicat 7 *Pater noster* & opere piò bonum exerceat. Omnibus autem hæc & quæ justa sunt conservantibus *Sit pax & salus Domini nostri Jesu Christi. Amen* Acta anno Verbi Incarnati 1156. felicis memoriæ Adriano Papa IV. feliciter.

51. * ROTRODUS, seu ROTROCUS patre Henrico Comite Warvici in Anglia Rogerij de Bellomonte filio, Margarita Rotroci Comitis Perticensis sorore natus, Gisleberti Porrhetani Pictaviensis Episcopi viri doctissimi auditor, primùm Archidiaconus Rotomagensis deinde Episcopus Ebroïcensis ad Ecclesiam Metropolitanam transfertur. Fuisse constat virum religiosum, bonis ornatum moribus, & ab omnibus dilectum, cujus eximiam prudentiam commendant summa operosaque negotia, quæ occupatis suis temporibus gessit; præsertim in illa gravi diuturnaque controversia, quæ inter B. Thomam Cantuariensem Antistitem & Henricum II. Angliæ Regem oborta est. Nam versutissimi hominis recrudescentibus in dies verè an dissimulanter odijs, per plures annos sapientissimus Pontifex (quem unicum ferè utriusque partis amicum reconciliandæ pacis idoneum avebant boni omnes) legationibus, colloquijs, tractatibus, ultro citroque datis Epistolis, mirum quantum desudarit, ut ad optatum finem res perduceretur. Tandem post acerbissimam S. Antistis Cantuariensis cædem pro Rege & Regno ad Alexandrum III. iter arripuit, etsi cogente infirmitate illud perficere non potuerit. Interfuit cum Episcopis & proceribus Conventui Henrici Regis & Legatorum Theodini & Alberti apud Saviniacum, inde Abrincas in ejusdem cædis causa habito. Erga Cathedralem suam & Capitulum munificus varia eis dona contulit. Corpus S. Romani in augustiori theca recondit anno 1179. Tandem felici exitu vitam clausit 7. Kal. Decembris 1183.

Protulit E. C. Baronius ad annum 1168. ex relatione ad S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum ab amico facta, colloquium habitum inter Legatos Alexandri III. Episcopos & Abbates aliquot Normaniæ & Angliæ in urbe Argentoniensi de rebus ad S. Thomam spectantibus & Henricum II. in hæc verba.

IN Vigilia S. Andreæ Episcopi satis manè convenerunt ad capellam Regis, & statim ad cameram, ibi absente Rege habita deliberatione; exierunt ad Ecclesiam, juxta quam Cardinales hospitia habebant. Ubi cum Cardinales sedissent, vocati ut audirent quæ ab eis proponerentur, assidentibus hinc inde Rotomagensi, Eboracensi Archiepiscopis, Wigorniensi, Saresberiensi, Bajocensi, Londiniensi, Cicestrensi & Engolismensi Episcopis, Abbatibus quàmpluribus & laïcorum ampla multitudine: surrexit Londoniensis, & cùm turbatæ mentis esset, insipida & parum venusta oratio argumento fuit - - - - Factâ itaque appellatione, petierunt Apostolos à Cardinalibus, & dati sunt eis appellatorij. Discesserunt autem Cardinales à Rege feriâ tertiâ post Dominicam *Ad te levavi.* &c.

De altero colloquio ita idem Autor.

IN Vigilia B. Barrholomæi venerunt nuntij ad *Danfront* &c. die assignata convocati Episcopi venerunt Bajocas, Rotomagensis, Burdegalensis, casu Cœnomanum Episcopus & omnes Episcopi de Northmannia &c. - - - Crastinâ die cum nuntijs convenerunt omnes Episcopi ad locum quemdam qui vocatur *Lebut*, & statim ex quo venerunt intravit Dominus Rex & omnes Episcopi cum eo, & illi tantummodo qui vocati erant ex nomine. Et statim habuit dominus Rex consilium cum nuntijs solis, petens ab eis quòd Clericos suos absoluerent sine juramento. Quod cùm nuntij se facturos instanter negarent Dominus Rex ad equum suum cucurrit & ascendit - - - - Quo audito Archiepiscopi & Episcopi quotquot erant ad nuntios venerunt, & supplicaverunt eis quod pro amore Dei hoc facerent; ipsi verò cum summa difficultate concesserunt. Quo facto descendit Dominus Rex & iterum cum eis habuit consilium, & cito post, convocatis omnibus quotquot in pace erant, incepit Rex narrationem suam &c. - - - - cujus consilij summa fuit, quòd Episcopi omnes scriberent Domino Papæ quòd audientibus illis obtulerat B. Thomæ pacem, & paratus erat omne præceptum facere Domini Papæ: & quòd per nuntios stetit quominus fieret. Hucusque Baronius.

Post acerbissimam S. Cantuariensis Archiepiscopi cædem, Legati cum Rotrodo & alijs Episcopis Savineïum venerunt ad Monasterium Ordinis Cisterciensis. Quæ ibi gesta sint Rogerus Hoüeden fusè narrat, & Eminentissimus Cardinalis Baronius ex Codice Vaticano. His verbis.

PRIMÒ Dominus Rex & Legati convenerunt apud Gornam, die Martis ante Rogationes, & ibi invicem recepti sunt in osculo pacis. In crastina venerunt Saviniacum, ubi Archiepiscopus Rotomagensis & cuncti Episcopi & proceres convenerant. Cumque de pace ibi diu tractatum esset, quoniam Rex mandatum eorum absolutè jurare renuit: Rex ab eis cum indignatione discessit in hæc verba: Redeo, inquit, in Hiberniam ubi multa mihi incumbunt, *facienda scilicet:* vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit, & agite legationem, sicut vobis injunctum est. Sic ab eis discessum est. Tunc Cardinales habito arctiori consilio, revocaverunt Episcopum Lexoviensem, Joannem Pictaviensem, & Episco-

pum Sarefberienfem, & per eos elaboratum eft, quòd Feria fexta fequente Rex & Cardinales apud Abrincas convenirent, Ibique omnino conventum eft inter eos, ita quòd Rex quidquid ex parte Cardinalium ei propofitum eft, benignè fufcepit & confecit. Sed quia Rex filium fuum voluit adeffe, ut quod pater promitteret, ille etiam afféveraret : terminus rei dilatus eft ufque ad fequentem Dominicam proximam, videlicet ante Afcenfionem Domini. Tunc in publica audientia Rex manu fua tactis facrofanctis Evangelijs juravit, quòd neque mandavit, neque voluit, quòd Archiepifcopus Cantuarienfis interficeretur; & audita morte ejus, plùs inde doluit, quàm lætatus eft. Addidit etiam ex propria voluntate, quòd de morte patris vel matris fuæ numquam tantum doluit. Juravit etiam, quòd quantamcumque pœnitentiam ei Cardinales injungerent, vel fatisfactionem, plenariè exequeretur.

Dicebat enim coram omnibus, fe intelligere, quòd caufa effet mortis Archiepifcopi; quòd quidquid factum eft, propter eum factum eft, non quod ipfe mandaverit, fed quòd amici & familiares ejus videntes turbationem vultus ejus & oculorum, & cognofcentes etiam dolorem cordis, & fæpè audientes querula verba de Archiepifcopo : injuriam ejus abfque confcientia ipfius ulcifci parabant. Et ideò cum omni humilitate & devotione ad omnia quæ Legati juberent, fe expofitum afferebat.

Tunc nuntiatum eft ei à Legatis, quòd alet ducentos milites per annum integrum fumptibus fuis, videlicet unicuique militi dans trecentos aureos in terra Hierofolymitana contra Paganos, fecundùm difpofitionem Templariorum.

Secundò, quòd prava ftatuta de Clarendona (*ubi vulgata funt*) & omnes malas confuetudines, quæ in diebus fuis in Ecclefias Dei inductæ funt, penitus dimitteret, fi quæ autem fuerint malæ ante tempora fua, illas juxta mandatum Domini Papæ & confilio religioforum virorum temperabit.

Tertiò, quòd Ecclefiæ Cantuarienfi omnem integritatem fuam in terris & in alijs rebus reftitueret, ficut fuit anno antequam Archiepifcopus iram Regis incurreret : & quòd omnes, quibus offenfus erat propter Archiepifcopum, pacem & amorem redderet, & poffeffionum fuarum plenitudinem.

Quartò, quòd fi neceffe fuerit, & Dominus Papa ei mandaverit : ibit in Hifpaniam ad liberandam terram illam à Paganis. Injunxerunt etiam fecretiùs jejunia & eleemofynas, & alia quædam, quæ ad communem audientiam non pervenerunt,

Ad hæc omnia Rex benigniffimè affenfum præbuit, ita quòd coram omnibus dixit : Ecce, inquit, Domini Legati, corpus meum in manu veftra eft, fcitote pro certo, quòd quidquid jufferitis, feu proficifcendi Hierofolymam, five Romam, five ad fanctum Jacobum, vel quidquid id fit, paratus fum obtemperare. Ita, quòd ferè cuncti qui aderant, videntes humilitatem & devotionem ejus, non poterant lacrymas continere.

His expletis, ne quid ad boni confummationem ejus deeffet, deduxerunt eum Legati ex propria Regis voluntate extra oftium Ecclefiæ; ibíque flexis

flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, absolutus est, & in Ecclesiam introductus. Et ut aliqui de regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent: statuerunt, quòd Archiepiscopus Turonensis & Suffraganei ejus coram Rege & Legatis præsentiam suam exhiberent apud Cadomum, proxima die Martis post Ascensionem Domini. Quod Rex juravit, filius suus Rex manu sua firmavit in manu domini Alberti Cardinalis, se ex parte sua observaturum. Quòd si Rex vel morte, vel alia causâ præpeditus pœnitentiam istam complere non * potuit, quòd ille perficiet. Additum quòd sequenti Natali die Domini accepturus esset Crucem, & per triennium militaret in Terra sancta, nisi aliter visum fuerit Alexandro Papæ, vel ejus legitimo successori. Porrò ipsum juramentum Regis & filij ejus, in manibus Legatorum exhibitum, integrum asservatur in Actis ipsius Alexandri Papæ ita descriptum.

* *fortè* potuerit.

EGo Henricus Rex juro super hæc sancta Dei Evangelia, quòd mortem Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis neque cogitavi, neque scivi, neque fieri præcepi. Et quando cognovi factum ipsum fuisse perpetratum, tristis effectus sum magis quàm si meum proprium filium cognovissem interfectum. Sed in hoc me non valeo excusare, quòd occasione commotionis & iracundiæ meæ, quam adversus sanctum virum conceperam, interfectus fuit. Porrò pro hujusmodi reatu, quia causam mortis ejus dedisse videor: milites ducentos sub expensis meis ad defensionem Christianitatis absque dilatione Hierosolymam destinabo per annum ibidem permansuros, vel tantum eis persolvam, unde totidem milites ibi per annum valeant commorari. Signum quoque Dominicæ Crucis usque ad triennium accipiam, & in propria persona illuc proficiscar, nisi de Romani Pontificis licentia remaneam. Illicitas consuetudines, quas temporibus meis in tota terra mea introduxi, penitus casso, & ex hoc minimè observari decerno. Appellationes verò ad Apostolicam Sedem de cetero liberè fieri permittam, & in hoc neminem prohibebo. Prætereà ego & major filius meus Rex juramus, quòd à Domino Alexandro Papa & ejus Catholicis successoribus recipiemus & tenebimus regnum Angliæ; & nos & successores nostri in perpetuum non reputabimus nos Angliæ Reges, donec ipsi nos Catholicos Reges tenuerint. Juravimus ambo, quòd à vobis & successoribus vestris non recedemus, quamdiu nos sicut Christianos Reges & Catholicos habueritis. Hæc ex Rogerio ejusdem sæculi auctore in Annalibus Anglorum, cujus quoque testificatione illud compertum habetur, quòd hæc omnia facta tempore Ascensionis Dominicæ, repetita sunt in Concilio universæ Provinciæ, habito mense Septembri, ubi contigit eosdem Legatos, simúlque Reges patrem & filium cum Episcopis convenire.





CONCILIUM ABRINCATENSE,

Quo Henricus II. Rex Angliæ à ſacrilega nece ſancti Thomæ Cantuarienſis, antea per Legatos abſolutus, ſecundò abſolvitur, & juramento promittit iterum quæ jam ante promiſerat: item Decreta quædam per Legatos Apoſtolicos conſtituta, quæ mores Eccleſiæ concernunt, promulgantur anno 1172. ſub Alexandro Papa III.



Henricus Rex Angliæ pater, & Henricus Rex filius ejus, & Rotrodus Rotomagenſis Archiepiſcopus, & omnes Epiſcopi & Abbates Northmanniæ, convenerunt apud Abrincam civitatem, in præſentia Theodini & Alberti Cardinalium. In quorum audientia Rex Angliæ pater, quinto Kalendarum Octobris, feriâ quartâ, feſto ſanctorum Coſmæ & Damiani martyrum, in Eccleſia ſancti Andreæ Apoſtoli, purgavit innocentiam ſuam coram prædictis Cardinalibus & omni clero & populo, præſtito ſacramento ſuper ſanctorum reliquias, & ſuper ſacroſancta Evangelia, quòd ipſe nec præcepit, nec voluit, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur: & quando audivit, vehementer inde doluit. Sed quia malefactores illos, qui ſanctæ memoriæ Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum occiderunt, habere non poterat, & quia timebat ipſos illud profanum opus perpetraſſe cauſa animi motus & turbationis quam in eo viderant: de ſatisfactione tale præſtitit ſacramentum.

1. Juravit itaque in primis, quòd ab Alexandro ſummo Pontifice, & Catholicis ſucceſſoribus ejus non recederet, quamdiu ipſum ſicut Regem catholicum habuerint.

2. Juravit etiam, quòd neque appellationes impediret, neque impedire permitteret, quin liberè fierent in regno ſuo ad Romanum Pontificem, in Eccleſiaſticis cauſis: ita tamen ut ſi ei ſuſpecti fuerint aliqui, ſecuritatem faciant quòd malum ſuum vel regni ſui non quærant.

3. Juravit etiam, quòd ab inſtante Nativitatis Domini uſque in triennium crucem accipiet, in proxima ſequenti æſtate in propria perſona Hieroſolymam iturus, niſi remanſerit per Alexandrum ſummum Pontificem, vel per catholicos ſucceſſores ejus. Sed ſi interim pro urgente neceſſitate in Hiſpaniam ſuper Saracenos profectus fuiſſet: quantum temporis in illo itinere conſummaret, tantumdem Hieroſolymitanæ ſpatium profectionis poſſet prolongare.

4. Præterea juravit, quòd interim tantum pecuniæ dabit Templarijs,

quantum ad arbitrium fratrum Templi possit sufficere ad retinendum ducentos milites, ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per spatium unius anni.

5. Præterea perdonavit iram & malevolentiam suam omnibus tam Clericis quàm laïcis, qui pro sancto Thoma erant in exilio, & concessit eis liberè & in pace ad propria redire.

6. Juravit etiam, quòd possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in integrum restituet, sicut habuit uno anno antequam ex Anglia egrederetur beatus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus.

7. Juravit etiam quòd consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ suæ in tempore suo, penitus dimittet. Et hæc omnia juravit se fore observaturum bonâ fide & sine malo ingenio.

Fecit etiam Henricum Regem filium suum hæc omnia capitula jurare tenenda : præter illa quæ propriam ejus personam contingebant. Et ut hæc in memoria Romanæ Ecclesiæ haberentur, Rex pater fecit apponi sigillum suum scripto illi in quo supradicta Capitula continebantur, unà cum sigillis prædictorum Cardinalium. *In hanc formam.*

CHARTA ABSOLUTIONIS DOMINI REGIS.

Henrico Dei gratià Regi Anglorum Albertus tituli S. Laurentij in Lucina, & Theodinus tituli S. Vitalis Presbyteri Cardinales, Apostolicæ sedis Legati, salutem in eo qui dat salutem Regibus

NE in dubium veniant quæ geruntur : & usus habet, & communis consideratio utilitatis exposcit, ut scripturæ serie debeant annotari. Inde quidem est quòd nos mandatum illud in scriptum duximus redigendum, quod vobis pro eo facimus, quia malefactores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quondam Cantuariensem Archiepiscopum occiderunt, occasione motus & turbationis quam viderunt in vobis, ad illud facinus processisse timetis. Super quo tamen facto purgationem in præsentia nostra de voluntate propria præstitistis, quòd videlicet nec præcepistis, nec voluistis ut occideretur : & quando pervenit ad vos, plurimum condoluistis.

Ab instanti festo Pentecostes usque ad annum, tantam dabitis pecuniam, unde ad arbitrium fratrum Templi ducenti milites valeant ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per spatium unius anni teneri: Vos autem à sequenti Natali Domini, usque ad triennium, accipietis crucem : proxima tunc æstate illùc in propria persona, ducente Domino, profecturi : nisi remanseritis per Dominum Papam, vel Catholicos successores ejus.

Sanè si contra Saracenos pro urgente necessitate in Hispaniam profecti fueritis : quantum temporis fuerit ex quo arripueritis iter, tantumdem supradictum spatium Hierosolymitanæ profectionis poteritis prolongare. Appellationes nec impedietis, nec impediri permittetis, quin liberè fiant

in Ecclesiasticis causis ad Romanum Pontificem bonâ fide, & absque fraude & malo ingenio, ut per Romanum Pontificem causæ tractentur, & consequantur effectum suum: sic tamen, ut si vobis suspecti fuerint aliqui, securitatem faciant, quòd malum vestrum, vel Regni vestri, non quærent. Consuetudines, quæ inductæ sunt contra Ecclesias terræ vestræ, in tempore vestro penitus dimittetis: possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ ablatæ sunt, in plenum restituetis, sicut habuit uno anno antequam Archiepiscopus de Anglia egrederetur. Clericis præterea & laïcis utriusque sexus pacem, vestram gratiam, & possessiones suas restituetis, quia occasione prænominati Archiepiscopi destituti fuerunt. Hæc autem vobis, autoritate domini Papæ, in remissionem peccatorum vestrorum injungimus, & præcipimus, absque fraude & malo ingenio. Hoc sanè coram multitudine personarum juravistis vos pro Divinæ reverentia Majestatis. Juravit & filius vester, excepto eo quòd personam vestram specialiter contingebat. Et jurastis ambo, quod à Papa domino Alexandro, & Catholicis successoribus ejus, quamdiu vos, sicut antecessores vestros, & Catholicos Reges habuerint, minimè recedetis. Atque ut in memoria Romanæ Ecclesiæ firmiter habeatur, sigillum vestrum præcepistis apponi.

In crastino autem prædicti Cardinales ibidem celebraverunt magnum Concilium cum Archiepiscopo, & Episcopis, & Clero Northmanniæ: & ibi hæc decreta subscripta statuerunt, & universis firmiter & inviolabiliter observanda injunxerunt. Hæc Rogerus.

DECRETA PER THEODINUM ET ALBERTUM
Cardinales apud Abrincas promulgata.

I.

PUERI ad regimen illarum Ecclesiarum, & ad illa administranda, in quibus cura est animarum, minimè admittantur.

II.

Item filij Sacerdotum non ponantur in Ecclesijs patrum suorum.

III.

Item laïci partem oblationum in Ecclesia non percipiant.

IV.

Item Ecclesiæ vicarijs annuis non committantur.

V.

Item Sacerdotes majorum Ecclesiarum, quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se Presbyterum cogantur habere.

VI.

Item Sacerdotes non ordinentur sine certo titulo.

VII.

Item Ecclesiæ ad firmam annuam non tradantur.

VIII.

Item de tertia parte decimarum nihil Presbytero, qui servit Ecclesiæ, auferatur.

IX.

Item his, qui decimas hereditario jure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo Clerico dare, eo quidem tenore, ut post eam ad Ecclesiam, cui de jure competunt, revertantur.

X.

Vir ad Religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel converso, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

XI.

Item in Adventu Domini, omnibus qui poterunt, maximè autem Clericis & militibus, jejunium & abstinentia carnium indicatur.

XII.

Item Clerici, judices non ponantur ad jurisdictiones sæcularium potestatum administrandas. Qui autem hoc præsumpserint, à beneficijs Ecclesiasticis arceantur.

XIII.

Item de novis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt Sacerdotes, & benedictionibus sponsarum, & baptismo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum est, quia Episcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

FINIS.

DECIMO tertio Kalendas Aprilis dedicata est Ecclesia S. Mariæ Beccensis præsentibus duobus Henricis Patre & Filio, à Rotrodo Rotomagensi Archiepiscopo, Henrico Bajocensi, Richardo Abrincensi, Ægidio Ebroïcensi Episcopis, statutumque est tunc ab Archiepiscopo Rotomagensi & ceteris Episcopis qui Ecclesiam dedicaverant, ac etiam ab Abbate Rogerio ut Anniversarium ipsius Dedicationis nunquam infra Quadragesimam fieret, sed semper feriâ 3. post octavam Paschæ. Hæc Robertus Montensis & Chronicon Beccense.

ALEXANDER Papa misit Octavianum Subdiaconum Romanæ Ecclesiæ ad Rotomagensem Provinciam ut convocaret Archiepiscopum & Suffraganeos ejus, Abbates illius Provinciæ------ut convenirent ad Concilium generale quod erat futurum proximâ Quadragesimâ, in Civitate Romæ. Hæc idem Robertus in appendice ad Sigebertum. pag. 800.

EPISTOLA ALEXANDRI III. PAPÆ Ad ROTRODUM Rotomagensem Archiepiscopum.

Ex MS. codice Bibliotheca Algiana.

ALEXANDER *Episcopus*, *servus servorum Dei*, *Venerabili Fratri* ROTRODO *Rotomagensi Archiepiscopo*, *salutem*.

QUONIAM quæsitum est à nobis, ex parte tua, utrum liceat tibi, eos qui ab Episcopis Suffraganeis tuis sunt excommunicatione nodati, & audientiam tuam appellant absolvere, antequam tuo stent judicio, inquisitioni tuæ præsentibus literis duximus respondendum, quòd si post appellationem in eos est excommunicationis sententia promulgata, absolutione non indigent, cum sententia post appellationem lata neminem possit ligare. Si verò ante appellationem excommunicati sunt, ante ingressum causæ, recepto ab ijs juramento, secundum Ecclesiæ consuetudinem debes eos absolvere, nisi Episcopo à quo excommunicati sunt, in hac parte deferre volueris, & eos ad ipsum absolvendos mittere. Cum autem à te, vel ab ipso fuerint absoluti, causam audire debes, & fine debito terminare, quia nec excommunicati ante absolutionem suam in causa sunt audiendi, nec causa ad eos, quibus appellatum est, debet remitti. Datum apud Tusculum 5. Idus Octobris.

EPISTOLA ALEXANDRI III. PAPÆ Ad ROTRODUM Rotomagensem Archiepiscopum.

Ex MS. codice Bibliotheca Algiana.

ALEXANDER *Episcopus servus servorum Dei*, *Venerabili Fratri* ROTRODO *Rotomagensi Archiepiscopo*, *salutem & Apostolicam benedictionem*.

ETSI periculosa sint tempora, & partes tuas varij bellorum eventus affligant, propter hoc tamen non te decet immoderatè dolere, aut animum tuum in amaritudinem dejicere, ut videaris vir fortitudinis, & virtutis oblivisci. Sed quanto major tibi, & terræ adversitas imminet, & turbatio, tanto fortiùs debes circa tribulationes ipsas insurgere, & majoris robur fortitudinis, & virtutis induere, quia prudentis viri constantia in adversitate probatur. Quamvis autem de scandalo Regum, & terræ doleas, sicut merito potes dolere, non tamen tibi expedit te tanto dolore affici, vel mœrore confundi, quod pusillanimitati tuæ possit ad scribi. Quia potens est Dominus facere post tempestatem, tranquillum; & dare post tri-


bulationem quietem. Super eo verò te multipliciter commendamus, quòd tantam circa nos, & Romanam Ecclesiam, devotionem exhibes, ut non possis esse negligens, vel remissus in his quæ spectant ad commodum & profectum ejusdem Ecclesiæ, sed omnimodis honori & exaltationi ipsius Ecclesiæ, sicut vir nobilis, prudens, & sapiens, ferventer intendis. Inde est ut quanto plus tuam personam diligimus, tanto in his quæ spectant ad tuum officium, magis te sollicitum reddimus, Fraternitatem tuam monentes, & districtè præcipientes, quatenus omisso illo dolore nimio, & amatitudine cordis, quâ te pro turbatione terræ, audimus affligi, officium commissæ tibi sollicitudinis, prudenter gerere satagas; & si quando se opportunitas exhibet, reformationem pacis inter Reges diligenter intendas, & excessus Episcoporum, Decanorum, Archidiaconorum, Abbatum, & aliorum tam Clericorum, quàm laïcorum, qui tuæ gubernationi sunt commissi, studiosiùs solito, Pontificali severitate corrigas, & emendes. Ne ita pietatem matris sequaris, quòd videaris postponere severitatem Magistri. Commendamus siquidem mansuetudinem, & patientiam tuam, sicut se nobis merito commendabilem reddit. Sed non te debes ita mansuetum & benignum tuis subditis exhibere, quòd tua patientia & benignitate possint abuti, aut de nimia mansuetudine tua sumant audaciam illicita committendi, quia tunc licentiùs illicita committuntur, cum de sua impunitate, se deliquentes conspiciunt esse securi. Canonicos autem tuæ majoris Ecclesiæ, & eos præcipuè qui in ea alicujus dignitatis officium gerunt, sed qui notabiles inveniuntur, cum ea quâ convenit diligentia, à suis excessibus, collatâ tibi autoritate compescas, & eos ad virtutem, & honestatem propensiùs incites, & informes. Ut sicut in tua Provincia, dignitate præminent, ita morum polleant honestate, & alijs bene vivendi formam præbeant, & exemplum; illos verò qui ad audientiam tuæ Metropolitanæ sedis appellant cum se in protectionem tuam, & remedium appellationis recipiunt, non repellas, sed potiùs omnes ad te venientes, patienter & æquanimiter audias, & injustè gravatis, pro tui officij debito, patrocinium exhibeas, & favorem, & eos in justitia tua, Pastorali sollicitudine foveas, & sic te omnibus patrem exhibeas, ut non tantum esse Pater videaris, sed Archiepiscopus, & magister. De cetero Fraternitati tuæ præcipimus, quatenus si aliquis laïcus de Provincia tua, voluntate propria, vel de mandato sæcularis potestatis in Clericum nondum ab Ecclesia damnatum, violentas manus injecerit, aut ipsum in vincula dejecerit, vel in carcere eum detinuerit, eum gratia & amore postpositis, contradictione quoque, & appellatione remota, publice accensis candelis excommunicatum denunties, vel denuntiare facias, & sicut excommunicatum vitari. Si verò Clericus aliquis pro suis culpis, à ministralibus Prælatorum Ecclesiæ captus fuerit, * non patiaris eum custodiæ publicæ mancipari, aut in carcerem laïcorum retrudi, sed potiùs in domo tua, vel alterius Ecclesiasticæ personæ, ejus custodiæ locum facias congruum provideri, ubi secundum qualitatem, & quantitatem delicti debeat custodiri. Ea verò quæ ad jus Ecclesiæ tuæ spectare noscuntur, omni favore, & timore postposito, strenuè satagas, & legitimè

NOTA.

revocare, ita quòd exinde sollicitudo & providentia tua debeat non immerito commendari, & Ecclesia tibi commissa; de taciturnitate tua, nullum valeat præjudicium sustinere. Illud autem arctiùs tibi duximus injungendum, ut occasione præscriptæ contentionis quæ inter Reges versatur, aut alia de causa, curam non præsumas Pastoralem deserere, quia juxta Verbum Domini, non Pastor sed mercenarius existere comprobatur, qui adveniente lupo, commissi sibi gregis custodiam deserit, ipsumque morsibus lupinis exponit. Si quis autem Episcopus tuæ Jurisdictionis, ad aliam Ecclesiam, propriâ autoritate transierit, aut bona Ecclesiæ, vel alicujus Monasterij, laïcali autoritate præsumpserit usibus proprijs applicare, eum autoritate nostra, cum tua, à suo proposito districtione Ecclesiasticâ revoces, & ad restitutionem alienatorum cogere non postponas, aut priorem Ecclesiam ab ejus obedientia absolvas. Super his autem sicut vir & prudens & sapiens, sollicitus & studiosus existas, & ita prudenter tuum in omnibus geras officium, quòd clero, & populo tibi credito, præesse valeas & prodesse, & Ecclesia cui præes, de cura, & regimine tuo, in spiritualibus & temporalibus, cooperante Domino, grata suscipiat incrementa. Præterea de tuæ sinceræ dilectionis fervore procedit, quòd nos tibi licentiam & autoritatem concedimus, illos à suæ temeritatis audacia compescendi, qui dignitati Romanæ Ecclesiæ contraïre præsumunt; Indeque quòd nos in omnibus, quæ cum Deo possumus, volentes tibi carissimo Fratri nostro deferre, autoritate Apostolicâ indulgemus, ut si quando aliquis Suffraganeorum tuorum, contra appellationem ad nostram vel tuam audientiam factam venire præsumpserit, liceat tibi excessum suum, nostra & tua autoritate Pastorali sollicitudine coercere. Ad huc quia quæsitum est à nobis ex parte tua, utrum liceat tibi Pallium tuum, alij Metropolitano commodare, si contingat ipsum sine Pallio suo, ad Ecclesiam tibi commissam, in aliqua præcipua solemnitate venire, & in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrare, licet exinde non recolam nos expressum Canonem vidisse super hoc inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd non videtur esse conveniens, ut Pallium tuum alij commodes, cum Pallium tuum personam non transeat, sed quisquam cum eo debeat, sicut tua novit discretio, sepeliri. Suffraganeis autem alicujus Metropolitani post electionem confirmationis suæ, ad mandatum ipsius Metropolitani, etiamsi Pallium non receperit, licitum est aliquem consecrare, qui ad ejus Jurisdictionem pertineat; & Metropolitano ægritudine laborante, vel alias præpedito post susceptionem Pallij, & etiam ante, si ejus est electio confirmata, Suffraganei sui ad mandatum ipsius possunt electo munus consecrationis conferre. Datum Anagniæ 5. Idus Maij.

* ADvertant ij quibus incumbit ex Pontificis hujus mente ne turpi custodum lucro, aut quovis alio prætextu, Clerici cum laïcis in eodem carcere misceantur, multo minus cum sceleratis ac flagitiosissimis furciferis ingenti Ecclesiæ probro & Clericalis dispendio pietatis.

EPISTOLA




EPISTOLA ALEXANDRI III. PAPÆ AD SENONENSEM ET ROTOMAGENSEM ARCHIEPISCOPOS.

Ut efficiant ſub pœna cenſurarum compleri pacem quam Rex Angliæ verbis promiſit.

ALEXANDER *ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus Fratribus Senonenſi & Rotomagenſi Archiepiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

FRATERNITATI veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infra viginti dies poſt harum ſuſceptionem eumdem Regem ex parte noſtra diligenter conveniatis, commonere propenſiùs & exhortari curetis, ut pacem, quam cum eodem Archiepiſcopo verbo tenus fecit, executione operis compleat. Nihil minus etiam eidem ſuggeratis, ut poſtmodum ablata omnia reſtituat, damna data reſarciat, pravas & execrabiles conſuetudines omnino præcidat. Si autem intra triginta dies poſt commonitionem veſtram, pacem quam ſtatuit & promiſit, conſummare noluerit: in tota terra ejus ciſmarina, omnia Divina, præter baptiſmata parvulorum & pœnitentias morientium, remoto appellationis obſtaculo, prohibeatis officia celebrari, & ſententiam ipſam uſque ad condignam ſatisfactionem faciatis inviolabiliter obſervari. Quòd ſi alter veſtrum aliquâ neceſſitate obſtante hujus rei executioni non potuerit intereſſe, (quod tamen nollemus, nec expediret) alter non minùs id quod dictum eſt exequatur. Datum Anagniæ ſeptimo Idus Octobris.



ALEXANDER ROTOMAGENSI ARCHIEPISCOPO

Ex appendice ad Concilium Lateranenſe III.

QUIA quæſitum eſt à nobis ex parte tua ſi liceat tibi eos qui excommunicationis vinculo ab Epiſcopis, aut Suffraganeis tuis fuerint innodati, & ad audientiam tuam appellant, abſolvere antequam tuo ſteterint judicio: inquiſitioni tuæ præſentibus literis reſpondemus, quòd ſi poſt appellationem inter eos ſententia excommunicationis eſt promulgata, abſolutione non indigent, cùm ſententia poſt appellationem lata neminem ligare poſſit. Si autem ante appellationem fuerint excommunicati, ante ingreſſum cauſæ recepto ab eis juramento, ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem debes eos abſolvere, niſi Epiſcopo à quo fuerunt excommunicati in hac parte volueris deferre, & eos ad ipſum abſolvendos remittere. Cum autem ab Epiſcopo vel à te fuerint abſoluti, cauſam audire debes, & eam fine debito terminare: quia nec excommunicati ante abſolutionem ſunt audiendi, nec cauſa ad eos à quibus eſt appellatum, debet aliquatenus remitti.

X




EPISTOLA ROTRODI ARCHIEPISCOPI Ad Clerum Rotomagensis Ecclesiæ.

Ex Archivo Capituli Rotomagensis.

ROTRODUS *Dei gratiâ Rotomagensis Episcopus Dilectis filijs Archidiaconis suis, Decanis, Presbyteris in Parochia sua consistentibus, gratiam & benedictionem.*

QUONIAM dilecti filij nostri Canonici Ecclesiæ Rotomagensis impedientibus negotijs, non possunt omni tempore nostram habere præsentiam, quibus semper pro illatis injurijs justitiæ tenemur exhibere rigorem: vobis per præsentia scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus ab illis vel per ipsos, vel per nuntium suum, vel per literas Capituli requisiti super eos qui eis, vel hominibus eorum, vel rebus injuriam, violentiam, vel damnum intulerint, Ecclesiasticæ justitiæ vindictam confidenter exerceatis terras eorum interdicto subjiciendo, & demum malefactores & eorum complices excommunicando, & eamdem vindictam inviolabiliter & indesinenter observetis, donec idoneam Canonicis nostris de injurijs vel damnis exhibeant satisfactionem. *Valete.*

Hactenus Diploma Archivi Capitularis, in quo Sigillum visitur cum hac circum inscriptione: ROTRODUS *Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus.*



TRANSLATIO CORPORIS S. ROMANI IN AUGUSTIOREM THECAM.

Ex Archivo Cathedralis Ecclesiæ.

VEnerandum sancti Romani corpus, è cujus feretro Rotomagensis Ecclesia ingruente validissimâ fame aurum detraxerat, & in pauperum sustentationem misericorditer erogaverat, gloriosiùs revestivit, illudque de veteri capsa educens in feretro novo tam auro quàm pretiosis lapidibus cooperto cum reverentia & devotione reposuit, assistentibus sibi Arnulpho Lexoviensi & Rogerio Sagiensi, qui ad hoc specialiter convocati fuerant, præsente quoque Augustino Waldrefordiensi Episcopo; Canonicorum Capitulo cum multis Abbatibus, quorum nomina in Translationis schedio recensentur.

Corpus S. Romani in capsam ditissimam recondit Rotrodus coram multis Prælatis anno 1179.

IDEO aurum & argentum Ecclesia thesaurisat, ut illud in redemptionem captivorum & alimoniam pauperum, & alia misericordiæ opera, secundum quod multiplex urgentia necessitatum sæpe flagitat, impendatur: ingruente siquidem validissimâ fame Rotom. Ecclesia de feretro aureo ubi Corpus beatissimi Romani Confessoris atque Pontificis fuerat cum veneratione reconditum, aurum quod ibi erat assumpsit, Christique patrimonium

Christo reddens, illud in sustentationem pauperum misericorditer erogavit. Rotrodus autem Rotom. Archiepiscopus beatissimum Confessorem pro pauperum indigentijs spoliatum, gloriosiùs revestivit, illumque de veteri capsa educens, in qua devotissimè quondam fuerat repositus, atque sigillis Gaufridi Archiepiscopi, Rotomagensis Capituli, Joannis Cremensis tituli S. Chrisogoni Presbyteri Cardinalis studiosiùs sigillatus, in feretro novo tam auro quàm pretiosis lapidibus cooperto, assistentibus sibi Arnulfo Lexoviensi, & Frogerio Sagiensi Episcopis, qui ad hoc specialiter convocati fuerant, cum reverentia & devotione reposuit, atque tam suo quàm Capituli Rotom. nec non & prædictorum Episcoporum sigillis, sub multorum qui aderant præsentia consignavit. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1179. Indictione 12.

EPISTOLA ROTRODI ROTOM. ARCHIEPISCOPI Ad GUILLELMUM Senonensem Archiepiscopum.

GUILLELMO *Senonensi Archiepiscopo, & Apostolicæ Sedis Legato,* ROTRODUS *Rotomag. salutem & spiritum compassionis afflictis impendere.*

SI ad memoriam reducantur Ecclesiæ nascentis exordia, sicut inter credentes erat unitas in fide, in spiritu, in baptismo: sic in unum facultatibus contributis, unum erat omnibus votum, relevare pauperum indigentias, & omnium necessitates tamquam proprias reputare. Una siquidem & indivisa est Domini tunica: nec unquam passa est divortium sponsa Christi, nec contumelias pellicis alienæ sustinuit, cujus unitatem sponsus in Canticis attestatur, dicens: *Una est columba mea, dilecta mea.* Noluit eam numerosâ pluralitate censeri. Licet enim plures sint Ecclesiæ, sic tamen in unius compagem corporis uniuntur, ut sicut unius membri læsione membra corporis omnia quodam compassionis participio molestantur, sic unius Ecclesiæ desolatio in communem gemitum convertatur. Cùm itaque in vinculo caritatis singularitas locum non habeat, sed in dispendium commune redundet quicquid toleratur à singulis, quia ex præsenti Regum discordia exitialem Ecclesiæ Rotomagensi videmus imminere ruinam, ad vestram gratiam devolamus, de cujus dilectione & prudentia pleniorem in Christo fiduciam reportamus. Vos enim estis, in cujus consilio & auxilio potissimam suæ salutis anchoram navicula beati Petri constituit: cum inter schismaticæ persecutionis fluctus periculosiùs æstuaret. Vobis contulit Deus in pueritia super senes intelligere, & futuram naturæ canitiem maturiore morum senio prævenire. Fluxus adolescentiæ motus in vobis ratio magistra cohibuit, ut omni lasciviæ libertate præscisa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec potestas, nec cetera quibus pudicitia expugnatur, propositum interverterent castitatis, sed modesta in omnibus conversatio plus Angeli quàm hominis exhiberet. Ceteras virtutes, quibus miraculosè fulgetis,


Cant. 6. v. 8

ſub ſilentio præterimus. Nec enim noſtra præconia mendicatis, cujus honeſtatem & prudentiam, fama celebris latiſſimè promulgavit. Ad noſtras & Eccleſiæ noſtræ preſſuras revertimur, quibus nos hoſtilitas circumvallat. Scitis enim, qualiter in Normanorum perniciem Francia tota conjuraverit: nec imminentis ruinæ diſpendium Rotomagenſis Eccleſia declinabit, niſi veſtræ Altitudinis ope & conſilio fulciatur. Si ergo ad præfatam Eccleſiæ unitatem reſpiciatis, veſtrum eſt avertere quod timemus, neceſſitates noſtras omni prævenire cautelâ: quatenus caritas non ficta, & amica compaſſio ſe talem alienis negotijs impendat, qualem ſe proprijs exhiberet. Recordetur Dominus Rex Francorum, Rotomagenſem Eccleſiam ſuam eſſe, quæ pro illo aſſiduè, tamquam pro Rege ſuo unico, ſpecialiter interpellat, ſuáſque facultates omninò de ejus Juriſdictione cognoſcit. Regiæ Majeſtati non congruit depopulari quod ſuum eſt, aut illas expugnare Eccleſias, quarum tutor eſt & patronus, ſi nos alius infeſtaret, ab ipſo, non aliundè remedium quæreremus. Andeliacum ergo, & alias poſſeſſiones noſtras, ipſius & veſtræ protectioni committimus & tutelæ. Sane cùm de diſcretione & conſilio veſtro, diſpoſitio Regni Francorum tota dependeat, cùm in manu veſtra corda ſint Regum, & ad veſtræ ordinationis arbitrium populi inclinentur: vobis incumbit, quæ ad pacem ſunt quærere, vel ſi hæc diſſenſio ad pacem reformari non poteſt, ſaltem res Eccleſiaſticas, quas veſtræ tuitioni commiſimus, ab incurſibus bellicis liberare. Cúmque Andeliacum nobis & commenſalibus noſtris unicum ſit vivendi ſubſidium, villæ noſtræ parcite, ſi vultis parcere vitæ noſtræ.

EPISTOLA HENRICI II. ANGLORUM REGIS Ad Rotrodum Rotomagenſem Archiepiſcopum.

De veſtro aliorumque fidelium Baronum meorum conſilio, pacis reformandæ inter me & Archiepiſcopum Cantuarienſem ſuſceptam formam, Domino Papæ, Nuntijs & literis mei inſinuavi: Ipſe ſicut per ſuas mihi literas ſignificavit, eam cum tenore, quo à veſtro prodijt conſilio, eique ex parte veſtra fuerat ſignificata, ſuſcepit cum gratiarum actione, palmam mandans, monens, & ſupplicans, & ſuadens attentiùs, ut illam exequar mediatione veſtra & Nivernenſis Epiſcopi. Illam itaque vobis mediantibus plenè & libenter complebo, nullatenus declinaturus formam veſtro conſilio propoſitam, teſte Richardo de Laci apud Weſtmonaſterium.

Extant quædam Rotrodi ad Henricum III. Angliæ Regis Filium Epiſtolæ, quas videre poteris apud Baronium tom. 12. & Quercetanum. tom. 4.



EPISTOLA ROTRODI ROTOM. ARCHIEPISCOPI Ad ELEONORAM Anglorum Reginam.

Reginæ Anglorum, Rotomagensis Archiepiscopus & Suffraganei sui, salutem, & quæ ad pacem sunt, quærere.

IN publicam notitiam venit, nec alicui Christiano licitum est ignorare, quòd firma & indissolubilis sit copula conjugalis. Matrimonia semel inita separari non posse, sanxit Veritas, quæ mentiri non potest. *Quos Deus*, inquit, *conjunxit, homo non separet.* Sicut autem divini mandati se transgressorem constituit, qui separat conjugatos; ita culpabilis conjugata est, quæ se à viro suo separat, fidemque socialis vinculi non observat. Cùm una caro conjuges efficiantur: necesse est, ut unionem corporum comitetur spirituum unitas, & paritas in consensu naturæ conditionem. Apostoli mandatum & Evangelij legem mulier illa evacuat, quæ viro non est subdita. Caput enim mulieris vir est, de viro sumpta est, viro est unita, viri subdita potestati. Omnes itaque communi & lamentabili querimoniâ deploramus, quòd cum sis mulier prudentissima, divertis à viro, recedit latus à latere, membrum capiti non deservit; immò, quod enormius est, viscera Domini Regis & tua pateris insurgere contra patrem, ut meritò cum Propheta dicat: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Utinam, sicut alius Propheta commemorat, prævenisset hora novissima dies nostros, & operuisset terra faciem nostram, ne videremus hæc mala. Scimus quia nisi revertaris ad virum tuum, eris generalis ruinæ occasio, & quod singulariter nunc delinquis, in commune dispendium convertetur. Revertere itaque Regina illustris ad virum tuum & Dominum nostrum, ut in tua reconciliatione reformetur laborantibus quies, & in tuo reditu lætitia redeat universis.

Matth. cap. 19.

Isa. 1.

Si te ad hoc non permovent preces nostræ: te saltem afflictio populorum, imminens pressura Ecclesiæ, & desolatio regni sollicitet, aut enim mentitur Veritas, aut *omne regnum in se divisum desolabitur.* Sanè hæc desolatio in Dominum Regem converti non potest, sed in filios ejus & successores ipsorum. Contra manum femineam, & consilium puerile provocatis offensam Domini Regis, cui etiam fortissimi Reges colla subjiciunt. Ea propter, antequam res in deteriorem exitum vergat, redeas cum filijs ad maritum, cui parere & cohabitare teneris. Te converte, nec tibi aut tuis filijs sit suspectus. Certissimi enim sumus, quòd omnimodam exhibebit vobis dilectionem, & securitatis plenissimam firmitatem. Mone quæso filios tuos, ut patri suo subditi & devoti existant, pro quibus tot passus est angustias, tot discrimina, tot labores. Unde, ne inconsulta facilitas dilapidet ac disperdat, quod tantis est sudoribus acquisitum: hæc tibi, pijssima Regina, & zelo Dei dicimus, & sinceræ caritatis affectu. Parochiana enim nostra es, sicut & vir tuus (*quòd Duces essent Northmanniæ, & Comites Aquitaniæ.*) Non possumus deesse justitiæ. Vel redibis ad virum tuum, vel jure canonico con-

ſtringemur, & tenebimur in te cenſuram Eccleſiaſticam exercere. Quod quidem inviti dicimus; & quod niſi reſipueris, cum dolore & lacrymis faciemus. *Vale.*

EPISTOLA ROTRODI ROTOM. ARCHIEPISCOPI Ad Epiſcopos Suffraganeos & Abbates.

ARGUMENTUM.

Archiepiſcopus Rotomagenſis auxilium Epiſcoporum & Abbatum implorat, ut Pontificis Romani inopiæ ſubveniant.

Rotomagenſis Archiepiſcopus Suffraganeis & Abbatibus ſalutem.

NOVISTIS & in fines terræ credimus exiviſſe, quantis turbationibus & preſſuris Romana Eccleſia diutiſſimè ſit vexata. Credimus in communem notitiam deveniſſe, qualiter Dominu s Papa pro tuitione Eccleſiaſticæ libertatis ſe ad omne diſcrimen objecerit, Eccleſiæque Dei perſecutionibus commoriens inceſſanter ſit afflictione propriæ perſonæ & debitorum onere prægravatus: clamat itaque ad vos veſtra mater Eccleſia ſumptibus importunis exhauſta, plenamque reportans de veſtra largitione fiduciam, poſtulat ut in veſtra conſolatione reſpiret, pro quibus deſolatam ſe ſentit & mœrore confectam. Sanè ſchiſmaticæ poteſtatis procella jam pro parte detumuit; jam portum ſecuriorem naviculæ Petri promittit aura clementior, ſi pacis opportunitati, quam Deus abſtulit obſequia veſtræ liberalitatis aſpirent. Efferatam ſiquidem Romanorum malitiam & inexplebilem pecuniæ ſitim, Domini Papæ munificentiâ & conſilio toties expugnatam ſuccubuiſſe certa relatione comperimus. Nec ad omnimodam pacis & ſecuritatis plenitudinem quicquam deeſt, niſi ut Dominus Papa ſumptibus exinanitus immenſis, ſibi & ſuis victualium ſufficientiam de veſtra largitione reſtauret. *Bene valete.*

EXtat in Archivo Capituli Diploma Lucij III. datum Verulis 8. Kal. Maij ad Decanum & Capitulum Rotomagenſe de Conſecratione Guillelmi ex Decano Bajocenſi in Epiſcopum Conſtantienſem, cujus electio cùm à Rotrodo confirmata fuiſſet, Conſecrationique terminus aſſignatus; mortuo interim Rotrodo Conſecratio ipſa hactenus dilata fuerat, gravi Conſtantienſis Eccleſiæ diſpendio, quæ à ſexennio & ampliùs vacabat. Quod cùm Conſtantienſe Capitulum Lucio III. ſignificaſſet, hoc Diplomate Capitulo Rotomagenſi præcepit, ut ſi res ita ſe haberet, Suffraganeis Epiſcopis ad Eccleſiam Rotomagenſem convocatis, præfato electo ſine difficultate aliqua, dilatione & appellatione remota, munus facerent Conſecrationis impendi.

BONA ABBATIÆ SANCTI STEPHANI DE CADOMO Rotrodus Rotomagenſis Archiepiſcopus confirmat anno 1170.

ROTRODUS, *Dei gratiâ Rotomagenſis Archiepiſcopus, præſentibus & futuris ſalutem.*

PLURIMÙM confert Eccleſijs & Monaſterijs, perſonis quoque tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, ea quæ illis à Catholicis viris conferuntur, ad memoriæ conſervationem literis annotari: ne delente ea, quæ facta ſunt, oblivione, quod ſtabile fuit & ratum in quæſtionem revocetur: indè ſiquidem eſt, quòd pijs petitionibus filiorum noſtrorum, Guillelmi Abbatis, & Conventus S. Stephani de Cadomo, benignum præbentes aſſenſum, in ſcriptum redigimus, & munimine ſigilli noſtri corroboramus, ea quæ novimus in Epiſcopatu Bajocenſi pertinere ad poſſeſſionem, & jus, & eleemoſinam B. Stephani de Cadomo, tam in Eccleſijs, quàm in decimis, pratis, aquis, ſylvis, paſcuis, molendinis, domibus, terris & eorum habitatoribus. Quæ etiam ab illuſtriſſimo Guillelmo, Rege Anglorum, Principe Normanorum, & Cœnomanorum, eidem Cœnobio confirmata ſunt; & ab alijs nobilibus viris, & præcipuè à venerabilibus Odone & Henrico, Epiſcopis Bajocenſibus. Hæc igitur ſunt, quæ à præfato Cœnobio poſſeſſa cognoſcimus, & in perpetuum poſſidenda, liberè, & quietè, & abſolutè à Synodico debito, & circata, ceteriſque conſuetudinibus, ad jus Epiſcopale pertinentibus, eidem Cœnobio concedimus, & confirmamus: videlicet, Eccleſia S. Nicolai in Burgo Cœnobij, & Eccleſia Villarij, &c. Præterea etiam eidem Cœnobio confirmamus jura Epiſcopalia in Eccleſia de Cenſio, ſcilicet Synodum, & circatam, ceteraſque conſuetudines, quas in præfatis Eccleſijs idem Cœnobium habet, &c.

CONFIRMATIO PRO CANONICIS AUGI, Facta à Rotrodo Archiepiſcopo Rotomagenſi anno 1177.

ROTRODUS *Dei gratiâ Rotomagenſis Archiepiſcopus, Dilectis filijs, Oſberto Abbati S. Mariæ de Augo, ejuſque Fratribus tam præſentibus quàm futuris, Regularem vitam profeſſis, in perpetuum.*

SICUT injuſta petentibus, nullus eſt tribuendus aſſenſus; ita juſta deſiderantium, non eſt differenda petitio. Ea propter dilecti in Domino filij, petitionibus veſtris clementer annuimus: & quaſcumque poſſeſſiones, ſive quæcumque bona veſter locus juſtè & canonicè poſſidet, ſub B. Mariæ, & noſtra protectione, ſuſcipimus, & præſentis privilegij paginâ communivimus. In quibus, hæc duximus proprijs exprimenda vocabulis. Apud Augum, Eccleſiam B. Mariæ Virginis, cum Eccleſijs,

Decimis, & rebus omnibus ad illam pertinentibus : ſcilicet : Eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ ; Eccleſiam S. Petri ; Eccleſiam S. Jacobi : &c. Ne quis autem huic noſtræ Confirmationi temerè contraïre, vel rebus veſtris damnum inferre præſumat, ſub Anathemate prohibemus : & huic paginæ adquieſcentes, ampliori gratiâ & benedictione donandos cenſemus. Datum anno ab Incarnatione Domini 1177. Teſtibus ijs, Roberto Rotomagenſi Decano, Amico Archidiacono ; Magiſtro Herberto, Renoldo Decano de Novo-caſtello. Sigillatæ cerâ viridi, in laqueis rubeis.

DIPLOMA PRO ABBATIA DE VALLO-MONTE.

ROTRODUS *Dei gratiâ Rotomagenſis Archiepiſcopus, omnibus ad quos præſens pervenerit ſcriptum, ſalutem.*

BONÆ frugis officium eſt, viris bonis & Religioſis quietem in poſterum providere : & res eiſdem in eleemoſynam collatas confirmare ; ut omnis occaſio litigandi in perpetuum ſopita conquieſcat. Ea propter beneficia, quæ Nicolaus de Stoutevilla, dilectus filius noſter, Eccleſiæ B. Mariæ de Gallomonte contulit, & viris Religioſis ibidem obſequio divino mancipatis, ſcripto curavimus commendare. Itaque confirmamus eis in primis, locum & ſeſſionem ipſius Cœnobij, ſicut in charta prædicti Nicolai continetur : & nemus quod, &c. Ut autem hæc noſtra confirmatio ratam & inconvulſam teneat firmitatem, præſens ; ſcriptum noſtri ſcripti patrocinio communivimus. Teſtes ſunt Robertus Capellanus, Magiſter Rogerus Normanus, Magiſter Herbertus Gaufredus de Mundivilla ; & Rogerius de *Warvic*, Rotomagenſis Eccleſiæ Canonici.

* 52. GUALTERIUS, ſeu WALTERIUS DE CONSTANTIJS ; cognomento magnificus, rerum ſcilicet geſtarum magnitudine ; genere Britannus, patre Reinfredo & matre Gonilla natus, quam ex regio Gentis ſuæ genere ferunt. Henricorum patris & filij Angliæ Regum Clericus, Capellanus de Blia ibidem & Archidiaconus Oxonienſis, ac poſt Radulfum de Varrevilla, Rotomagenſis Eccleſiæ Theſaurarius & Canonicus, Eccleſiæ Lincolnienſi in Anglia præficitur. Tandem voluntate ac prece Henrici Regis poſt obitum Rotrodi, à Capitulo renitente, & in Robertum de Novo-Burgo propendente eligitur, & à Lucio III. Papa ad Sedem Rotomagenſem transfertur à quo Pallium anno ſequenti recipit, quo ſolemni ritu perſonaliter Cathedralis ſuæ poſſeſſionem adeptus eſt. Ab Henrico ad Philippum Franciæ Regem pacis ſequeſter mittitur. Intereſt colloquio habito Triam inter ac Giſortium, ubi Reges, WALTERUS ac infiniti propemodum, utriuſque regni ſe cruce ſignant, & paulò poſt, multa Cœnomanis de itinere decernunt. Richardum Cor-leonis gladio & alijs inſignibus Ducatus Normaniæ poſt obitum patris, in æde primaria ſolemni ritu inauguratur, anno 1189. Capellam de Blia WALTERIUS annuente Rege & Joanne fratre ejus donat Eccleſiæ ſuæ, cui etiam Richardus Rex reditus in præpoſitura Rotomagenſi, pro quatuor præbendis aſſignat. Eidem Regi in terram ſanctam cum exercitu naviganti Meſſanam uſque comes fuit, inde eum in Angliam direxit cum Regij autoritate reſcripti Guillelmo Elienſi Epiſcopo, quem regni Cancellarium & ſedis Apoſtolicæ Legatum reliquerat univerſis ordinibus exoſo, Collegam in adminiſtratione futurum. Quod iniquiùs

iniquiùs ferens Elienſis, tragœdias in Anglia & Normania dãno ſuo excitavit. Dum WALTERIUS Regi & Regno fidelis ſapienter cuncta moderatus eſt, ac Richardum in reditu à Germanis proditoriè detentum modis omnibus, libertatis deſtituere allaboravit, ac ſemet obſidem dedit. Interea plebs Rotomagenſis, dæmonis inſtinctu, in Cathedralem Eccleſiam & ejus miniſtros crudeliter debacchata, damna intulit horrenda, quæ nonniſi per vim maximam reſarcienda curavit WALTERIUS. Inteſtinis calamitatibus externæ quoque acceſſerunt; occupato ſcilicet ac direpto, Francorum armis, Archiepiſcopali territorio, illatiſque ingentibus damnis ab exercitu eorumdem, Eccleſiæ Rotomagenſi. Interdicto per ſummum Pontificem decreto, ad ſatisfactionem reos cõpulit WALTERIUS. Quin & ut damna quodammodo compenſaret Richardus Angliæ Rex, trecentos vini modios annuatim prædictæ Eccleſiæ perſolvendos in modiatione ſua Rotomagenſi liberaliter donavit. Vix dum ſedatâ hac tempeſtate, alia longè periculoſior ſuborta eſt; ut enim Francorum excurſiones in Normaniam impediret, idem Richardus Rex Andeliacum invaſit, ac nequicquam reclamante Archiepiſcopo & ejus Eccleſiâ, arce, munitionibus, ac propugnaculis illud firmavit. Tandem poſt graves hinc inde rixas, Romani Pontificis ſuaſione, relicto Regi ob publicam neceſſitatem Andeliaco, longè ampliora viciſſim ab eo bona recepit. Societatem inijt cum Epiſcopo Cameracenſi, ſibi ac ſucceſſoribus ſuis dum illìc exul ageret. Richardo in obſidione caſtri apud Lemovices infeliciter cæſo, juſta perſolvit; cor ejus auro incluſum, juxta aram Cathedralis ſuæ magnificentiſſimè depoſuit, ibique Joanni ejus ſucceſſori, Ducatus inſignia idem Præſul contulit, à quo confirmationem permutationis nuper factæ & alia dona conſecutus eſt.

Circa id tempus, Cathedralis Eccleſia ac tota pene civitas repentino incendio deformata, ingentem jacturam paſſa eſt, quæ quarto ab hinc anno cum reliqua Provincia in prioris ſui Domini Francorum Regis ditionem tranſijt, poſt annum ſcilicet 292, quo Rolloni data fuerat, idque Philippi Auguſti armis, qui

Indulſit Monachis, & Clero, ut fiat ab illis,
Canonico deinceps Paſtorum electio, ritu.

Hæc de Auguſto illius Encomiaſtes, quo jure ab Anglis per ſummam violentiam ſpoliati fuerant. Tandem 13. Pontificatus anno pius pariter ac generoſus Antiſtes WALTERIUS amplis Eccleſiæ collatis muneribus vitam pariter & munificentiam clauſit.

Varia reliquit ingenij ſui monimenta.

Super Negotijs juris Lib. 1.
Ad Radulfum de Diceto Lib. 1.
De Peregrinatione Regis Richardi Lib. 1.
Epiſtolarum ad diverſos Lib. 1.

Habuit etiam Concilium Rotomagi anno 1189, poſt Conventum Giſortianum



CONVENTUS AD GISORTIUM,

Epiſcoporum ac Procerum Gallicæ & Anglicæ ditionis.

In quo Galliæ & Angliæ Reges reconciliati crucem ſuſceperunt, Clementis Papæ III. temporibus, anno 1188.



SUPERVENIENTE S. Hilarij * feſtivitate, quæ tertiâ decimâ die Janvarij celebratur, factum eſt colloquium inter Regem Franciæ Philippum, & Henricum Regem Angliæ, inter Triam & Giſortium. Ubi præter omnium hominum opinionem, Domino miraculosè operante factum eſt, quod per inſpirationem Spiritus ſancti cæ-

* *Quo tempore adhuc labebatur in Gallijs annus 1188.*

usque ad Pascha : cum Romano ritu, quem hodie sequimur, inchoatus esset 1188. à Kalend. Ianuar.

huius missi, illi duo Reges in eodem loco, pro liberatione sancti sepulchri Domini, & sanctæ civitatis Hierusalem, signum sanctæ crucis assumpserunt, & multi Archiepiscopi, Episcopi, & Comites, & Duces & Barones cum eis : scilicet Galterus Rotomagensis Archiepiscopus, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, Episcopus Belvacensis, Episcopus Carnotensis : Dux Burgundiæ, Richardus Comes Pictaviæ, Philippus Comes Flandriæ, Thibaldus Comes Blesensis, Rotroudus Comes Perticensis, Guillelmus de Barris Comes de Rupeforti, Henricus Comes Campaniæ, Robertus Comes Drocarum, Comes Clarimontis, Comes Bellimontis, Comes Suessionensis, Comes Barensis, Bernardus de sancto Galerico, Jacobus de Avennis, Comes Nivernensis, G. de Merloto, Droco de Merloto, & plures alij zelo Dei accensi, quorum nomina longum esset hìc ponere. Et in eodem loco in monumentum hujus facti, isti duo Reges devotè erexerunt crucem ligneam, fundantes ibi Ecclesiam, & inter se fœdus perpetuò percutientes, & vocantes ipsum locum, Sanctum agrum, eo quòd ibi sacris crucibus sunt insigniti.

Hæc Rigordus de gestis Philippi Augusti, ad annum 1187.

Conventum eumdem refert Rogerius Hovedenus, annal. parte II. in hæc verba.

ANNO gratiæ 1188. qui erat annus 35. Regis Henrici filij Mathildis Imperatricis, idem Rex fuit in Normania, apud Cadomum, die Natalis Domini ; & inde recedens venit ad Barbefluctum, inde transfretaturus in Angliam. Quo audito, Philippus Rex Franciæ magnum congregavit exercitum, jactans impudenter se vastaturum Normaniam, & ceteras Regis Angliæ transmarinas, nisi ipse reddiderit ei Gisortium cum pertinentijs suis : vel si non fecerit Richardum Comitem Pictaviæ filium suum accipere sibi in conjugem Alesiam sororem suam. Quod cùm Regi Angliæ constaret, reversus est in Normaniam, & accepto colloquio inter ipsum & Regem Franciæ, inter Gisortium & *Trie*, 12. Kalendas Februarij, die S. Agnetis Virginis & Martyris, convenerunt illùc cum Archiepiscopis, & Episcopis, & Comitibus, & Baronibus regnorum suorum. Cui colloquio interfuit Archiepiscopus Tyri, qui repletus spiritu sapientiæ & intellectus, miro modo prædicavit verbum Domini coram Regibus, & Principibus. Et convertit corda eorum ad crucem capiendam : & qui priùs hostes erant, illo prædicante, & Deo cooperante, facti sunt amici in illa die, & de manu ejus crucem receperunt : in eadem hora apparuit super eos signum crucis in cœlo. Quo viso miraculo, plures catervatim ruebant ad susceptionem crucis. Prædicti verò Reges in susceptionem crucis, ad cognoscendam gentem suam, signum evidens sibi & suis providerunt. Rex namque Franciæ & gens sua receperunt cruces rubeas, & Rex Angliæ cum gente sua suscepit cruces virides : & sic unusquisque ad providendum sibi & itineri suo necessaria, reversus est in regionem suam.




CONCILIUM DOMINI WALTERIJ ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI.

Ex MS. Codice Bibliothecæ Bigotianæ.

ANNO ab Incarnatione Domini 1189. tertio Idus Februarij residente beatissimo Papa Clemente III. Regnante gloriosissimo Rege Francorum Philippo Regente Normaniam invictissimo Rege Anglorum Richardo. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis celebratum est Provinciale Concilium in Metropolitana sede Rotomagensi præsidente venerabili Patre nostro Waltero Rotomagensi Archiepiscopo, præsentibus omnibus Suffraganeis ejus, Abbatibus quoque quamplurimis, multis etiam viris discretis & prudentibus, in quo statuta sunt hæc capitula subscripta.

I



NTIQUORUM Patrum nostrorum vestigijs adhærentes in primis decernimus, ut omnes Suffraganeæ Ecclesiæ nostræ, in legendo & psallendo, usum hujus sacrosanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ imitentur.

II.

Item placuit ut singulæ Ecclesiæ libris & indumentis Sacerdotalibus ornentur: & ut Eucharistia non nisi in vase aureo vel argenteo consecretur, & ne ab aliquo Episcoporum aliquod vas stanneum consecretur, nisi judicio Episcopi evidens apparuerit necessitas.

III.

Placuit * etiam ne corpus Dominicum sine luminari, cruce, & aqua benedicta sive de die, sive de nocte deferatur. Nec sine Sacerdotis præsentia, nisi summa necessitas Sacerdotem excusaverit.

* alias quoque & seq.

IV.

Placuit etiam ut nullus Clericorum, cujuscumque ordinis, focariam in domo sua habere præsumat.

V.

Sacerdotes & Clerici coronas habeant patulas, & decentem crinium circumferentiam. Istius constitutionis transgressores ab Ecclesiasticis beneficijs suspendantur. Qui verò beneficia non

habuerint, & ita comam nutrierint, privilegio careant Clericali.

VI.

Nihil de novo ſtatuentes, ſed antiquorum Canonum ſtatuta ad memoriam reducentes, diſtrictè prohibemus ne filij Sacerdotum, in Eccleſijs in quibus patres eorum miniſtraſſe noſcuntur, de cetero perſonæ inſtituantur. Nec eas aliquâ occaſione, mediâ non interveniente perſona, obtineant.

VII.

De Clericis qui propter ſuam imperitiam, vel nativitatis conditionem, vel fortè vitæ immunditiam, vel propter inobedientiæ contumaciam examen proprij Epiſcopi declinantes, ab extra, provincialibus vel tranſmarinis Epiſcopis Ordinem conſequuntur: licet ſigilla eorum in teſtimonium Ordinationis ſuæ deferant; ſtatuimus ut ab Epiſcopis ſuis in adminiſtratione Ordinis ſui ita adepti, nullâ ratione recipiantur.

VIII.

Nullus, perſona Eccleſiæ, vel Vicarius perpetuus, extra Provinciam cauſa ſtudiorum vel peregrinationis, ſine proprij Epiſcopi licentia vel Officialium ſuorum, iter arripiat.

IX.

Statuimus etiam ne Monachi vel Clerici, negotiationem aliquam cauſa lucri exerceant, & ne Monachi à Clericis vel laïcis Eccleſias, vel villas ad firmam teneant.

X

Prohibemus etiam ne aliquis Sacerdos, Vice-Comitis, vel ſæcularis præpoſitatus officium aſſumat. Quod ſi facere præſumpſerit; ab officio ſuſpendatur, & omni Eccleſiaſtico beneficio privetur.

XI.

Conſuetudo quæ ſcripto juri approbato opponitur, nullâ ſui generalitate, vel temporis prolixitate defenditur. Cum igitur ſecundum rerum naturam negantis factum nulla ſit probatio: quia actore non probante, reus etſi nihil præſtiterit, abſolvendus eſt, præſertim ſi pars actoris nullâ probabili præſumptione juvetur. Statuimus ut de cetero liceat actori tam in civili, quàm in criminali cauſa ad confirmationem partis ſuæ, & teſtium fide, & inſtrumentorum uti autoritate. Quibus deficientibus, tunc tandem reo purgandi vel probandi onus imponitur; cum pars actoris conſentiente famâ, vel aliàs probabili aliquâ præſumptione roboratur.

XII.

Sicut in Lateranensi Concilio cautum est. Statuimus & firmiter observari præcipimus; ne Archidiaconi per Archidiaconatum suum incedentes subditis onerosi existant; & ut 6 vel 7 equorum numerum non excedant, nec ab aliquo Clerico procurationem accipiant, nisi competentes redditus habuerit. Statuimus * etiam ut à nullo Clericorum penes quos honestè & sine magno gravamine hospitari non valent, non nisi tres solidos *Andegavensis* * *monetæ* in recompensationem hospitij sui recipiant. Si verò apud pauperes Clericos hospitari decreverint, vel forsan, propter loci amœnitatem, vel propter negotiorum quæ tractant commoditatem; Statuimus ut quinque vel quatuor * de vicinioribus Clericis beneficia habentibus, onera ipsius hospitij communiter supportent.

al. add. * *usualis*

al. add. * ad minus

XIII.

Statuimus etiam ut Episcopi vel eorum Officiales in dandis appellationibus ad Apostolos appellantibus difficiles se non exhibeant, sed propter quorumdam simplicitatem, etiam non petentibus, offerant.

XIV.

Sanctorum Patrum vestigia sequentes, statuimus & firmiter observandum decernimus, ut nullius consuetudinis obtentu, quisquam deinceps ab ingressu Ecclesiæ, vel alio quocumque Ecclesiastico sacramento arceatur, donec legitimè vocatus ad causam, liberam habeat respondendi facultatem, ut ita demum cõvictus, aut vivâ voce vel saltem juris interpretatione confessus, pro qualitate excessus æqualem * reportet à suo judice sententiam.

* ut oportet à suo judice sustineat sẽtentiã.

XV.

Satuimus etiam ut testamentum Clericorum inviolabiliter observetur, & ut bona Clericorum qui intestati decedunt, per manus Episcoporum in bonos usus distribuantur.

XVI

De Clericis etiam post Pascha decedentibus, statuimus ut de fructibus subsequentis autumni, in testamento suo, disponendi liberam habeant facultatem.

XVII.

De uxoribus & familijs, & bonis omnibus cruce signatorum, quod à felicis recordationis patribus nostris Urbano & Gregorio, necnon & à beatissimo patre nostro Clemente statutum est, firmiter observari præcipimus.

XVIII.

Cum oppressi, & rei, ad Ecclesiam Dei confugientes, omnimodâ debeant securitate gaudere, absurdum nimis videtur, & omni rationi contrarium ut in eis, vel in earum cimiterijs sæculares causæ, in quibus de sanguinis effusione, vel de pœna agitur corporali, tractentur. Et ideo ne hoc de cetero fiat, sub interminatione Anathematis prohibemus.

XIX.

Prohibemus etiam sub Anathemate ne à Clericis vel Monachis, vel à quibuslibet Ecclesiasticis personis Ecclesiæ, vel decimæ, vel quælibet Ecclesiastica beneficia, laïcis ad firmam tradantur.

XX.

Nemo privatas pensiones & adulterinas, seu portiones de Ecclesia vel Ecclesiasticis beneficijs, deinceps solvere vel accipere præsumat. Quod qui fecerit, omni beneficio Ecclesiastico privatus, Excommunicationi subjaceat.

XXI.

Ecclesiasticæ personæ cujuscumque professionis, quæ personas Ecclesiasticas super aliquo Ecclesiastico negotio ad Judicem sæcularem trahere præsumpserint; à causa prorsus cadant, & Excommunicationi subjaceant, & sine competenti satisfactione ab Episcopis suis non absolvantur.

XXII.

Prohibemus etiam sub Anathemate ne Clericus habitationes*, vel prædia Ecclesiastica alicui oppignorare præter conscientiam Episcopi sui, vel Officialium suorum, aut quolibet modo alienare præsumant.

*al. donationes, & al. *arumnes.

Nota.

XXIII.

Omnes decimæ terræ sive de frugibus, sive de fructibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia inveniuntur multi decimas dare nolentes: statuimus ut juxta præceptum Domini admoneantur semel, secundò & tertiò, ut de grano, vino, fructibus arborum, fœtibus animalium, fœno, lino, lanâ, cannabo, caseis, & de omnibus quæ per annum renovantur, decimas integrè persolvant; & si commoniti non emendaverint, ad Episcopi mandatum excommunicentur.

XXIV.

Nullus occasione concessionis sibi factæ super aliqua* Ecclesia vivente ejusdem persona, eamdem personam viventem liti-

*jura Ecclesiastica

bus vexare præſumat, ut ſic penſionem ab eo extorqueat. Quod qui fecerit Anathemate percellatur.

XXV.

Sunt quidam tam Clerici quàm laïci hujuſmodi ſocietatem ineuntes, ut de cetero in quibuſlibet cauſis vel negotijs mutuum ſibi præſtent auxilium; certam in eos pœnam ſtatuentes, qui contra hujuſmodi veniunt conſtitutionem. Et quoniam hujuſmodi ſocietates, ſeu fraterias circa perſonas utriuſque ordinis canonica deteſtatur ſcriptura, eo quod earum obſervantia quoſdam etiam uſque ad crimen perjurij perducat; ne amodo fiant, aut ſi factæ fuerint, ne obſerventur, ſub interminatione Anathematis prohibemus. NOTA. NOTA.

XXVI.

Ad reprimendam eorum malitiam qui poſtpoſito Dei timore, Dei Eccleſiam per falſos juratores in foro civili vel Eccleſiaſtico minuere necnon & proximos ſuos exhæredare conantur. Statuimus ut ſingulis diebus Dominicis tam in Cathedrali quàm in ſingulis Parrochialibus Eccleſijs omnes illi candelis accenſis excommunicentur, qui ſcienter in foro Eccleſiaſtico vel ſæculari falſum de cætero præſtiterint juramentum in ſacroſanctæ Eccleſiæ læſionem, vel cujuſlibet perſonæ exhæredationem. Nihilominus etiam excommunicentur omnes illi qui, ut hujuſmodi falſa ſacramenta præſtentur, vi, prece, vel pretio, qualibet unquam occaſione procuraverint. Hujus autem conſtitutionis reos, nullus Sacerdotum abſolvere, vel eis pœnitentiam dare præſumat, niſi fuerint in articulo mortis conſtituti: ſed hujuſmodi perjuri & excommunicati *ad proprios Epiſcopos* remittantur abſolvendi & de tanto exceſſu graviter puniendi, & ad eorum majorem confuſionem *ad Sedem Apoſtolicam* tranſmittantur.

XXVII.

Excommunicandi etiam ſunt qui ſe in Eccleſiaſticis beneficijs ſine autoritate Epiſcopi, vel Officialium ſuorum ad quos pertinet, propriâ vel laïcâ poteſtate, intruſerint.

XXVIII.

Falſarij quoque ſigillorum excommunicantur, & qui ſcienter falſis utuntur inſtrumentis

XXIX.

Incendiarij quoque, venefici & ſortiarij, & qui ſcienter nominatim excommunicatis communicant.

XXX.

Excommunicandi etiam ſunt contumaces tam Clerici quàm

Presbyteri & rebelles, qui contra prohibitionem Episcopi vel Officialium suorum, divina celebrare præsumpserint.

XXXI.

Præterea excommunicandi sunt tam Clerici quàm laïci, qui redditus Domini Rotomagensis, à tempore quo Archiepiscopatus dignitatem adeptus fuit fraudulenter ei subtraxerunt, vel modo subtrahunt, vel in absentia sua subtrahent, vel jura & dignitates suas minuerunt vel minuunt; vel in absentia sua minuent, nisi inde antequam iter peregrinationis arripiat, satisfecerint.

* Hoc deest in quibusdam exemplaribus.

XXXII.

* Placuit ut quicumque Sacerdos suspensus scienter celebraverit, cesset per annum à divinis officijs; Si excommunicatus celebraverit, mittatur Romam.



CONVENTUS EPISCOPORUM AC PROCERUM

In Regni Francorum & Angliæ limite, pro pace inter utrumque Regem sancienda, anno ineunte 1199.

PEtri Capuani, Legati Apostolici in Gallias appulsi prima cura fuit, ut pacem, cujus constituendæ causâ venerat, inter Francos Anglosque sanciret. Eam ad rem Concilium celdbretur (ut ait Aquicinctinus Monachus) in utriusque Regni limite, nempe in Franciæ ac Normaniæ finibus; atque ut certiùs designat Rogerius Hovedenus, inter Vernonem & Andeliacum.

IN Marchis utriusque Regni Concilium agitatur: utrique Reges Francorum & Anglorum, conveniunt cum multitudine Episcoporum, Abbatum, Comitum, Priorum, Præpositorum, & utriusque ordinis infinita multitudine hominum. De pace inter Reges & Comitem Flandrorum facienda multum laboratur, sed ad effectum minimè perducitur. Sed tamen induciæ in quinquennium retinendæ verbo tenus obtinentur, quæ vix usque ad Pascha tenentur.



DE INTERCEPTIONIBUS CLERICORUM

Adversus Domini Regis jurisdictionem. Anno 1204.

Ex MS. codice Bibliothecæ Bigotianæ.

PRIMUM Capitulum est quòd Ecclesiastici trahunt causam feodorum in curia Christianitatis, propter hoc quod di-

cunt,

cunt, quòd fiduciæ vel juramentum fuerunt inter eos in quos causa vertitur, & propter hanc occasionem perdunt Domini justitiam feodorum suorum. *Responsio.* In hoc concordati sunt Rex & Barones, quia bene volunt quòd cognoscant de perjurio & de * fractione fidei; & nolunt quòd cognoscant de feudo: Et si convicti fuerint de perjurio & de transgressione fidei, injungant eis pœnitentiam, & propter hoc non amittat Dominus feodi justitiam, nec propter se capiatur ad feodum. Præterea volunt Rex & Barones quòd vidua possit conqueri Regi vel Ecclesiæ, si voluerit, de dotalitio suo, si non moveat de feodo. Et si conquesta fuit Ecclesiæ; & ille à quo petit dotalitium, dicat quòd respondebit coram Domino de feodo de quo movet, Ecclesia potest * monere ipsam ad respondendum, & decidere causam inter eam de jure.

Al. MS. * transgressione

* cogere

Secundum Capitulum est cùm Clericus capitur pro aliquo forefacto, unde aliquis debet vitam vel membrum perdere & tradi Clero ad degradandum, Clerici volunt illum degradatum omnino liberare. Ad quod *Respondeo.* Quòd Clerici non debent eum degradatum reddere curiæ, & non debent eum deliberare, nec ponere eum in tali loco ut capi non possit, & justitiarij possunt illum capere extra Ecclesiam, & sine tumultu facere justitiam; nec inde possint trahi in causam.

Tertium Capitulum de * terris: ita statutum est quòd decimæ reddantur sicut hactenus redditæ fuerunt, & sicut debent reddi.

* decimis

Quartum Capitulum, quòd villæ Burgensis vel villanus potest filio suo Clerico medietatem terræ suæ, vel plusquam medietatem donare, si habuit filium vel filios. Et si dedit ei partem terræ circa medietatem, Clericus debet reddere tale servitium & auxilium quale debebat terra Dominis quibus debebatur; sed non potest tailliari nisi fuerit usurarius, vel mercator, ubi post decessum suum terra redibit ad proprios parentes; & nullus Clericus potest emere terram, quin reddatur Domino tale servitium quale terra debet.

Quintum Capitulum est, quòd Episcopi vel Archiepiscopi non debent requirere à * Burgis vel ab alijs Ecclesiæ, quod numquam præstaverint - - - - -, ad usuram nec præstabunt. Si Clericus deprehensus fuerit in raptu tradetur * Ecclesiæ ad degradandum; & post degradationem poterit eum capere Rex vel

* Burgensibus


* *deest*

Justitiarius extra Ecclesiam vel atrium, & talem de eo justitiam habere, nec poterit inde causari. Si Clericus aliquem qui non sit Clericus traxit in causam super aliqua possessione; de qua numquam fuit tenens, non debet eum trahere in curiam Christianitatis, & in curiam Domini ad quem spectat justitia in ratione fundi terræ ad christianitatem spectat justitia. Item Clerici non debent excommunicare eos qui vendunt blada vel aliquas merces diebus Dominicis, neque illos qui vendunt Judæis vel emunt ab illis, vel qui opera eorum faciunt, si bene volunt quòd milites Judæorum excommunicent. Item si eo quòd quando aliquis de voluntate sua mittit se in carcerem Regis vel alterius, ubi Rex vel alius habet capitale sive vitam vel membrum perdere, non redimatur, vel *quando Rex vel aliquis alius capit aliquem pro redimendo, vel membrum perdere, & evadit de carcere & fugit ad Ecclesiam, & Ecclesia vult eum deliberare, quod affert Domino redemptionem. *Respondetur* quòd ex quo aliquis de voluntate sua mittit se in carcerem * aliter ut redimatur, vel * cùm aliquis capitur pro a catallo, sive aut membrum perdat, Ecclesia non debet Domino auferre catallum, redemptionem suam, neque eum deliberare si fugit ad Ecclesiam; sed potest custodiri extra Ecclesiam & extra atrium, nec custodes possunt causari de jure, Item Clerici non possunt excommunicare de jure propter forefactum servientis sui, neque interdicere terram ejus, priusquam Dominus fuerit super hoc requisitus, vel Domini Baillivus, si Dominus sit b forfaces. Et si aliquis scienter vel ignoranter forisfecerit Ecclesiæ, non debet excommunicari, vel terra ejus interdici, donec fuerit super hoc requisitus, vel Baillivus ejus, si Dominus fuerit extra patriam. Item cùm aliquis citatur coram Ecclesiastico Judice, & Judices eum compellunt venire in primam *citationem, juret quod stabit juri, quamvis de jure non defecerit, vel quamvis non sit excommunicatus. *Respondeo* quòd hoc non debet. Item super hoc quòd cùm Clerici aliquem trahunt in causam de servitute & ille dicit se esse servum alterius, volunt quòd ipse respondeat in curia eorum, quamvis dicat se non esse servum eorum, & cogunt ipsum ad respondendum coram ipsis per excommunicationem vel ipsos excommunicant cum ipsum manu tenent; ad quod *respondemus* quòd ille debet respondere in curia illius, cujus se esse servum profitetur.

Margin: * eum; * alicujus; * quando; * citatione

a *Biens meubles & immeubles.*

b *Ayant droit de forfaicture ou de confiscation.*



BREVIA SUMMORUM PONTIFICUM
CONTRA CRUCE-SIGNATORUM ABUSUM,
Circa usum Privilegiorum à Sede Apostolica collatorum,


Ex MS. Codice Bigotiano.

BREVE ALEXANDRI III. PAPÆ.

Alexander, Venerabili Fratri Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

TUA nobis Fraternitas intimavit quòd prætextu indulgentiæ Crucesignatis ab Apostolica sede concessæ, in qua continetur quòd eos cum familia & omnibus bonis suis recipimus sub protectione Apostolicæ sedis & nostra, inter dilectum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem, & Baillivos ejus, & Barones Provinciæ Rotomagensis ex una parte: & Te, & Venerabiles Fratres nostros Episcopos Suffraganeos tuos ex altera, dissensionis materia est exorta, proponente Rege, Baillivis & Baronibus prædictis quòd Crucesignati laïci Jurisdictioni eorum non sunt subjecti, confundunt Jurisdictionem hujusmodi, eorumque jura prætextu talis indulgentiæ per Ecclesiasticos judices deffendendi. Te verò ac prædictis Episcopis asserentibus ex adverso, quòd dicti Crucesignati, occasione talis indulgentiæ de foro * vestro existunt, quòd in quibuslibet causis tam criminalibus quàm civilibus coram nobis stare juri tenentur, & quòd ipsi à jurisdictione Dominorum temporalium sunt exempti. Super quo petistis per sedis ipsius oraculum edoceri. Nos itaque consultationi tuæ taliter respondemus, quòd dictos Crucesignatos à jurisdictione Dominorum temporalium indulgentia prædicta non eximit, nisi fortè consuetudo legitimè præscripta defendat eosdem aut alios privilegio seu indulgentiâ, vel jure alio sint muniti. Datum Witerbij 8. Idus Augusti. Pontificatus nostri anno 4.

* nostro



ALIUD BREVE EJUSDEM ALEXANDRI
In causa eorumdem Crucesignatorum.

Alexander, Venerabilibus Fratribus Archiepisc. Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, salutem & Apostolicam benedictionem.

EX parte dilectissimi in Christo filij nostri Regis Franciæ illustris fuit propositum coram nobis, quòd vos quominus Rex ac Baillivi, præpositi, & Officiales, ac Barones & nobiles Regni sui, laïcos Crucesignatos ejusdem Regni, & Regis, ac Baronum, & nobilium prædictorum jurisdictioni subditos pro delictis suis permaneant in his, in quibus cogni-

tio ad ſæculare forum pertinet, impeditis pro veſtræ libito voluntatis, ſicque nonnulli Crucesignati prædicti Regni tali prætextu aſſumunt audaciam delinquendi. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus ſi ita eſt, non impediatis quominus idem Rex, Baillivi, Præpoſiti & Officiales, ac Barones, & nobiles prædicti contra Crucesignatos terrarum ſuarum eis ſubditarum in enormibus dumtaxat criminibus, quæ ſanguinis vindictam requirunt procedant, conſuetudine contrariâ non obſtante. Datum Anagniæ 11 Kalend. Februar. Pontificatus noſtri anno 5.

ALIUD BREVE EJUSDEM ALEXANDRI
In cauſa Clericorum Bigamorum, criminoſorum & mercatorum, contra talium Privilegia fori.

Alexander, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs alijs Eccleſiæ Prælatis per Regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX parte dilectiſſimi in Chriſto filij Regis Franciæ illuſtris, fuit propoſitum coram nobis, quòd nonnulli Clerici bigami & viduarum mariti, & alij Clerici uxorati Regni ſui, univerſa maleficia committere non verentur quæ oculos divinæ Majeſtatis offendunt, & homines ſcandaliſant. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus non impediatis quominus idem Rex, Comites, & Barones ipſius Regni, ſub quorum juriſdictione malefactores ipſi conſiſtunt, contra ipſos in enormibus dumtaxat criminibus deprehenſos, quæ ſanguinis pœnam merentur procedant, eis primitùs Clericali gradu prævià ratione privatis, ſecundum quod juſtitia ſuadebit, & conſuetudine contrariâ non obſtante. Datum Anagniæ 11. Kalend. Februar. Pontificatus noſtri anno 6.

ALIUD BREVE EJUSDEM ALEXANDRI
In eadem cauſa.

Alexander, Venerabilibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX parte dilectiſſimi in Chriſto filij Regis Franciæ illuſtris, fuit propoſitum coram nobis quòd nonnulli Clerici univerſarum - - - - civitatum & Diœceſeon - - - - ſæcularibus negotiationibus quàm officijs divinis inſiſtunt, & gaudere volentes Privilegio Clericali, nolunt ſtatutis patriæ quibus, quotiens expedit, ſicut laïci ſe tuentur, in negotiationum ſuarum quæſtibus, ſubjacere. Quocirca univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, ſi tales tertiò à vobis admoniti, ab hujuſmodi non reſipuerint, & prætermiſſis divinis officijs, negotiationibus ſupradictis vacaverint

- - - Privilegium Clericale, quominus dum his se implicant curis, ut sæcularibus statutis & consuetudinibus patriæ non subjaceant, non deffendatis eosdem. Datum Anagniæ 3 Idus Augusti, anno Pontificatus nostri *6.*

ALIUD BREVE INNOCENTIJ III. PAPÆ in causa Cruce signatorum.

Innocentius servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filijs Decanis, Archidiaconis, Officialibus, & universis Ecclesiæ Prælatis per Regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

EX parte dilectissimi in Christo filij nostri Regis Franciæ illustris, fuit propositum coram nobis quòd nonnulli Cruce signati Regni sui cum deberent ab excessibus abstinere, propter libertatem eis indultam, furta, homicidia, raptus mulierum, & alia perpetrant detestanda. Nolentes ut aliqui Crucesignati occasione libertatis eis indultæ præsumant ad talia extendere manus suas, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Crucesignatos eosdem in hujusmodi criminibus minimè deffendatis. Datum Lugduni 8. Idus Novemb. Pontificatus nostri anno 4.

URbanus III. Papa literis datis Veronæ 14. Kalend. Januarij, Rotomagensi Archiepiscopo indulget ut habeat liberam Apostolicâ autoritate facultatem resecandi ea quæ in Monasterijs Monialium, vel alijs in quibus dissolutio prævaluit, Provinciali lege subjectis viderit resecanda, & statuendi quæ statuenda sunt, sine alicujus appellationis obice. Mandat etiam ut Moniales pretiosis pellibus uti non permittat.

Ex MSS. Archiepiscopali, & Bibliotheca Algiana. Anno 1185.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Galtero Rotomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

HIS qui ad tuitionem sui vocem appellationis emittunt, propensiùs adesse compellimur, & ne appellatione pendente, quorumlibet malignitate graventur, Pastoralem sollicitudinem adhibere, quia cum appellationis remedium inventum fuerit ad subsidium oppressorum eorum indemnitati, quantum ordo juris exposcit vobis imminet præcavere. Inde est quod cum in Provincia tua, sicut audivimus, plerumque contingat, quòd tam Ecclesiastici quàm sæculares viri, post appellationem possessionibus vel rebus alijs spolientur; præsentibus tibi literis indulgemus, ut si quid circa statum aliquorum de Provincia tua, post objectum appellationis obstaculum, in eorum præjudicium tibi constiterit innovatum, id in eum statum appellatione postpositâ reducendi, in quo tempore appellationis extiterat, de autoritate nostra liberam habeas facultatem, ne appellantes sui ju-

ris dispendium patiantur. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Veronæ II. Kalend. Augusti.

ANno 1198. Innocentius III. commutationem inter Walterium & Richardum Regem Angliæ factam de Andeleïo confirmat Diplomate dato Romæ apud S. Petrum, 6. Kal. Maij. Indictione I. Pontificatus anno I. asservatur in Archivo Archiep.

Varia item ejusdem Pontificis habentur ibidem. In ijs ut Walterius, Canonicos Rotomag ad residentiam per censuram Ecclesiasticam compellere possit 16. Kal. Maij 1198.

Item ad eumdem & Capitulum Rotomagense. Ut de reparanda Ecclesia, decretum majoris & sanioris partis obtineat, 5. Idus Junij.

Item ut audacter sua Jurisdictione utatur, nec Regum minas pertimescat, ei etiam inhibens, ne iniquæ illi Principum conventioni (de quatuor Clericis eligendis ad quos pertineret judicare de sententijs ab Archiepiscopo in terras vel homines Regum ipsorum latis) autoritatem assensumve præberet.

Extant præterea ejusdem Innocentij tria rescripta data Romæ 3. Idus Junij.

Primum, quòd nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studijs & meritis adjuvetur.

Secundum, quo precibus ejus indulget, ut cum in Diœcesim suam protulerit sententiam interdicti, omnes ei lege Diœcesanâ subjecti eam teneantur inviolabiliter servare, nisi per speciale privilegium, vel aliàs legitimè, ad id se ostenderint non teneri.

Tertium, quo excommunicationis & interdicti sententiam quam in quosdam Clericos & laïcos suæ Diœcesis ipsorum exigentibus meritis promulgarat; qui adhuc in suæ iniquitatis intentione contumaces persistebant, inviolabiliter sine appellationis remedio præcepit observari. Eidem Waltero indulgens in Clericos Diœcesanâ lege ei subjectos, qui post interdictum ejus divina præsumpsissent, aut de cetero præsumerent officia celebrare, sine appellationis obstaculo pœnâ canonicâ percelleret.

BULLA CÆLESTINI PAPÆ III. WALTERO ROTOMAGENSI ARCHIEPISCOPO.


Ut eos coërceat qui ejus excommunicationibus parere renuebant &c. Anno 1196.

Ex Archivis Capituli Ecclesiæ Rotomagensis.

Cælestinus Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Rotomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

EOS qui contra Prælatos suos supercilium elationis assumunt, & in contumacia perdurantes, nec eorum sententiam servant, nec monitis deferunt vel mandatis, non minus credimus debere puniri, quàm devotorum & humilium obedientia remunerari debet, & ab omnibus meritò commendari. Nisi enim superbia fuerit contumacium edomata, & Apostolicæ sedis autoritate depressa, ordo Ecclesiasticus deperibit, & quibuslibet

incentivum accrescit, & materia delinquendi. Ad audientiam siquidem Apostolatus nostri te significante pervenit, quòd cùm quosdam propter suos excessus excommunicationis vinculo innodaris, & ab omnibus decreveris evitandos, Religiosi & alij quidam in tua Diœcesi constituti, ipsos ad communionem suam recipere ausu temerario præsumpserunt & ad celebrationem admittere divinorum. Licet autem tales ipso jure minori sint excommunicatione adstricti, & ex hoc à Corporis & Sanguinis Christi participatione amoti, ut tamen citiùs pœniteant & à suis iniquitatibus resipiscant, nisi ad commonitionem tuam suâ voluerint præsumptione desistere & de hoc quod hactenus attentarunt satisfactionem congruam exhibere, ut eos vinculo excommunicationis innodes, & communionem eis Ecclesiasticam interdicas, liberam tibi tribuimus autoritate præsentium, facultatem. Nulli ergo &c. Datum Laterani Idibus Januarij. Pontificatus nostri anno 5.



FRAGMENTUM EPISTOLÆ INNOCENTIJ III. Ad Regem Angliæ.

Ex vet. MS.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Regi Angliæ salutem & Apostolicam benedictionem.

MORE pij Patris qui filium offendentem offensus etiam & odisse non potest, & quamquam de malo ejus graviùs quàm ipse turbatus; indurato tamen non possumus indignari, sed paternâ pietate molliti te tantopere in tua damna molitum omni opere & operâ, quâ valemus, satagimus emollire, ut te à tuo damnabili & damnoso proposito revocemus. Tristantes plurimùm si quod veremur contingeret te incurrere, sed majoris causam tristitiæ reputantes, quia noluisses illud cùm posses præmunitus toties & præmonitus evitare; fortuitum namque malum doloris habet qualecumque remedium. Quòd vero spontaneus quis incurrit, durius post se ingerit dolendi tormentum. Tu verò fili carissime præcave diligenter. &c
Desunt reliqua.



DIPLOMA RICHARDI ANGLIÆ REGIS ET DUCIS NORMANIÆ.
In gratiam Archiepiscopi Rotomagensis & Provincialium Episcoporum, ac Cathedralium. Anno 1190.

Ex Chart. Archiep.

Richardus Dei gratiâ Angliæ Rex, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegavensis, Archiepiscopo Rotomagensi, & Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justitiarijs & omnibus filijs Ecclesiæ Sanctæ per Normaniam constitutis salutem.


SCIATIS nos concessisse, & præsenti chartâ confirmasse Archiepiscopo Rotomagensi & Ecclesiæ Rotomagensi, & omnibus Episcopis Normaniæ, &

Matribus Ecclesijs hoc de occisoribus qui homines in Trevijs & Pace Ecclesiæ occidunt, & Trevias infringunt, quòd si occisorem illum aliquis duello appellare voluerit, duellum illud in curia nostra tenebitur: & si inde convictus fuerit, Episcopus ille in cujus Diœcesi hoc factum est, emendam suam, id est novem libras de pecunia convicti, per manus justitiæ nostræ habebit. Si verò de pecunia illius aliquid remanserit ultra, nostrum erit. Si verò pecunia illius ad illas novem libras faciendas non suffecerit, totum illud minus Episcopus habebit. Ita quod nihil inde ad opus nostrum accipietur, donec Episcopus totam emendam suam habeat, si pecunia illa suffecerit. Si verò defuerit qui occisorem illum duello probare velit, ipse occisor, in Ecclesia Dei, per judicium Ecclesiæ se purget. Si verò ibi convictus fuerit faciat idem de Episcoporum emenda & nostra, quod supra scriptum est. Et si quis occisor & Treviæ infractor fugerit justitiam, & de terra nostra exierit de emenda idem erit. Et si nobiscum pacem fecerit, emenda Episcopi in pace nostra non erit, sed reddet eam Episcopo, vel pacem cum eo inde faciet.

Testibus B. Archiepiscopo Turonensi, R. Episcopo Andegavensi, Willelmo *de Hommet* Constabulario, Roberto de Salburis & pluribus alijs. Data per manum Joannis *d'Alençon* Vicecancellarij nostri & Lexoviensis Archidiaconi. 1. die Maij apud Chinonium anno 1. regni nostri.

CIRCA illos dies annuente Rege Richardo, liberata est Ecclesia Normaniæ à longo servitutis jugo quo premebatur, quòd scilicet nullâ occasione, à sæcularibus capientur Clerici potestatibus sicut consueverant, nisi pro homicidio, furto, incendio, vel hujusmodi enormi flagitio. Hæc Matthæus Westmonast. ad annum 1190.

HOc item vel sequenti anno contentio mota inter Rotomag. Ecclesiam, procurante eam in absentia Walteri Archiepiscopi Joanne de Constantijs Rotomag. Decano, & Willelmum filium Radulfi Senescallum Normaniæ super quibusdam capitulis, de quibus Ecclesia Dei conquerebatur sub præsentia Henrici Bajocensis, Willelmi Abrincensis, Lisiardi Sagiensis, Radulfi Lexoviensis & Willelmi Constantiensis Episcoporum (aderat tunc expeditioni sacræ Joannes Episcopus Ebroïcensis) & Baronum Regis, assistentibus quoque pluribus Normaniæ Ministris, hoc tandem fine conquievit.



Ex Chartulario Capituli Rotomagensis.



IN primis determinatum est de Clericis, quòd nullâ occasione à sæcularibus potestatibus capientur, nisi pro homicidio, furto, vel incendio, vel hujusmodi enormi flagitio, quod ad placitum gladij pertineat: & tūc cùm requisiti fuerint ab Ecclesiasticis Judicibus, eis quieti reddentur

dentur in Ecclesiastica Curia judicandi.

Item generaliter omnes de fidei læsione & juramenti transgressione quæstiones in Ecclesiastico foro tractabuntur : super Treugæ verò violatione antiqua consuetudo, & chartarum Henrici & Richardi illustrium Regum Angliæ tenor observabitur.

Item quæstiones super dote vel donatione propter nuptias, quando mobilia vel se moventia petentur, ad Ecclesiam referentur. Quæstio verò super eisdem de immobilibus, Dominis nostris Regi, & Archiepiscopo, determinanda reserventur.

Item in Conventualibus Ecclesijs, Abbates, vel Priores, aut Abbatissæ, cum assensu Diœcesani Episcopi eligentur.


Item nulla fiet recognitio in foro sæculari, super possessione quam viri religiosi, vel quæcumque Ecclesiasticæ personæ 20 annis vel amplius possederint. Similiter nulla fiet recognitio, si Chartâ vel alio modo eleemosinatam esse possessionem probare potuerint, sed ad Ecclesiasticos judices remittentur.

Item distributio eorum quæ in testamento relinquuntur, autoritate Ecclesiæ fiet, nec decima pars bonorum ut olim subtrahetur. De bonis verò Clericorum etsi dicantur fuisse usurarij, vel quocumque genere mortis præventi, nihil pertinet ad sæcularem potestatem : sed Episcopali autoritate in pias causas distribuentur.

Item quicquid laïci in vita sua donaverint, vel quocumque titulo á se alienaverint, etsi usurarij fuisse dicantur, post mortem non revocabitur. Quæ verò post mortem non alienata invenientur, si recognitum fuerit ipsos tempore mortis fuisse usurarios, confiscabuntur.

Item si mortuus habuerit aliquod vadium unde sortem suam percepit, portio ipsius libera ad eum qui invadiavit, vel ad hæredes ipsius revertetur, idem fiet de portionibus uxoris & filiorum, post mortem ipsorum. Si quis verò subitaneâ morte, vel quolibet alio fortuito casu præoccupatus fuerit ut de rebus suis disponere non possit, distributio bonorum ejus Ecclesiasticâ autoritate fiet.






CHARTA GALTERIJ ROTOM. ARCHIEPISCOPI
Pro Monasterio duorum Amantium. Anno 1190.

Ex Chartulario loci.

Galterius Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, Gilberto Priori Ecclesiæ sanctæ Mariæ Magdalenæ de monte duorum Amantium, ejusque Fratribus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum.

DESIDERIUM quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere dignoscitur, sine aliqua est dilatione complendum. Ea propter dilecti in Domino filij vestris postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam vestram in qua divino mancipati estis obsequio sub beatæ Mariæ & nostra suscipimus protectione, vobisque Ecclesiæ vestræ quascumque possessiones aut quæcumque bona in præsentiarum justè possidetis, aut quæ in futurum in Provincia nostra canonicè acquisieritis, integrè & in perpetuum permansura autoritate nostrâ confirmamus; in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, videlicet; montem qui dicitur duorum Amantium &c. ------ Hæc itaque omnia suprascripta & quæcumque alia bona justè possidetis, vobis & successoribus vestris firma & illibata permanere concedimus, & autoritate Pontificali confirmamus, salvâ in omnibus sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ justitiâ & reverentiâ, jure etiam conservato Episcopali, & Parrochiali. Cunctis autem loco vestro, & vobis &c.

Testibus Joanne Rotomagensi Decano, Richardo & Roberto Rotomagensibus Archidiaconis, Guillelmo Abbate de Pontesia, Roberto Abbate *de Chirebort*, Nicolao Capellano, Magistro Radulfo *de Richepaut*, Joanne de Constantijs, præfatæ Ecclesiæ Canonicis, & multis alijs.



GALTERIJ EJUSQUE SUFFRAG. EPISCOPORUM EPISTOLA.
Ad Cælestinum Romanum Pontificem.

Ex Archiv. Cath.

ARGUMENTUM

Rotomagensis Archiepiscopus, unâ cum Suffraganeis rogat summum Pontificem, ut Richardum Anglorum Regem, ab Archiduce Austriæ in reditu ex peregrinatione Hierosolymitana in carcerem conjectum, curet liberari.

Reverendo Patri ac Domino Cælestino Dei gratiâ summo Pontifici, G. ejusdem permissione Rotomag. Ecclesiæ humilis minister, ipsiusque Suffraganei, Bajocensis, Ebroicensis, Sagiensis & Abrincensis Episcopi, salutem & devotissimæ servitutis affectum.

VULGARITER dicitur, quia nova & insolita morborum genera, novâ indigent medicinâ. Ab usu siquidem nostrorum temporum prorsus credi-

mus alienum quòd capiatur, aut ad redemptionem aliquatenus compellatur, vel in eundo, vel in reditu quicumque Hierosolymitanæ peregrinationis prosecutor existit. Recolimus quòd illius viæ, sanctique signaculi professores Ecclesia Romana in sua custodia & tuitione suscepit. Nec dubium est redundare in totius Ecclesiæ caput, quicquid contra ejusdem Ecclesiæ autoritatem in ejus filios attentatur. Christianissimus Princeps Rex Angliæ illustrissimus Dominus noster, & devotissimus Ecclesiæ Romanæ filius, quam specialiter in sua protectione susceperat, in sua peregrinatione post sudores & pericula, post angustias & discrimina vitæ, quæ pro amore & honore Dei diu sustinuerat, revertendo captus est & injustè detentus. Plangimus dolores & angustias nostras, quas utinam nobiscum communicare velletis paterno compassionis affectu, & ostenderetis per experientiam in nostris angustijs, quantum vobis teneri debeat affectio filialis. Docet publicus experientiæ liber, uberiorem esse caritatis affectum parentibus ad filios, quàm filijs ad parentes: ideoque pensatâ devotione quam hactenus habuerunt Reges Angliæ erga Romanam Ecclesiam; speramus in eo, qui spes nostra est, quòd non deficiet in hac angustia nostra illa exuberans & inexhausta gratiæ plenitudo, quæ se impertitur afflictis, lapsos erigit, læsos reparat: &, ut quod multum est claudatur in modico, se communicat universis, qui universorum & singulorum totus est, qui se servum servorum publicè profitetur. Quid faciat pro tanto filio, pro tanto Principe, cujus injustissimam captionem Provinciæ lamentantur, dolent populi, plorant Ecclesiæ, & omnia jura tam moderna quàm vetera detestantur. Exerat beati Petri gladium manus vestra clementissime Pater; quid & quantum tanto filio debeatis exhibeatis in opere, ut experientiâ mediante addiscant minores & inferiores filij, quantum à vobis auxilium, in suis necessitatibus debeant expectare. *Valete.*

Extant præterea quatuor Petri Blesensis ad Galterum Epistolæ, quas inter opera ejusdem videre poterit Lector.



CHARTA RICHARDI REGIS ANGLIÆ Waltero Rotomagensi Archiepiscopo. Anno 1195.


Ex codice MS. eburneo Cathedralis.

Ricardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Venerabili in Christo Patri Waltero eadem gratiâ Rotomagensi Archiepiscopo, salutem.

GRATIAS magnas referimus vobis, super eo quod interdictum terræ Regis Franciæ tam cito & tam amicabiliter relaxastis. Verùm quia Comes * Licestriæ, qui multa passus est pro fidelitate nostra, adhuc in captione tenetur: pro eo quod nondum quietastis Regem Franciæ, de his propter quæ interdictum fuerat. Rogamus vos quatenus pro amore nostro & pro liberatione ejusdem Comitis, patentes literas faciatis, & mittatis Domino Regi Franciæ super prædicta quietatione, quòd videlicet eum absol-

*al. Legestiæ.

vitis & quietatis de omnibus, propter quæ interdictum positum fuerat, maximè cum de ijs satisfecimus vobis pro eodem Domino Rege, nec illud ab eo de cetero requiretis. Teste meipso apud Salm. 10 die Febr.




Ex Archivo Archiepiscop.

LITERA CONVENTUS SANCTI MARTINI PONTISARENSIS, quòd non præjudicat Domino Archiepiscopo, si eodem absente Domino elegerint quemdam in Abbatem.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, totus Conventus B. MARTINI de Pontisara, salutem in Domino.

NOVERITIS quòd Monasterio nostro Abbate carente, cùm omnes pariter & unanimiter consensissemus in Dominum Herlevum, ut ipsum nobis Abbatem præficeremus; venerabilis Pater noster Walterus Rotomagensis Archiepiscopus, ad petitionem Domini nostri Philippi illustris Francorum Regis, in eumdem Herlevum consensit, & electionem nostram quam contra Jus suum & Ecclesiæ suæ factam esse dicebat, salvo jure suo, & Ecclesiæ suæ, & nostræ in posterum, confirmavit: Ita quòd nos omnes concessimus & promisimus ei, quòd quicquid in electione, aut ista confirmatione actum est, nullum eidem Domino Archiepiscopo, sive Ecclesiæ suæ, aut successoribus suis præjudicium generabit. Sigillatum sigillo Monasterij, in quo visitur Abbas vestitus in Pontificalibus, & in circumferentia. SIG. S. MARTINI PONTISAR.




Ex eodē Arch.

LITERA PRIORIS ET CONVENTUS S. MARTINI DE PONTISARA Ad Walterium Rotomagensem Archiepiscopum.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Prior & Conventus S. MARTINI Pontisaræ, salutem in Domino.

CUM inter venerabilem Patrem nostrum Dominum Walterum Rotomagensem Archiepiscopum & nos, controversia verteretur; Domino Archiepiscopo asserente se, vel aliquem nomine suo, debere electioni Abbatis nostri interesse: Nobis è contrario asserentibus nos, eo non præsente, vel nuntio ipsius, eligere posse. Tandem Dominus noster Archiepiscopus prædictus, ad preces Domini Octaviani Hostiensis & Velletrensis Episcopi, Apostolicæ sedis Legati, & Domini Regis Francorum (*Philippus Augustus tunc regnabat*) querelam istam ad præsens distulit, & Stephanum quem elegeramus salvo jure suo & nostro in posterum confirmavit, & benedictionem manuum apposuit. Datum anno Incarnationis Dominicæ millesimo & ducentesimo primo, quarto Kalendas Augusti apud *Vaux*.




SOCIETAS EPISCOPI CAMERACENSIS cum Waltero Rotomagensi Archiepiscopo. Anno 1196.

Ex eodẽ Arch.

Ioannes Dei permissione Cameracensis Ecclesiæ minister humilis, Omnibus sanctæ Matris Ecclesiæ filijs in perpetuum.

NIHIL humanæ naturæ magis accommodum & jocundum quàm solius honestatis & virtutis respectu, amicitiæ bonum concipere, & obsequiorum se invicem prævenientium enutrire fomites, ut altiùs radicata caritas in numerosiores surculos se diffundat, & terram hæreditatis Dominicæ occupet fecunditas seminis generosi. Hujus hortatu commoti, & nos amplexibus illius Illustris Rotomagensis Archipræsulis Walteri, (quem ad nostram sedem ducente Domino felix fecit declinare exilium) cujus merita, opera sua quàm verba nostra, fideliùs eloquuntur, brachijs caritatis firmiter inhærentes, & suis volentes successoribus eodem glutino etiam in nostris successoribus colligari præsenti paginâ cum assensu Capituli nostri in argumentum initæ perpetuò societatis & fœderis, domos Episcopales ipsi & cuilibet successorum suorum, ex quacumque causa ad sedem nostram declinare, vel in ea morari voluerit, cum omnibus bonis Episcopalibus, pro tempore pensatis, Ecclesiæ nostræ facultatibus, promittimus & statuimus nos cessuros; ita etiam ut in Ecclesia nostra majorem locum obtineant & in divinis officijs dignitatem. Si quando verò nos aut quemcumque sedes Cameracensis Antistitem ex quacumque causa Rotomagensem contingat adire Ecclesiam; Dominus Rotomagensis nos & in domo sua secum colligere & honestè vice versâ de bonis Episcopalibus pro suo & sui Capituli arbitrio tenebitur exhibere. Ita quod post Archiepiscopum primum in Ecclesia locum habebimus & obtinebimus dignitatem, salvâ Suffraganeorum suorum debitâ & observatâ hactenus dignitate. Nosque in divinis officijs vice Capellani in majoribus solemnitatibus ipsi Archiepiscopo assistemus, & tenebimur ministrare. Ut autem hæc nostra confederatio, tam pia, tam grata, firma & inconvulsa futuris temporibus observetur, eam præsenti scripto & appositione tam sigilli nostri, quàm sigilli nostri Capituli fecimus confirmari.



CHARTA WALTERIJ ARCHIEPISCOPI ROTOM. De Excambio *d'Andely*. Anno 1197.

Ex Chart. Capit. Rotom.

Vniversis sacrosanctæ Matris Ecclesiæ filijs, ad quos præsentes literæ pervenerint, Walterus Dei gratia Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & ejusdem Ecclesiæ Capitulum, salutem in vero salutari.

LIQUET ex utrinsque testamenti pagina, regnum & sacerdotium alternâ dilectione, mutuo consilio, & auxilio debito sibi esse conjuncta. Unde & tribus Levi à Tribu Judæ, recedentibus ab ea decem tribubus

non recessit. Porro hostilitate crescente in Normania decrevit tum in honore, tum in redditibus mater nostra Rotomagensis Ecclesia. Tacti igitur dolore cordis intrinsecùs, eo quòd egrederetur de facie Sion omnis decor ejus, regnumque à sacerdotio dissideret, concupiscentes concupivimus quæ ad pacem essent Jerusalem, & regni; volentes & summoperè affectantes consulere indemnitati Domini nostri Richardi illustris Regis Anglorum,& honori Rotomagensis Ecclesiæ mammillis Regum ablactatæ: habentes igitur respectum, tum ad Domini Regis, tum Ecclesiæ pacem, honorem, & commodum, fecimus permutationem inter D. Regem ex una parte, & Rotomagensem Ecclesiam & nos ex altera parte de Manerio *d'Andely*, in hac forma &c.

INNOCENTIJ PAPÆ III. BULLA
Quâ Excambium istud confirmatur, anno 1198.

Ex Chartul. capit. Rotom.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Waltero Rotomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM emergentium litigia quæstionum vix possint sine alterius litigantium læsione judicialiter definiri, si quando partes inter se super quæstione motâ honestè conveniunt, tanto libentiùs compositioni eorum præsidium Apostolicum impertimur, quanto per hoc neutrum lædimus, & ampliùs utrumque juvamus. Intelligimus siquidem tam ex literis tuis, quàm carissimi in Christo filij nostri Richardi Regis Angliæ illustris & plurium aliorum, quòd super discordia, quæ inter te & eumdem Regem super Villam Andeliaci cum Rupe & insula mota fuerat, Regia Serenitas Evangelicum illud attendens: *Qui se humiliat exaltabitur*: & *quanto majores humilitate in omnibus*, humiliavit magnificentiam suam, & severitatem Regiam passus est emolliri, ut ad honorem ejus (cui servire regnare est) amicabilem tecum compositionem, iniret & in utilitatem Rotomagensis Ecclesiæ, molendina quæ habuit apud Rotomagum cum villis de Dieppa, & Butila & Manerio *de Louviers*, cum omnibus pertinentijs & libertatibus suis, & Ministerio* *de Louviers*, & Foresta *d'Alihermont*, sicut in autentico ejusdem Regis confecto exinde pleniùs continetur, tecum perpetuò commutavit. Nos igitur permutationem ipsam sicut amicabiliter facta est & ab utraque parte recepta, ut autentico ipsius Regis exprimitur, autoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem hujus nostræ confirmationis audientiam, autenticum ipsum de verbo ad verbum nostris duximus literis exprimendum, quod tale est. Richardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis &c. *ut infra.*

* *al'. forté* Manerio.

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Octavianus Ostiensis & Velletrensis Episcopus.

Ego Gratianus sancti Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Gerardus S. Adriani Diaconus Cardinalis.
Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Bobo S. Theod. Diaconus Cardinalis.
Ego Sencius S. Luciæ in orthea Diaconus Cardinalis.
Ego Petrus tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis.
Ego Joannes tituli S. Clementis Card. Witerbiensis, & Episc. Lucensis.
Ego Hugo Presbyter Cardinalis S. Martini, tituli S. Equitij.
Ego Joannes tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rainaldi, Domini Papæ Notarij, Vice-cancellarij agentis VI. Kal. Maij. Indictione I. Incarnationis Dominicæ anno MC. XCVIII. Pontificatus verò Innocentij III. Papæ anno I.



CHARTA RICHARDI REGIS ANGLIÆ Pro Excambio *d'Andely*, *&c.* Anno 1198.

Ex Carthul. capit. Rotom.

Richardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ; Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Iustitiarijs, Senescallis, Vicecomitibus Præpositis, Ministris, & omnibus Baillivis, & fidelibus suis salutem.


CUM sacrosancta Ecclesia Sponsa sit Regis Regum, & unica Dilecta illius, per quem Reges regnant, & Principes gubernacula possident; tantò ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibere, quantò certiùs non Regiam tantùm, sed omnem à Domino Deo esse credimus potestatem. Unde sicut Venerabilis Rotomagensis Ecclesia, quæ inter universas Terrarum nostrarum plurimâ celebritate dignoscitur enitere, pro rerum necessitate vel temporum, nostris duxit utilitatibus opportunâ diligentiâ consulendum; sic nos ejusdem Matris nostræ commodis & augmentis dignâ compensatione dignum ducimus respondere. Sanè villâ Andeliaci, & quibusdam alijs adjacentibus locis, quæ erant Rotomagensis Ecclesiæ, minùs sufficienter firmatis, inimicis nostris in terram nostram Normaniæ per eadem loca patebat ingressus, per quæ incendijs & rapinis, necnon & alijs hostilitatis sævitijs in eamdem Terram nonnumquam licentiùs grassabantur. Quocirca venerabili Patre Waltero Archiepiscopo & Capitulo Rotomagensi, debitum habentibus ad nostra & prædictæ Terræ nostræ damna respectum, facta est hæc Permutatio inter Ecclesiam Rotomagensem & Archiepiscopum Rotomagensem Walterum ex una parte, & Nos ex altera parte, de Manerio *d'Andely* in hac forma. Scilicet quòd idem Archiepiscopus de conscientia & voluntate Domini Papæ Cælestini III. & de assensu Capituli Rotomagensis Ecclesiæ, & Coëpiscoporum suorum, & Cleri ejusdem Archiepiscopatus, concessit, & in perpetuum quietum clamavit nobis &

hæredibus noſtris prædictum Manerium *d'Andely* cum novo Caſtello de Rupe, & cum Foreſta, & cum omnibus alijs pertinentijs & libertatibus ſuis, exceptis Eccleſijs, & Præbendis &c.

Nos autem quantum Rex poteſt, excommunicamus, & concedimus quòd incurrat indignationem omnipotentis Dei, quicumque contra hoc f ctum venerit.

Teſtibus his Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, Joanne Wigornienſi, Hugone Cōventrenſi, Savarico Battonienſi, Henrico Bajocenſi, Garino Ebroïcenſi, Liſiardo Sagienſi, Willelmo Lexovienſi, Willelmo Conſtantienſi Epiſcopis, --- Abbate S. Trinitatis de Monte Rotomag, Reginaldo S. Wandregeſilli, Victore S. Georgij, --- Ulterioris Portus, Oſberto de Pratellis, de Augo, --- de Cornevilla, Abbatibus, Joanne Comite Moretonij, Othone Comite Pictavienſi, Balduino Comite de Albamarla, Radulfo Comite Augi, Willelmo Mareſcallo Comite de *Strigoil*, Willelmo filio Radulfi Seneſcallo Normaniæ, Roberto de Turnehan Seneſcallo Andegaviæ, Willelmo de Humeto Conſtabul. Normaniæ, Gilberto filio Reinfredi, Hugone *Brun*, Gaufrido de Leziniaco, Willelmo de Rupibus, Radulfo Camerario de Tancarvilla, Willelmo *Martel*, Radulfo *Taiſſon*, Gaufrido *de Fai*, Roberto *de Harecourt*, & multis alijs. Datum per manum Euſtachij Electi Elienſis, tunc agentis Vices-Cancellarij, apud Rotomagum, anno ab Incarnatione Domini 1197. 26 die Octobris, anno Regni noſtri octavo.

Sigillatum ſigillo magno in cera viridi, cui appenſus eſt Annulus aureus cum lapide pretioſo.



Ex ſchadis noſtris.

CHARTA FUND. ABBATIÆ DE BELLOSANNA Ordinis Præmonſtratenſis. Anno 1198.

Univerſis ſanctæ Matris Eccleſiæ filijs, ad quos præſens ſcriptum pervenerit; Hugo de Gornaco, ſalutem.

NOTUM ſit tam omnium futurorum quàm præſentium caritati quòd ego Hugo de Gornaco divinæ pietatis & dilectionis intuitu, pro ſalute animæ meæ & patris mei, & matris meæ, & aliorum anteceſſorum meorum, & pro ſalute hæredum meorum; in propria hæreditate mea in Foreſta mea juxta Belloſanam, in honore Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & beatiſſimæ virginis Mariæ matris ejus fundavi Abbatiam, ibique ad ſerviendum Deo in perpetuum ſecundum regulam B. Auguſtini & conſuetudinem Ordinis Præmonſtratenſis, Abbatem & Conventum inſtitui, ad quorum victum & veſtitum, & ad neceſſaria Chriſti pauperum ad ſe confluentium, ſecundum poſſibilitatem loci, de terris & redditibus & juſtis acquiſitionibus meis, in perpetuam, puram & liberam eleemoſinam omnipotenti Deo & B. Mariæ, Abbati & Canonicis ibidem Deo ſervientibus ea quæ ſubſcripta ſunt ſuper altare ejuſdem Abbatiæ devotè obtuli, ſcilicet locum illum in quo fundata eſt Abbatia &c.

Hæc

Hæc autem omnia præſcripta ad fundationem Abbatiæ meæ de Belloſanna libera & abſoluta ab omni ſæculari ſervitio, & ab omnibus exactionibus & querelis, mihi & hæredibus meis pertinentibus, nihil in prædictis eleemoſinis, mihi vel hæredibus meis retinens, præter orationes & beneficia ſpiritualia, Deo & B. Mariæ in perpetuum donavi. Ut autem hæc donatio mea, rata & inconcuſſa perſeveret, appoſitione ſigilli mei & præſenti ſcripto corroboravi: actum eſt hoc Verbi Incarnati anno M C. XCVIII.

Teſte D. Galtero Rotomagenſi Archiepiſcopo, omnes prædictas donationes approbante & confirmante. Teſte etiam Hugone *de Cauqueville* Abbate de Becco-*Helloin*, Roberto Abbate de Bellobecco, Gaufrido de Inſula-Dei Abbate, Roberto Abbate de Ardena, M. Roberto de S. Paterno Rotomagenſi Archidiacono, M. Hugone de Archis, Odone Capellano Hugonis de Gornaco, Radulfo de Gornaco Theſaurario, Richardo *d'Aufay*, Radulfo *de Mallion*, Hermando *de Merval*, Ægidio *de Hoden*, Marcello Fratre ſuo, Hugone Portario, Nicolao *Froiſſegres*, Hugone de Agya, Guillelmo de S. Martino, Adam *de Ferrieres*, Richardo Malavicino, & pluribus alijs.

WALTERUS CONFIRMAT FUNDATIONEM ABBATIÆ DE BELLOSANNA Ab Hugone de Gornaco factam. Anno 1198.

Univerſis Chriſti fidelibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, Galterius Dei gratia Rotomagenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino.

NE Deo ſemel oblata, collata, & dicata profanentur, vel in uſus ſæculares convertantur: ad omnium notitiam volumus pervenire, Nos omnes Eccleſias, terras, villas, redditus, & libertates, quas dilectus filius noſter, Hugo de Gornaco contulit Deo & B. Mariæ, ad fundandum & dotandum Eccleſiam apud Belloſannam, in qua Abbas & Conventus juxta conſuetudinem Ordinis Præmonſtratenſis miniſtrarent, Deoque devotè ſervirent, autoritate Pontificali confirmaſſe, cum ceteris omnibus quæ juſtè & piè, eidem loco conferentur. Sunt autem hæc collata à prædicto Hugone, locus ſcilicet in quo fundata eſt Abbatia, & quædam portio Foreſtæ ipſius de Brayo juxta ipſam Abbatiam, ſicut ſigna facta fuerunt quando donavit eam &c.

Dedimus autem & confirmavimus dictis Canonicis omnes prædictas Eccleſias cum omnibus pertinentijs ſuis, ſalvis honeſtis vicarijs, Sacerdotibus in prædictis Eccleſijs miniſtraturis, & ſalvo jure Pontificali, in proprios uſus in perpetuum convertendas. Conceſſimus etiam eis ac confirmavimus 20 libras redditus, quas Dominus J. Rex Angliæ, dum fuit Comes Moritaniæ, eis in inſula de G. dedit, & poſtea factus Rex ſigillo regio confirmavit, ſicut in Chartis ipſius, quas prædicti Canonici habent, continetur.

Ut autem hæc omnia præfata in perpetuum inconcuſſa permaneant, ea præſenti ſcripto & ſigilli noſtri munimine roboravimus. Omnibus autem

hanc Chartam servantibus sit salus, gratia Dei & abundantia pacis in virtute Spiritus sancti; eam autem infringentibus ira & indignatio Dei, sicut filijs diffidentiæ & perditionis.

Testibus Magistro Roberto Archidiacono, Mag. Simone Cancellario, Mag. Joanne *de Villers*, Henrico de Andeleïo, & Galtero de Brueria Canonicis Rotomagensibus, B. Priore de Monte leprosorum Rotomag. Roberto de S. Nicolao, M. Guilberto *de Marcel*, & alijs. Actum anno Incarnationis Dominicæ MC. XCVIII. 16 Kalend. Febr. Pontificatus nostri anno 14 apud Rotomagum.

ANno 1205. mense Novembri, Dominicâ post Octavam omnium sanctorum Reginaldus Boloniæ Comes, alijque Normaniæ Magnates, habito Rotomagi conventu, cum super sacrosancta Evangelia jurassent se jura quæ Henricus & Richardus quondam Angliæ Reges habuerunt in Normania adversus Clerum, & apud Lexovium, & alibi, & jura sua dicturos, inter cetera de his quæ ad Archiepiscopum spectabant, testati sunt in hunc modum.

Stabilimentum factum apud Rotomagum inter Clericos & Barones Normaniæ.

EGO Reginaldus Comes Boloniæ, & ego Guillelmus *Martel*, & ego Henricus de *Estoteville*, & ego W. Cambellanus Tanquarvillæ, & ego Radulphus *Tesson*, & ego Robertus *de Vestieval*, & ego Joannes de Pratellis, & ego Henricus de Ferrarijs, & ego Ph. *de Nauce*, & ego W. de Mortuo-mari, & ego Robertus *de Torci*, & ego W. *de Seranz*, & ego Fulco Paganellus, & ego W. *de Homet*, & ego Stephanus de Longo-campo & ego Hugo de Colunces, & ego Robertus *de Wesneval*, & ego W. de Pratell. & ego Joannes de Roboreto, & ego Odo Castellanus Belvaci, & ego Nich. de Montegniaco, & ego Thomas de Proaivilliaco, & ego Rogerus de Mellento. Notum facimus universis, quòd nos juravimus super sacrosancta, quòd jura quæ Henricus & Richardus quondam Reges Angliæ habuerunt in Normania adversus Clerum, & apud Lexovium & alibi, & jura nostra diceremus. Nos autem per sacramentum nostrum diximus, quod vidimus tempore Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ, quòd si Ecclesia pertinens ad donationem laïcæ personæ vacaret, si ille ad quem donatio illius Ecclesiæ pertinebat, præsentaret idoneam personam Archiepiscopo, vel Episcopo, in cujus Diœcesi sita esset Ecclesia illa: Archiepiscopus, vel Episcopus eamdem personam de jure recipere tenebatur, nisi alius contenderet præsentationem illius Ecclesiæ ad se pertinere. Si verò de jure patronatus contentio oriretur, Archiepiscopus vel Episcopus numquam posset alicui conferre Ecclesiam illam, nec aliquem recipere ad Ecclesiam illam, donec contentio in Curia Domini Regis, vel in Curia illius, de cujus feodo movet Ecclesia, terminaretur. Quando verò causa terminata esset in Curia Domini Regis, aut in Curia illius, de cujus feodo movebat Ecclesia; Archiepiscopus, vel Episcopus, ad testimonium literarum patentium Do-

mini Regis, vel Baillivi sui, in cujus Curia causa esset terminata, vel illius de cujus feodo movebat Ecclesia, deberet recipere idoneam personam, quam præsentaret ille, cui adjudicatum esset jus Patronatus illius Ecclesiæ.

Item diximus per sacramentum nostrum, quòd Archiepiscopus vel Episcopus, vel alia inferior Ecclesiastica persona non debet ferre sententiam excommunicationis in Barones, vel in Baillivos, aut in servientes, Domini Regis, aut in Clericos domus suæ, Rege non requisito, vel suo seru.

Item diximus per sacramentum nostrum, quòd nulla Ecclesiastica persona debet aliquem trahere in causam pro fide, vel pro sacramento quod fiat de laïco feodo, vel catallo hominis laïci. Sed si fides data fuerit de catallo maritagij, vel de legato mortui, vel de catallo Clerici, vel Crucesignati, de causa illa benè possunt judicare.

Item diximus per sacramentum, quòd non vidimus tempore Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ, quòd aliquis redderet decimas de fœnis, aut de genestis, aut de boscis, ubi priùs non fuerint decimatæ.

Item diximus per sacramentum nostrum, quòd vidimus Henricum & Richardum quondam Reges Angliæ tenentes placitum spatæ in civitate, & banleüa Lexovij, postquam Arnulfus Lexoviensis Episcopus recessit à Normania exul hac de causa.

Item diximus per sacramentum nostrum, quòd in feodo terræ Gornaij & Feritatis, & Gellefontis, non debet Archiepiscopus tenere nisi tantum tria placita, scilicet de maritagio, de legato mortui, & de catallo Clerici.

Item diximus per sacramentum nostrum super hoc quod Archiepiscopus petit apud *Loviers*, quòd Richardus quondam Rex Angliæ fecit ei excambium, & indè dedit ei Chartam suam. Et Dominus Rex faciet ei justitiam secundum tenorem Chartæ suæ, si ei placuerit.

Item diximus per sacramentum nostrum de Clerico, qui tenet laïcum feodum, quòd si Clericus injuriosus existit Domino, à quo tenet feodum, super feodo illo; Dominus feodi potest saisire omnia catalla Clerici, quæ invenerit super feodum, de quocúmque loco venerint, donec ei satisfecerit de his quæ pertinent ad laïcum feodum.

Item diximus per sacramentum nostrum, quòd si Clericus teneat aliquid de quo conqueratur laïcus, & Clericus dicat se tenere illud nomine eleemosynæ: per sacramentum legalium hominum patriæ recognoscetur, utrum sit laïcum feodum an eleemosyna, & hoc in Curia Domini Regis. Similiter si laïcus tenet rem, quam Clericus dicat esse suam nomine eleemosynæ, recognoscetur similiter in Curia Domini Regis, per sacramentum legalium hominum patriæ.

Item diximus per sacramentum nostrum de rebus usurarij, quòd quamdiu usurarius est, in lecto ægritudinis si distribuat res suas propriâ manu suâ, stabile est. Post mortem verò usurarij, omnes res suæ Domini Regis erunt, si probatum fuerit quòd infra annum ante mortem commodaverit ad usuram.

Item diximus de illo qui moritur intestatus, si jacuerit in lecto ægritudinis per tres dies aut per quatuor; omnia mobilia ipsius Domini Regis

debent esse, aut illius in cujus terra est, sic de illo qui se interficit spontaneus.

Item diximus de treuga, quòd si aliquis vulnerat alium, unde debet perdere membrum, aut vitam, placitum remanebit in Curia Domini Regis, si conquerens vult prosequi causam; & Ecclesia habebit emendam suam usque ad 9 lib. si accusatus fuerit convictus, & Dominus Rex habebit totum residuum. Treuga verò durat à die Mercurij serò, usque ad diem Lunæ manè.

Item diximus, quòd si Clericus capiatur quacumque ex causa, & Ecclesia eum requirat, reddi debet Ecclesiæ. Et si convictus fuerit de furto, vel de homicidio, degradabitur, & exulabit à terrâ, nec aliter pro delicto illo punietur, nec poterit postea intrare terram sine licentia Domini Regis, quin de eo fiat justitia. Si verò postea aliquid forisfecerit, Dominus Rex de illo faciet justitiam sicut de laïco.

Notum facimus prætérea, quòd jura Domini Regis & nostra, quæ nobis memoriæ occurrebant, sicut vidimus tempore Henrici & Richardi Regum ea observari, advocato consilio prudentum virorum, scilicet Richardi *de Villequier*, Richardi de Argentijs, Richardi de Fonteneto, & Radulfi *Labé*, & quorumdam aliorum, bona fide scripsimus, pro jure Domini Regis & nostro conservando. Et quia jura Domini Regis & nostra nobis memoriæ non occurrebant, & quia quidam de Baronibus Norman. præsentes non erant, decrevimus inter nos, quòd ad aliam diem conveniremus, & Barones absentes advocaremus, si Domino Regi placeret. Et tunc jura Domini Regis & nostra, quæ hìc scripta non sunt, per sacramentum nostrum scribemus. Huic autem scripto sigilla nostra dignum duximus apponenda. Actum Rotomagi anno Domini MCC V. mense Novembri, Dominicâ post octavam omnium Sanctorum.

HÆc & alia ejusdem generis optimates Normaniæ, ex quibus licet aliqua libertati Ecclesiasticæ derogasse videantur, ut illud quòd sententia excommunicationis in Barones & Baillivos, aut in servientes Regis, aut in Clericos domus ejus Rege non requisito, ferri non deberet. Perspicuè tamen ex his gravissimis & omni exceptione majoribus testimonijs deprehenditur, quanta tunc fuerit ejusdem Ecclesiasticæ libertatis apud potentiores laïcos veneratio.


CHARTA PRO REDDITIONE ECCLESIÆ DE ARNULFI-MONTE WALTERO Rotomagensi Archiepiscopo. Anno 1206.

Ex Archivo Capit. Rotom.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, **Willelmus** de Boëles *miles*, *salutem*.

NOverit universitas vestra me resignasse in manu Domini Walteri Rotomag. Archiepiscopi, & in perpetuum quietum clamasse Deo & B. Mariæ & Ecclesiæ Rotomag. & Roberto Osmundi ejusdem Ecclesiæ Canonico, & omnibus successoribus ejus in perpetuum, quicquid clamabam in Ecclesia de Arnulphi-monte & in præsentatione ejusdem Ec-

clesiæ. Hoc etiam jus quod clamabam coram eodem Archiepiscopo adversus prædictum Robertum Osmundi, voluntate spontaneâ abjuravi, pro me & hæredibus meis, apud Grandi-montem juxta Rotomagum in anno Incarnationis Dominicæ M CC. VI. Nonis Oct. Juravi etiam pro me & hæredibus meis quòd numquam aliquam querelam de præfata Ecclesia vel præsentatione ejusdem movebo; nec aliquis pro me, quem ego & hæredes mei possimus disturbare, sed omnes in prædicta Ecclesia per eumdem Robertum Osmundi Canonicum vel successores ejus ministraturos, ego & hæredes mei manutenebimus, Warantizabimus, & pro posse nostro contra omnes defendemus. Ut autem hoc ratum & stabile permaneat in perpetuum, præsenti scripto & sigilli mei munimine confirmavi, & hanc Chartam super altare majus in Ecclesia Rotomag. obtuli, præsentibus his & testibus Richardo Decano Rotomag. Radulfo filio Heroldi, & alijs.



DIPLOMA WALTERIJ ROTOM. ARCHIEPISCOPI Pro Abbatia de Vallo-monte.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit; Walterius, Dei gratiâ, Rotom. Archiepiscopus, salutem in Domino.

NOVERIT universitas vestra, quòd cum in causa, quæ vertebatur inter Abbatem & Conventum de Wallomonte, & Priorem & Conventum de Bello-loco, arbiter cum alijs quibusdam essemus constituti, super vicaria Ecclesiæ S. Joannis de Nova-villa, & Abbatiæ *de Walemont*, totam causam sententialiter adjudicassemus, & sententia ab utraque parte esset recepta; quia tamen rancorem deponere partes ad invicem ex toto non potuerunt, pro pace, etiam quorumdam laïcorum nobilium & potentum, qui preces suas in controversia illa interposuerant, volentes consulere tranquillitati Ecclesiæ *de Walemont*, volumus ut eadem Ecclesia res suas, alias salvas faceret, & gratiam ac dilectionem Prioris & Conventus sibi compararet. De communi ergo consensu partium, de bona voluntate, & spontaneâ, & nostrâ autoritate, constitutum est: ut Abbatia *de Walemont* retineat sibi in omnibus tertiam garbam. Prior verò altalagium habebit, & omnia ad illud pertinentia. Ita tamen, quòd Ecclesia de Bello-loco, annuatim persolvet Abbatiæ *de Walemont*, nomine pensionis, quadraginta solidos Andegavenses, scilicet ad Pascha 20 solidos, & ad Festum S. Michaëlis 20 solidos, solvendos. Et Prior fidelitatem Abbatiæ in præsentia nostra juravit, & quilibet Prior futurus jurabit. In Ecclesia autem prædicta habebit Canonicum suum, ut Ecclesiæ deserviat: & idem Prior omnia jura Episcopalia persolvet. Hæc autem facta sunt, salvo in omnibus jure Pontificali: præsentibus his, R. de Bello-loco, R. *de Briostel*, W. de Cornevilla, Abbatibus: R. de Burgo Acardi, & R. de Monte Leprosorum Rotomag. Prioribus: & R. de Piro Monacho Fiscanensi, magistro Roberto Balbo, Roberto de S. Nicolao, Capellano: & Richardo de Haya Canonico Rotomag. Magistro Joanne *Briton*, & Roberto filio Richardi, Clericis,

& multis alijs. Datum anno Incarnationis Dominicæ 1200. apud Rotomagum in octava S. Joannis Evangelistæ.

Ex Archivo Pratell.

Circa annum 1205. post Reduct. Norm. quæ cōtigit anno 1204

TRANSCRIPTUM LITERÆ PRÆLATORUM NORMANIÆ De Patronatu Ecclesiarum.

Excellentissimo Domino suo Philippo illustri Francorum Regi Serenissimo, Walterius Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, & Suffraganei sui Robertus Bajocensis, Willelmus Abrincensis, Lucas Ebroïcensis, Iordanes Lexoviensis, Vivianus Constantiensis, Sylvester Sagiensis, salutem & paratum in omnibus obsequium.

PRO salute animæ vestræ & prædecessorum vestrorum unanimiter requirimus, quòd de Ecclesijs vacantibus unde contentio est & contentio erit, super præsentatione earum recognitio fiat per quatuor Presbyteros & per quatuor milites; & Episcopus seu Archiepiscopus in cujus Diœcesi erit contentio super præsentatione Ecclesiæ, & Baillivus Domini Regis illius Diœcesis eligent bonâ fide Presbyteros & milites fideliores & legaliores quos poterunt invenire: & quatuor Presbyteri & quatuor milites jurabunt super sacrosancta, & Episcopus exinde sive Archiepiscopus examinabit quod ipsi octo dicent, ad quem debeat spectare donatio Ecclesiæ de jure Patronatus. Archiepiscopus verò sive Episcopus, & Baillivus Domini Regis singulos Presbyterorum & militum qui juraverunt pro recognitione, diligenter seorsum examinabunt unum post alium, & in quem major pars convenerit, ille habebit jus Patronatus; & si illi octo non possint scire ad quem deberet spectare donatio Ecclesiæ de jure Patronatus ipsius, dicent quis ultimam fecit præsentationem Ecclesiæ, & ille inde habebit saisinam: & si aliquis Clericus contra hujusmodi institutionem venire præsumeret, nos essemus in nocumentum eidem Clerico de querela ista. Et nos concessimus bonâ fide unanimiter, quòd nos hujusmodi negotium sine dilatione terminabimus, & si aliqua contentione inde emergente negotium ad Dominum Regem refertur, Dominus Rex inde faciet sicut viderit expedire. Nulla verò Ecclesia unde contentio fuerit, interim donari poterit ab Archiepiscopo vel Episcopo, antequam definitum fuerit sicut condictum est, nisi vacaverit per 6 menses, salvo etiam tunc jure Patronatus, & qui Patronatum obtinuerit. Archiepiscopus sive Episcopus super his non potest se exoniare, nisi habuerit exonium proprii corporis; & si exonium proprij corporis haberet, tunc loco sui mittet fideliorem & legaliorem quem posset invenire bonâ fide ad id faciendum. *Valete in Domino.*

RESPONSIO PHILIPPI REGIS.

NOS autem ad prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum Normaniæ petitionem id concedimus, & sicut his continetur firmiter volumus observari. Unde vobis præcipientes mandamus quatenus ita observetis & observari faciatis. Actum apud Gisortium anno Domini 1207 mense Octobri.

CONFIRMATIO COMPOSITIONIS FACTÆ Inter Priores & Conventus S. Laudi Rotomagensis, & Belli-loci in eadem Diœcesi.

Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filijs, ad quos præsens scriptum pervenerit, Walterus Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, salutem.

AD universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quòd anno Incarnationis Dominicæ 1200. idibus Aprilis, facta est in præsentia nostra hæc compositio apud Rotomagum, inter Priorem & Conventum S. Laudi Rotomagensis, ex una parte: & Priorem & Conventum Belli-loci, ex altera, assensu & voluntate Joannis de Pratellis, Fundatoris Ecclesiæ Belli-loci, videlicet: quòd Canonici Belli-loci, mortuo Priore suo, vel ad altiorem gradum promoto, vel quocumque alio modo cedente, de Conventu Sancti Laudi Rotomagensis, in Priorem, quem voluerint, tenebuntur eligere, excepto Priore. Et si Prior, & Conventus S. Laudi, infra quindecim dies, postquam requisiti fuerint, Conventui Belli-loci, quem sibi in Priorem elegerint, non concesserint: licebit Canonicis Belli-loci, de proprio Conventu, vel aliundè, quem voluerint, sibi in Priorem, ea vice, eligere; actum anno gratiæ 1200. Cùm super contentione, quæ inter Priorem & Conventum S. Laudi Rotomagensis ex una parte, & Priorem & Conventum Belli-loci ex altera vertebatur, super electione Prioris Belli-loci, quem ab administratione Prioratus Belli-loci, amoveri petebant: pro eo, quòd post appellationem legitimè interpositam ab ijsdem Priore & Conventu S. Laudi fuerat electus, sicut dicebant: super hoc etiam, quòd petebant, ut per electionem de aliqua persona de Collegio S. Laudi assumenda, providerent Ecclesiæ Belli-loci, de Pastore, secundum formam compositionis initæ inter Ecclesias memoratas, & super villa sancti Joannis de Novavilla, cum redditibus ejusdem villæ, & centum acris nemoris, sitis in circuitu Prioratus Belli-loci, & centum acris terræ, sitis inter dictum Prioratum & villam, quæ dicitur, *Bellevesque*, & super damnis arreragiorum: super quibus omnibus tam possessorum, quam petitorum intendebant in nos, Archiepisc. Rotomag. & Episcopum Constantiensem, sub hac forma facere compromissum, quòd nos pro voluntate nostra, hanc & has ordinemus, quòd super causis prædictis & earum appenditijs nobis placuerit ordinare. Nos prudentum virorum habito consilio, pensatâ utilitate utriusque Ecclesiæ; statuimus & ordinamus, quòd rata manente electione Prioris Belli-loci, qui nunc est, quotiens in posterum apud Bellum-locum, Prioris fuerit electio celebranda, Conventus Belli-loci diem electionis, per octo dies ante, Priori & Conventui S. Laudi teneatur per literas Capituli nunciare: ad quam diem Prior & Conventus S. Laudi, tres de suo Collegio, alios à Priore, cum literis Capituli & Prioris, poterunt

ſi voluerint deſtinare. Qui cùm ad diem electionis venerint ad eligendum cum ceteris Conventus Belli-loci admittentur ab eis, & erunt dicti tres cum alijs de gremio utriuſlibet Eccleſiæ, eligent in Priorem, quem ſecundum Deum viderint expedire : vel aliundè de perſona idonea providebunt Eccleſiæ memoratæ. Ita quòd Canonici S. Laudi, quantum adhoc, quòd aliquis eorum eligatur in Priorem Belli-loci, cenſebitur quaſi eſſet de gremio Belli-loci. Dicti etiam tres Canonici S. Laudi, in negotio electionis, idem per omnia jus habebunt, ac ſi eſſent Canonici Belli-loci. Excepto, quòd ſi omnes Canonici Belli-loci in negotio electionis, per viam compromiſſionis unanimiter voluerint procedere, per Canonicos S. Laudi, nequaquam poterunt impediri. Ita tamen, ut unus ex illis tribus, quem Conventus Belli-loci duxerit eligendum, erit Commiſſarius cum alijs de dicto Conventu, quem ad hoc compromiſſarios (ſub quocumque numero voluerint) Capitulum Belli-loci duxerit eligendos, quorum majoris partis dicto, ceteri compromiſſarij non poterunt obviare. Statuimus etiam & ordinamus, quòd dicti Prior & Canonici Belli-loci pro quibuſdam rebus temporalibus ſuperiùs annotatis, quæ petebantur ab eis, 80 libras Turonenſes Priori & Conventui S. Laudi ſolvere teneantur, ſcilicet, triginta libras infra octavam inſtantis Nativitatis Domini, & triginta infra octavam Nativitatis ſequentis, & viginti libras infra octavam Nativitatis tertiò ſecuturæ; ſub pœna centum ſolidorum Turonenſium pro ſingulis terminis, in quibus dicti Canonici Belli-loci à ſolutione ceſſabunt prædictis Priori & Canonicis S. Laudi, integrè perſolvendis. His autem (quæ ſuperiùs ſunt notata) utramque partem volumus & ordinamus eſſe contentam : ita quòd Eccleſia S. Laudi nullum aliud jus ſpirituale vel temporale, nec ſexaginta ſolidos Turonenſes annui redditus, quos Canonici Belli-loci eis, ratione cujuſdam compoſitionis, aliquando perſolverunt, nec aliquid pro atreragijs, aut expenſis, petere poterunt à prædictis Canonicis Belli-loci. Ad cujus rei confirmationem, præſenti ſcripto ſigilla noſtra dignum duximus apponenda. Datum anno Domini 1202. die Lunæ proximâ ante Nativitatem B. Mariæ.

EXtant 2 apud Rogerium Hoüedenum Epiſtolæ ; prima Clericorum Rotomagenſis Eccleſiæ ad Walterum Archiepiſcopum, altera verò ejuſdem Galterij ad Dunelmenſem Epiſcopum de captione Richardi Regis, quas, cum ad res noſtras minimè ſpectent, ommittimus.

EPISTOLA VIVIANI EPISCOPI CONSTANTIENSIS
De Regalia Archiepiſcopatus Rotomag. non percipienda.

Poſt obitum Galteri.

Reverendo Domino ſuo Philippo Dei gratiâ Sereniſſimo Francorum Reg. V. eadem gratiâ Conſtantienſis Epiſcopus, ſalutem in eo qui dat ſalutem.

INTELLEXIMUS ex teſtimonio virorum fide dignorum quòd Archiepiſcopo Rotomagenſi decedente, cura bonorum omnium temporalium & ſpiritualium

lium quæ ad Archiepiscopum jure quolibet pertinebant, ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ sine contradictione qualibet devolvebantur, in quod nec Regi Anglorum, qui tunc in Normania dominabatur, nec ipsius servientibus licebat manum apponere in res ad Archiepiscopatum aliquo modo pertinentes. Unde Excellentiæ vestræ, quantâ possumus precum instantiâ supplicamus; quatenus sicut consuevistis libertates dictæ Ecclesiæ Rotomagensis, quas & de jure & de consuetudine approbata hucusque obtinuit, sicut ad vestrum spectat honorem & salutem, fideliter & inviolabiliter observare velitis. *Bene valete in perpetuum.*

---

53 * ROBERTUS PULLUS, seu POLANUS, cujus præclarum istud elogium merita invenerunt, quod paucis multa dicit.

*Gal-tero

Isti * *successit Præsul* ROBERTUS, *egenos*
Veste, cibis recreans, Cleri defensor, amator
Juris, in Ecclesijs devotus, atroxque tyrannis.

Is unus ex Regni Antistitibus fuit, qui fidei zelo succensi sacræ contra Albigenses Hæreticos militiæ nomen dedere.

Extant varia Innocentij III. ad eum Diplomata. Primò antiquas & rationabiles consuetudines, quas Archiepiscopus Rotomagensis habere dignoscitur in Monasterijs suæ Diœcesis non exemptis, ratas habet & confirmat. Capitulo suo decimam proventuum Excambij * concessit. Concordiam inijt cum Abbatissa Monasterij-Villaris super difficultates de Jurisdictione prædicti Monasterij obortas. Tandem obijt post multa Ecclesiæ suæ præstita beneficia vir simplex, mansuetus & pius, & in Cœnobio Mortui-maris sepultus Non. Maij 1221.

*Andeliacensis.

EPISTOLA INNOCENTIJ III. PAPÆ ROTOMAGENSI ARCHIEPISCOPO*

*scilicet ROBERTO DE PULLO.

ARGUMENTUM

Super varijs Juris articulis consultus, respondet, de Tonsura data ab Abbate, de contestatione inter delegatos, & clausula si ita est, rescriptis apposita.

CUM contingat interdum quòd laïci ad Monasteria convolantes, à suis Abbatibus tonsurentur, Apostolicæ sedis oraculum requisisti, an Clericatus ordo in Tonsura hujusmodi conferatur. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus; quòd, cùm in * septima Synodo sit statutum, Lectori manus impositionem licentia sit unicuique Abbati, in proprio Monasterio solummodo faciendi, dummodo ipsi ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum manus impositio facta noscatur, * & constet eum existere Sacerdotem: per primam Tonsuram à talibus Abbatibus juxta Ecclesiæ formam datam, Clericalis ordo confertur. Præterea cùm quidam super aliquo litigantes; ad diversos judices literas impetrant, quorum quidam obtenti à parte altera tibi mandant, ut partem adversam denunties excommunicationis sententiæ subjacere, alijs judicibus tibi postmodum injungentibus, ut eamdem denunties absolutam. Quæris à nobis, an utrisque vel neutris, vel alterutris saltem, obedire debeas in hac parte. Super quo tuæ pru-

*cap. 14 Nicæn. 2.


*Abbas si Presbyter sit & ab Episcopo benedictus, Clericatum &

minores ordines, in suo Monasterio solummodò, conferre potest: de eo vide Gratianum.

dentiæ respondentes, credimus distinguendum: an cùm primum mandatum recepisse dignosceris, tibi forsan innotuit inter illos, & alios super jurisdictione discordiam suscitatam; an super hoc nihil omnino scivisti. Et quidem si super contentione hujusmodi, nihil tibi penitus innotescit, cùm primum mandatum recipere te contingit, illud debes humiliter executioni mandare. Sed si postea contrarium tibi ab alijs demandetur, tunc literarum ad utrosque à sede Apostolica obtentarum copiâ postulatâ, quas autoritate præsentium districtè præcipimus exhiberi; si ex ipsarum tenore deprehenderis evidenter, ita quòd non sit aliquatenus hæsitandum, quòd literæ, quæ ad illos à quibus secundum mandatum receperas impetratæ noscuntur, expresè revocent literas aliorum, tu illud intrepidus exequaris, quod secundò tibi loco mandatur. Si verò ex literarum inspectione manifestè tibi constet, quòd literæ obtentæ ad illos qui primum dedere mandatum, per alias minimè revocantur, secundum mandatum nullatenus exequaris. Quòd si super hoc tibi fuerit meritò dubitandum, ad exequendum secundum mandatum te procedere non oportet, donec juxta cujusdam nostræ constitutionis tenorem, inter eos hujusmodi contentio sopiatur; & id ipsum facere debes, si primo mandato recepto, & nondum executioni mandato, tibi forsitan innotuerit, quòd inter se, super jurisdictione videlicet demandata, cœperint disceptare. Ceterùm in his omnibus puram & providam te convenit intentionem habere, ne vel ad declinandum mandatum dubitare te dicas, ubi dubitandum non est, vel ad mandatum etiam exequendum te asseras esse certum, ubi certus esse non debes. Licèt autem ex his certa tibi detur doctrina, qualiter in hujusmodi debeas te habere: nulla tamen attribuitur potestas, ut inter delegatos, aut partes, * de jurisdictione debeas judicare. Insuper requisisti, cùm quis conqueritur in se à suo Episcopo post appellationem ad nos legitimè interpositam, vel aliàs injustè excommunicationis sententiam promulgatam; & nos judicibus damus nostris literis in mandatis, ut, si ita est, vel juxta formam Ecclesiæ, illis beneficium absolutionis impendant, vel eamdem sententiam denuntient nullam esse, ac Episcopus paratus sit probare, se in illum, antequam vocem appellationis emitteret, vel aliàs justè hujusmodi sententiam protulisse: an probationibus non admissis, judicibus liceat excommunicatum absolvere, vel denuntiare sententiam nullam esse. Ad quod, tibi taliter respondemus: quòd supra jamdicto casu non consuevimus, si bene meminimus, sub præscripta forma judicibus scribere, sed sub ista. Ut videlicet, si excommunicationis sententiam post appellationem ad nos legitimè interpositam invenerint esse latam, ipsam denuntiantes penitus nullam esse, audiant si quid fuerit quæstionis, alioquin receptâ juxta formam Ecclesiæ cautione, impendant absolutionis beneficium conquerenti; & injuncto sibi quod de jure fuerit injungendum, audiant causam, & eamdem fine debito terminare procurent. Sed si forsan appareat, nos in jamdicto casu, sub prænotata quandoque forma scripsisse, & in altero utique casuum prædictorum, cùm videlicet quis conqueritur se, post appellationem ad nos legitimè interpositam, excommunicatione fuisse notatum; semper utriuslibet partis probationes sunt admittendæ, antequam

** Executor nullam habet de judicum jurisdictione cognoscendi potestatem*

ad decernendum super hoc aliquid procedatur; per quas denique apparebit, an absolutione indigeat conquerens, vel denuntiandus sit potiùs non ligatus. In reliquo verò casu, cùm videlicet excommunicatum quis se asseverat injustè, vix unquam ejus est, antequam absolutus fuerit, probatio admittenda: nisi tunc tantùm, cum asserit in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum, ad quod probandum admittitur, antequam absolutionis gratiam consequatur. Verùm si proponat se simpliciter excommunicatum injustè, ac Episcopus ad probandum quod justè ipsum excommunicaverit, suas postulet probationes admitti; non est ante absolutionem illius aliquatenus audiendus, cùm, etsi pro certo constaret in illum rationabiliter excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus ei esset absolutio secundùm formam Ecclesiæ impendenda humiliter postulanti. Et ideo in hoc casu illum credimus juxta formam Ecclesiæ protinus absolvendum, ut sic demum probationibus utriusque partis admissis, utrum justè, an injustè ligatus fuerit decernatur. Datum Laterani, Kalend. Septembris, Pontificatus nostri anno 13.



BULLA HONORIJ III. PAPÆ
Ad Robertum Rotomag. Archiepiscopum & Suffraganeos. *Anno 1219.*

Ex Archivo Cathedralis Ecclesiæ.

Honorius Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Rotomagensi & Suffraganeis ejus, & dilectis filijs ceteris Ecclesiarum Prælatis in Rotomagensi Provincia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

EXPECTAVIMUS hactenus expectantes, si monitis & Statutis Concilij Generalis exculta vinea Domini Sabaoth floruisset, si Aaron virga turgentibus gemmis erupisset in flores, & dilatis folijs amigdala produxisset, si germinassent mala punica, & ficus produceret grossos suos, quia ficus præcoquas anima sponsi desiderat, & sponsa diligit botros Cypri. Sed ecce quod dolentes dicimus, ante messem seges effloruit, & vinea ferè tota, & ficus ac virga magis aruit, & vindemiator manum ad cartallum non revocat, sed semper sic vindemiat, quòd post vindemiatores racemos aliquos colligere vix valeamus. Nam unusquisque ferè in viam suam abijt & ad negotiationem suam revolat, à Regis nuptijs damnabiliter se excusans. Jam quidem ministri altaris sicut jumenta non solùm in stercore computrescunt, sed peccata sua sicut Sodoma prædicant, nec abscondunt, facti ruina & laqueus populorum. Quidam etiam Ecclesiarum Prælati, qui gladios ancipites in manibus acceperant ad faciendam vindictam & increpationes in populis, errantes non corrigunt, membra putrida non excidunt, à caulis oves contagiosas & morbidas non excludunt, vulnus, livorem & plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel emplastro: propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus nec resi-

na. Proinde in consilium subditorum venire anima Prælatorum convincitur, dum ijdem proximorum vitijs non resistunt, sicque manus mulierum - - - - - - - - - - - parvulos suos coquunt. Ij etiam bona sibi commissa dissipant & consumunt, dispergunt Sanctuarij lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, pernitiosis Ecclesiastica stipendia largiuntur, in suis Ecclesijs conventicula de sanguinibus congregantes. Tales quidem non attendunt quòd Hely filios suos palpans de sella retrorsum cecidit, & principes populorum quia non cohibebant Hebræos initiantes Beëlphegor, & cum Madianitis in eorum oculis coëuntes, præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem, quia cum de manibus Prælatorum negligentium sanguis exquiritur pereuntium subditorum, dum fortioribus instat fortior cruciatus, fit durum judicium ijs qui præsunt. Claustrales autem plurimi qui fregerunt jugum, ruperunt vincula, qui etiam sicut stercus terræ jam contemptibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant, Capitula juxta Concilij Generalis Statutum non celebrant ne in lucem prodeant opera tenebrarum, & à lumine arguantur. Propter hæc siquidem hæreses invalescunt, quia cùm perpauci hodie murus æneus vel columna ferrea sint Prælati, vix est qui se murum opponat pro domo Domini, ascendentibus ex adverso, eo quod conscientia remordente, dum canes muti projectum ranunculum in os habent, & sunt quasi baculus arundineus jam confractus, nec latratu, nec baculo arcent lupos dilacerantes Ecclesiam, & in ipsam ululatus validos emittentes. Cùm igitur non possimus dissimulare de cetero, vel conniventibus oculis pertransire tantum Cleri contagium & populi Christiani discrimen, quod procedit & proficit ex negligentia Prælatorum evacuantium per incuriam & torporem Sanctiones Canonicas, & Statuta salubria Concilij Generalis, increpationis securim comminantem, excidium nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus, confossæ ficulneæ cophinum stercoris apponentes, antequam maledictionis gladio feriatur & areat, si fructum non fecerit in futurum jam diutiùs expectata.

* fortè absque misericordia

Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus quatenus præteritam negligentiam novo studio removentes, per sollicitudinem geminatam, sic præfati Statuta Concilij, & illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservetis & faciatis à vestris subditis inviolabiliter observari, quòd possitis exinde laudem consequi & æterna præmia promereri. Nec quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur contra desides & remissos. Invigiletis autem propensius ad Hæreticam pravitatem vestris finibus, si forsan irrepserit, penitus extirpandam, quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, & ut draco de cœlo stellas detrahit, & mulieri tendit insidias, cupiens filium quem concipit, devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri proximo vel amico, qui Statutis Concilij vilipensis, morum vel vitæ abjicit honestatem, vel non observat in Tonsura, vestibus, & alijs modestiam Clericalem. Præcaventes sollicitè ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam vestrum permittatis habere plures personatus, seu Parochiales Eccle-

ſias habitas poſt Concilium Generale, quibus cura ſit animarum annexa: niſi forſan ſuper hoc habeat indulgentiam ſedis Apoſtolicæ ſpecialem: Abbates verò nigri ordinis* celebrare hoc anno Provincialia Concilia non omittant, prout extitit in præſcripto Concilio ſtabilitum. Et ut bonorum ſtudium commendare poſſimus & punire negligentiam perverſorum, ſuper hoc ab illis certiorari volumus & mandamus. Sanè cum olim vas aureum mannâ plenum Chriſti corpus deitatem continens præfigurans in arca fœderis auro tecta, infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, ut mundè in loco venerabili ſervaretur, dolemus plurimum & triſtamur quòd in pleriſque Provincijs Sacerdotes Sanctiones Canonicas, imò divinum judicium contemnentes, ſacram Euchariſtiam incautè cuſtodiunt & immundè ac indevotè contrectant, quaſi nec creatorem timeant vel recreatorem diligant, nec judicem omnium expaveſcant. Quamquam Apoſtolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, vel ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, aut ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit, quàm tranſgreſſorem legis Moſaïcæ, qui mortis ſententiâ plectebatur.

* S. Benedicti

Ne igitur de cetero propter incuriam Sacerdotis in indevotos divina indignatio graviùs exardeſcat, diſtrictè præcipiendo mandamus quatenus à Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo etiam & ſignato ſemper honorificè collocata devotè ac fideliter conſervetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut cùm in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, quilibet reverenter inclinet. Idem faciens cum ipſam portat Preſbyter ad infirmum, quam in decenti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat & referat manifeſtè, ac honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, ſemper tamen lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujuſmodi mandati graviter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi divinam & noſtram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unuſquiſque ut ſic mandatum noſtrum juxta ſuſceptum officium exequatur, quòd nemo coronam ejus accipiat, vel de ſuo loco ejus candelabrum amoveri contingat, ſed potiùs mereatur coronari gloriâ & honore. Datum Viterbij 12. Kal. Decembris. Pontificatus noſtri anno 4.

ROBERTI ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI fœdus initum cum Rege. Anno 1217.

Ex Tomo 6 Spicilegij.

Vniverſis Chriſti fidelibus ad quos præſentes literæ pervenerint, R. Dei gratiâ Rotomagenſis Archiepiſcopus, in Domino ſalutem.

NOVERITIS nos Domino noſtro cariſſimo Philippo Regi Francorum illuſtri conceſſiſſe, ut quotieſcumque Baillivi ſui capitales mandabunt Decanis noſtris quòd ipſi veniant, quilibet eorum, videlicet cum quatuor Preſbyteris, ad faciendum recognitiones Eccleſiarum, de qui-

bus dubitatum fuerit ad quos jus pertineat patronatus, & ad removendos fugitivos ab Ecclesijs secundùm usus & consuetudines Normaniæ, volumus & præcipimus, quòd prædicti Decani cum Presbyteris, sicut superiùs est expressum, veniant ad diem à Baillivis D. Regis sibi ad faciendum hæc assignatam. Quòd si super hæc deficerent, volumus & concedimus quòd singuli eorumdem Decanorum pro singulis defectibus ad emendam persolvant novem libras, quas domus leprosorum Rotomagensium habebit sine relaxatione. Ita quòd nobis vel mandato nostro reddi non poterunt novem libræ nisi ad opus dictorum leprosorum. Præterea concessimus quòd placita Judæorum teneantur in villa de Deppa contra homines de Deppa, sicut solebant teneri tempore Galteri Archiepiscopi Rotomagensis, & tempore Domini Regis Philippi usque modò. Concessimus etiam ob amorem Domini Regis quamdiu nobis placuerit, quòd nos vel Officialis noster non excommunicabimus capitales Baillivos Domini Regis Domino Rege super hoc non requisito, dantes eisdem quindecim dies de respectu*, nisi ijdem Baillivi teneant Clericum tonsuram habentem, vel catalla ejus, quæ reddere nollent nobis vel Officiali nostro. Et concessimus quòd nos inquisitionem factam per Episcopos & Barones, & alios fide dignos, super articulo isto in proximo scacario Paschæ tenebimus & observabimus.

* G al. respit,

Item petivimus, & Dominus Rex concessit nobis, quòd inquisitio fiat quales redditus & quales consuetudines Archiepiscopus Galterus habuit in portu* Archellarum ratione forestæ Alacris-montis. Et nos ob amorem Domini Regis volumus & concessimus quòd Haïa archiarum sit immunis ab his consuetudinibus quocumque modo fiat inquisitio. Item concessimus ob amorem Domini Regis, quòd quamdiu vendi faciet grossum & magnum nemus Novi-Castri & Luciaci, cum minuto sub eo existente, censarij nostri *d'Aliermont* non ibunt ad vendendum nemus apud Novum-Castrum de assensu vel de præcepto nostro; & si irent, nos eos exinde non garantizaremus. Et si Dominus Rex non faceret vendi in boscis Novi-Castri & Luciaci, sicut prædictum est, ipsi censarij possent ire per viam antiquam ad vendendum nemus apud Novum-Castrum. Præterea ponimus in bona sufficientia inquisitionem de villa *de Douvrent* & de præbendis Gornaij. Itaque quando Domino Regi placuerit, faciet inquiri de jure nostro, & inde faciet voluntatem suam. Actum anno gratiæ 1217. sexto Kalend. Aprilis.

* d'Arques.

PHILIPPI AUGUSTI
Decreta de Judæis. Anno 1218.

Ex Tomo 6. Spicilegij.

HÆC est constitutio quam fecit Dominus Rex de Judæis potestatis suæ anno Dom. MCCXVIII. mense Februarij. Nullus Judæus ab octavis Purificationis Beatæ Mariæ inantea mutuo tradet alicui Christiano qui proprijs manibus laboret, sicuti sunt agricola, sutor, carpentarius, & hujusmodi, qui non habent hæreditates vel mobilia unde pos-

ſint ſuſtentari, niſi proprijs manibus: nec debitum curret ultra annum à mutuo facto: & libra non lucrabitur per ſeptimanam niſi tantùm duos denarios.

Item nullus Judæus mutuo tradet Monacho vel Canonico Regulari, niſi de aſſenſu Abbatis & Capituli ſui, & per literas ſuas patentes: nec alicui Religioſo ſine aſſenſu Capituli ſui cum literis ſuis patentibus.

Item nullus Judæus accipiet in vadium ornamentum Eccleſiæ, aut veſtimentum ſanguinolentum aut madidum, aut ferrum carrucæ, aut anim alia carrucæ, aut bladum non ventilatum.

Item ſi aliquis Judæus Militi, vel Burgenſi, ſeu Mercatori mutuo pecuniam tradiderit, pro debito ſuo accipiet aſſignamentum à debitore hæreditatis tenementi, vel redditus per aſſenſum domini de quo debitor tenet; & ſi debitor violentiam fecerit de aſſignamento, uſura curret quamdiu durabit violentia poſt clamorem Judæi: & ille qui violentiam fecerit, Domino Regi emendabit, & ex quo factum fuerit aſſignamentum, non curret debitum, niſi facta fuerit violentia, ut dictum eſt.

Item Judæi Normaniæ coram Baillivo ſuo in aſſiſijs quæ habent recordationem, vel coram Baillivo præſentibus decem Militibus, habebunt recordationem debitoris de ſumma debiti, & de aſſignamento, ut ibi inrotulentur tam debita quàm aſſignamenta. Si verò abſente Baillivo factum fuerit aſſignamentum, & debitor noluerit venire coram Baillivo & decem Militibus, vel in aſſiſia, ſicut dictum eſt, ſi Judæus id probaverit per teſtes legitimos Chriſtianos, Baillivus compellet debitorem & garentos nominatos coram ſe & decem Militibus, vel in aſſiſia ad faciendam recordationem, & inrotulationem tam debiti quàm aſſignamenti. Si Miles vel alius quicumque fuerit, voluerit in vadium ponere equum ſuum, vel veſtimenta, vel alias res mobiles quæcumque fuerint, Judæo licebit accipere, ſed Dominus Rex ſuper hoc ſe non intromittet. De debitis mutuatis ante Purificationem non compelletur debitor, aut ejus plegius, vendere hæreditatem ſuam aut redditus ſuos; nec propter hoc capientur corpora eorum, ſed aſſignabuntur Judæo duæ partes hæreditatum aut reddituum tam debitoris quàm plegij, & de tertia parte vivent: nec propter hoc capientur animalia carrucæ debitoris aut culturæ, aut alia utenſilia domûs ſuæ. Omnes debitores tam Franciæ quàm Normaniæ, qui non habent hæreditates, vel mobilia unde poſſint ſuſtentari, niſi laborent proprijs manibus, habent reſpectum trium annorum ad ſolvendum debita ſua, faciendo ſecuritatem de quolibet tertio ſingulis annis reddendo.




DIPLOMA ROBERTI PULLANI ROTOM. ARCHIEPISCOPI Pro Abbatia Bellæ-ſtellæ. Anno 1217.

Ex Chartul Abbat. Bellæ-ſtellæ.

Omnibus Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, Robertus Dei gratia Rotomagenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino.

EX officio noſtro tenemur, virorum religioſorum noſtræ Provinciæ indemnitatibus, piâ ſollicitudine providere: & ut ſecuriùs Omnipotenti Deo valeant famulari, ea, quæ ipſis piè, & juſtè collata ſunt, autoritate noſtrâ, benigniùs confirmare: Eapropter, dilectorum filiorum, Abbatis & Conventus ſanctæ Mariæ de Bella-ſtella, Præmonſtratenſis Ordinis, juſtis precibus annuentes: locum in quo fundata eſt Abbatia eorum, & Capellam ſancti Jacobi in monte Sereſeij ſitam, cum omnibus ipſius pertinentijs, & omnia alia, quæ Henricus de Bella-fago Miles, ejuſdem Abbatiæ Fundator, eis contulit intuitu caritatis: & inſuper omnia alia, quæ ab alijs Chriſti fidelibus, tam in Eccleſijs, quàm in rebus alijs, antedictis Canonicis miſericorditer ſunt conceſſa: ſicut piè & juſtè eis collata ſunt, & in chartis Donatorum pleniùs continentur: & alia, quæ in poſterum ex collatione fidelium, ſeu alijs juſtis modis, auctore Domino, poterunt adipiſci: ſub noſtra, & Eccleſiæ noſtræ protectione ſuſcipimus, & autoritate noſtrâ confirmamus, & præſentis ſcripti, & ſigilli noſtri patrocinio communimus: ſtatuentes, & diſtrictiùs inhibentes, ne quis ſuper his, quæ Canonicè fuerint aſſecuti, eos indebitè vexare aut moleſtare præſumat: quod ſi facere præſumpſerit, Eccleſiaſticâ cenſurâ ſe cognoverit percellendum diſtrictiùs. Datum apud Abbatiam de Lucerna, Anno gratiæ 1217. 2. Idus Auguſti.

Sententiam Gallonis eo loci ponendam duximus, quòd anno 1208. ab eodem habitam fuiſſe conſtet, licet in veteri collectione Synodorum Rotomag. poſt nova præcepta Petri de Colle-medio poſita fuerit, & quam nobis nova Conciliorum Editio exhibet, tribus ſit capitulis auctior, eam ideo ſequimur.



Circa annum 1208.

CONSTITUTIONES GALLONIS S. R. E. CARDINALIS.

Index Capitulorum.

& faciant observari.
VIII. *Ut cum magistris & scholaribus agatur indulgentiùs.*
IX. *Ut iidem, si sæpiùs admoniti, resipiscere noluerint, excommunicentur.*
X. *Ut magistri prædicta diligenter exequantur.*

CAPITULA.

I



IN nomine Domini, nos Gallo, miseratione divinâ S. Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, excommunicamus omnes Sacerdotes & Clericos quoscumque, qui post legitimam admonitionem, focarias vel mulieres alias, de quibus mala suspicio suboriri possit, in domibus proprijs, vel alibi, unde populus vel Ecclesia scandalizetur, duxerint retinendas : nisi sint Clerici qui in minoribus Ordinibus legitimè contraxisse probentur, qui cum uxoribus, Ecclesiastica non debent beneficia retinere. Moneantur quoque ne matres vel uxores, aliasque conjunctas personas secum habeant; cum quibus etsi nihil sævi criminis fœdus naturale existimari permittat, tamen frequenter, suggerente diabolo, cum talibus noscitur fuisse facinus perpetratum.

II.

Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne Sacerdotes vel Clerici occasione alicujus consuetudinis, pro baptismo, sepultura, benedictione, alijsve sacramentis Ecclesiasticis, aliquid exigere vel extorquere præsumant; sed ea liberaliter & sine difficultate studeant canonicè ministrare. Moneantur tamē laïci diligenter, ne quod pro reverentia sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare.

III.

Item & prohibemus ne Sacerdotes de cetero cappis manicatis utantur : & ne constituti in sacris Ordinibus manicas consutitias, sotulares rostratos, vestesque rubri coloris habeant, districtione consimili prohibemus.

IV.

Decanis quoque, Archipresbyteris, & Archidiaconibus, ne vestes rubri coloris, vel virides habere præsumant : & specialiter Archidiaconibus & præpositis qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas.

V.

Monachi etiam ut cappis sumptuosis, & non nigris de cetero

non utantur, ſub eadem pœna duximus inhibendum.

VI.

Inhibemus etiam omnibus tam Clericis quàm Monachis ſub excommunicationis vinculo, ne fœnus exerceant: & ne aliquam negotiationem exerceant inhoneſtam, prohibentur diſtrictè.

VII.

Ut autem ab omnibus, in Tonſura, habitu, & converſatione, honeſtas Eccleſiaſtica conſervetur: diſtrictè præcipimus univerſis Prælatis, ſub atteſtatione divini judicij, firmiter injungentes, ut omnia ſupradicta obſervent; & quantum in ipſis fuerit, faciant à ſubditis, monitione præmiſſâ, per cenſuram Eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari.

VIII.

Volentes autem, quantum cum Deo & honeſtè poſſumus, magiſtris & ſcholaribus deferre: eatenus erga ipſos rigorem, ſi quis eſt noſtræ conſtitutionis, duximus temperandum, ut antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per magiſtros, & comminatio excommunicationis in tranſgreſſores. Quibus præmiſſis, ſi qui fortè contumaces & rebelles extiterint: iterum & nominatim ſub eadem comminatione & in ſcholis moneantur, indultâ nihilominus ad ſatisfaciendum dilatione competenti.

IX.

Quòd ſi fortè nec taliter reſipiſcere voluerint, ex tunc per Cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuntientur, & tamdiu ab omnibus evitentur, donec ſatisfecerint competenter, & ab Epiſcopo, ſi fuerit præſens; vel eo abſente, ab Abbate S. Victoris, cum forma Eccleſiæ fuerint abſoluti.

X.

Præcipimus autem magiſtris in virtute Spiritus ſancti, ut prædicta omnia, excepto tamen neceſſitatis excuſabilis articulo, diligentiùs exequantur: ne per negligentiam vel malitiam aliquorum, noſtræ conſtitutionis autoritas contemnatur.

TRIA ultima capitula de ſunt in antiqua Collectione Synodalium inſtitutionum Rotomag. ut poſt ad ſtudium Pariſienſe ſpectantia, quæ tamen ex ultima Conciliorum editione hic ex integro dare placuit ne manca hæc ſententia videretur.



EPISTOLA PRO ELECTIONE THEOBALDI In Archiepiſcopum Rotomagenſem. Anno 1222.

Ex Archivo Archiepiſcopali.

Viris venerabilibus & amicis in Chriſto cariſſimis S. Audoëni & S. Catharinæ Abbatibus, & Priori S. Audoëni Rotomag. Gervaſius divinâ miſeratione dictus Epiſcopus Sagienſis, H. major Archidiaconus Remenſis, & I. Decanus Ambianenſis, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

Mandatum Domini Papæ recepimus in hæc verba.



Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Sagienſi, & dilectis filijs majori Archidiacono Remenſi & Decano Ambianenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

DILECTI filij Decanus & Capitulum Rotomagenſis Eccleſiæ, ſuis nobis literis intimarunt, quòd Eccleſiâ ipſâ Paſtoris ſolatio deſtitutâ, ipſi, vocatis qui vocandi fuerant, & quibuſdam ſe excuſantibus, alijſque committentibus juxta formam Generalis Concilij vices ſuas, dilectum filium Theobaldum ipſius Eccleſiæ Theſaurarium, ſcientiâ, vitâ & famâ conſpicuum, in Paſtorem ſuum concorditer elegerunt. Quare miſſo nobis decreto ſingulorum ſubſcriptionibus roborato, electionis ſuæ confirmationem à nobis humiliter petierunt. Licet autem ipſi Eccleſiæ quantum poſſumus, favorem velimus Apoſtolicam exhibere; quia tamen Apoſtolica ſedes citra examinationis diligentiam non conſuevit electionem hujuſmodi confirmare, nec ex electoribus ipſius Theſaurarij, aliqui ad noſtram venerunt præſentiam, niſi unus; propter quod debitum habere nequivimus in ipſius electionis examinatione proceſſum, jam dicti Capituli preces exaudire non potuimus in hac parte. Volentes autem quantum honeſtè poſſumus parcere ipſorum laboribus & expenſis, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus examinata electione pariter & electo, ſi electionem ipſam inveneritis de perſona idonea, quæ tanto congruat oneri & honori, canonicè celebratam, illam autoritate noſtrâ, ſublato appellationis obſtaculo, confirmetis; ipſi Capitulo & Clericis, ac laïcis ejuſdem Eccleſiæ ſubditis injungentes, ut eidem electo reverenter obediant & intendant. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe. Tu ea Frater Epiſcope cum eorum altero, nihilominus exequaris. Datum Alatri 15 Kal. Junij. Pontificatus noſtri anno *6*.

CUM igitur hujus autoritate mandati citari præceperimus dictum electum, ut die veneris proximâ poſt feſtum B. Laurentij apud *Meullent* in Eccleſia S. Nicaſij coram nobis compareat, mandatum ſummi Pontificis

auditurus, & quod jus dictaverit recepturus: vobis eadem autoritate præcipimus & mandamus, quatenus dictum Decanum & Capitulum Rotomag. citetis, ut ad eamdem diem & ad eumdem locum coram nobis compareant, facturi coram nobis quod debuerint, & mandato Apostolico quantum in ipsis fuerit parituri: & quod exinde feceritis, nobis ad supradictam diem per vestras patentes literas rescribetis. Quod si non omnes contigerit vos interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Remis in crastino Translationis B. Benedicti.

---

54. THEOBALDUS, patriâ & cognomento Ambianensis, ex Thesaurario Rotomagensi à Capitulo concorditer electus, consecratur in Ecclesia, Anno Christi 1222. pridie Nonas Septembris. Recipit Pallium 4. Kalendas Februarij sequentis. Corpus sancti Laurentij Dubliniensis Archiepiscopi transfert Anno Christi 1226. 6. Maij. Moritur Anno Christi 1229. 7. Kalendas Octobris.

FRAGMENTUM.


Ex Chronico MS. Ecclesiæ Rotomagensis.

Anno 1227. HOC anno cùm Dominus THEOBALDUS Rotomagensis Archiepiscopus voluisset adducere marrenum apud Rotomagum quod fecerat fieri in foresta sua *de Loviers*, Baillivus de Valle-Rodoli * marrenum illud arrestavit, cujus factâ denuntiatione Episcopo loci, Episcopus illum excommunicavit. Ex hac occasione, seu excommunicatione Dominus Rex Franciæ traxit eumdem Archiepiscopum in causam coram se, dicens quòd injuriatus erat ei, eò quod fecerat Baillivum suum excommunicari eo inrequisito. Item conquerebatur de eo de hoc quòd idem Archiepiscopus ceperat foagium de Villeta, quæ est in Parrochia *de Loviers*, cùm illud foagium ad se pertineret ratione feodi, quod de ipso tenebatur, & miles qui istud tenebat ipsum advocabat Dominum. Item dicebat Dominus Rex quòd Archiepiscopus non debebat facere marrenum in foresta *de Loviers* ad usus aliorum maneriorum non tantum ad usus manerij *de Loviers*. Item conquerebatur Dominus Rex de dicto Archiepiscopo, eo quòd excommunicaverat Decanum, & quosdam Canonicos de Gornaco, qui sunt sub protectione ejus, & de Patronatu ipsius. Citari fecit Rex eumdem Archiepiscopum, quòd responderet, quare non veniebat ad Scacarium responsurus, & juri pariturus, de his quæ ei objicerentur, sicut alij Episcopi, & Barones faciebant in Normania. Propter istam causam fuit Archiepiscopus citatus coram Rege apud Vernonem, & comparuit: & dixit quòd non tenebatur respondere in Curia ipsius de istis causis, tum quòd quædam earum erant spirituales, tum quòd feodale nihil tenebat de eo, per quod teneretur respondere in Curia sua. De qua responsione Rex & Regina valde irati fuerunt, & recessit Archiepiscopus illis non pacatis.

* *Vaudreüil.*

Unde Rex convocavit plures Barones suos, & consuluit eos quid esset agendum super tali responsione Rotomagensis Archiepiscopi: Item citatus

fuit Archiepiscopus, & præsentibus Baronibus quæsitum fuit ab eo, si de aliqua re responderet in Curia Domini Regis, & responsum fuit quòd nihil audierat de quo teneretur respondere, quia nihil tenebat nisi puram Ecclesiam unde Dominium suum tenebat. Unde iratus Rex per consilium Baronum suorum confiscavit omnes Archiepiscopi possessiones sæculares. Unde Archiepiscopus habito tractatu cum Episcopis suis, omnia dominia & castella, quæ Rex habebat in Archiepiscopatu suo, interdicto conclusit, exceptis tantummodò civitatibus, & inde exulavit ad Curiam Romanam profecturus, & infirmitate detentus Remis, misit ad Curiam Romanam. Impetrato autem à Curia Romana quòd Legatus nomine Romanus, qui tunc veniebat ad partes Gallicanas, causam audiret, Archiepiscopo priùs restituto : & per rigorem justitiæ per Legatum Archiepiscopus plenariam habuit restitutionem mobilium & immobilium, cum fructibus inde perceptis ; & reportato in civitate Rotomagensi marreno per Castellanum de Valle-Rodoli, quod ipse arrestaverat, & Archiepiscopo reddito, ita remansit Archiepiscopus de omnibus istis querelis in pace ad laudem Domini nostri Jesu Christi.



CANONIZATIO S. LAURENTIJ DUBLINENSIS. *Anno 1225.*

Quo ritu peracta fuerit Canonizatio S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis per Honorium III. precibus & testimonio Theobaldi Archiepiscopi, & Capituli Rotomagensis Ecclesiæ.

Ex Archivo S. Mariæ Augensis Canonicorum Regularium S. Augustini, ubi sacrum ejus Corpus requiescit.

DEPORTATIS Reate scriptis & testimonijs, quæ per assertionem testium juratorum recepta fuerant ab Abbate venerabili Guidone (qui scilicet unanimi Capituli sui voluntate ad hoc negotium cum difficilibus laboribus, & expensis plurimis attentatum, sed nondum desideratum sortitum effectum, utiliter se accinxerat) Vigiliâ Apostolorum Simonis & Judæ cuncta summo Pontifici sunt oblata, qui mox ea Domno Nicolao Episcopo Tusculano, quem aliàs hujus negotij dederat auditorem, tradi fecit. Qui diligenter ea discutiens, & fideli librans examine, super his gaudere se plurimum & admirari professus est. Multis verò causis & impedimentis per dies plurimos intercurrentibus, tandem die præcedente vigiliam B. Nicolai ad audientiam & examen Domini Papæ & Fratrum Cardinalium omnia inquisitionum rescripta memoratus Episcopus retulit tam de miraculis quàm de vita : & penè parte diei tertiâ in legendo detentâ à Domino Honorio & Cardinalibus omnibus diligenti examinatione discussa sunt, approbata, & recepta. Cùm ergo tam Papa quàm Fratres voto unanimi hunc beatum virum dignè pro meritis Sanctorum catalogo decernerent protinus adscribendum, tunc propter absentiam Capellanorum Domini Papæ, Episcoporum, & ex-

traneorum, qui jam à curia tædio affecti recesserant, idipsum ad diem sequentem dilatum est. Congregatis verò in crastinum Cardinalibus, vocatisque ad Curiam Archiepiscopo Burdegalensi, Episcopis quampluribus, & personis alijs quæ pro negotijs varijs in Curia moram faciebant, recitata sunt breviter quæ de vita atque miraculis Confessoris Dei Laurentij relata fuerant & probata. Et consenserunt omnes illum Dei famulum, tantis testimonijs approbatum, Sanctorum esse numero dignissimè conscribendum. Tunc summo Pontifice de Camera procedente, cum jam in Kalendario beatum Laurentium scribi jussisset, convenerunt cum ipso in Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, Reatinæ civitatis Cathedralem, omnes absque differentia & numero quotquot locus suscipere poterat spaciosus, factoque silentio, de B. Laurentio brevem sermonem faciens, testimonia de eo in audientia omnium, iterum legi præcepit. Lectis igitur ab Episcopo Cardinali Nicolao prædicto, dictis testimonijs, sicut ipse per totam ferè noctem laborando exceperat, & fecerat annotari, omnes qui audiere, mirati sunt & gavisi: quippe qui per depositionem eorum inter cetera miracula, meritis B. Laurentij septem audierunt mortuos suscitatos. Factoque demum silentio, D. Papa exultanti animo subintulit in hunc modum. Quia Deus & Dominus noster Jesus Christus hujus beati Viri glorificationi nobis tam evidentibus innotuit argumentis, nos de ejus sanctitate tantis certificari miraculis, eumdem B. Virum catalogo Sanctorum adscribimus, & annumerandum decernimus sanctorum Collegio Confessorum. Ad hoc verbum summi Pontificis facta est non parva exultatio Cleri & populi, ipsoque *Te Deum laudamus* solemniter inchoante, ab assistentibus Capellanis & Clericis alijs altisonis vocibus in unam concordantiam finitum est; subjunctoque versiculo, dixit Papa Collectam.

D*A quæsumus omnipotens Deus, ut B. Laurentij Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas & devotionem nobis augeat & salutem.* Et subjunxit Diaconus Cardinalis: *Benedicamus Domino.* Sicque terminatis laudibus Canonizatio celebrata est.

Canonizato itaque S. Laurentio præmemoratus Abbas rediens cum literis superscriptis Bullatis in serico, quasi de cœlo veniens Angelus, die Conversionis S. Pauli solemniter & lætanter apud Augum est receptus, moxque in laudes & gratias patria commota est universa, & quasi nunc primò Sanctus, nunc potissimùm facturus miracula B. Laurentius videbatur. Unde suscitati omnes eum in suis incommodis & necessitatibus solito frequentiùs atque devotiùs invocabant. Nec frustrabat Dominus invocantes. Signa enim & miracula Dominus innovabat, quorum aliqua postmodum subjungentur. Adveniente etiam ad commune gaudium venerabili viro Theobaldo, qui tunc sedi Metropolitanæ præerat Rotomagensi, præfixus est dies in Octavis Inventionis sanctæ Crucis, quo sanctissimi Confessoris corporalis Glebula ad eminentiorem locum, cum honore transferretur, & invitatæ sunt ad hoc solemnium personæ quamplures Ecclesiasticæ dignitatis & sæcularis. Propinqua igitur ante statutum terminum quintâ die, prudenti, & majorum consilio provisum est, ut populo nesciente, subtilis & subterranea via fieret ad sepulchrum, & lumine supportato omni cum diligentia totius sacri Corporis re-

liquiæ levarentur absque diminutione, si posset fieri, alicujus vel minimæ portionis, hoc enim in die solemni indicto fieri non vacaret.

Præsente itaque Abbate Guidone & Conventu Augensi, Priore quoque S. Victoris Parisiensis Concanonico ejus, duobusque Canonicis Rotomagensibus, à Domino Theobaldo ad hujusmodi missis secretum, factum est quod prædixi. Sepositoque brachio dextro, sacroque capite, paucisque alijs particulis reservatis, involuta sunt reliqua in panno de serico forti & honesto, & desuper in sacco cervino decenter inclusa inibi reponuntur, terraque recluditur, quasi ibi manus hominum non fuisset.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCCXXVI. mense Maio. 6. Idus ejusdem mensis, juxta auroram Dominicæ diei, multis venerabilibus Ecclesiasticis & sæcularibus personis præsentibus levatum est de terræ abditis cum honore & reverentia Christi Confessoris egregij Laurentij sacrum depositum à piæ memoriæ Patribus Archipræsule Rotomagensi Theobaldo & Gaufrido Episcopo Ambianensi, & loco honesto usque ad horam diei primam involutum reservatum est. Circa verò horam diei tertiam infinito populo diversi sexus, ætatis & ordinis, qui convenerat ad diem festum, & præ multitudine numerari non poterat ex omni parte viam præcludente, sacri Corporis bajuli ad stationem in plateam ante Ecclesiam præparatam, auxilio & virtute præcedentium Baronum & Militum vix attingere potuerunt. Quo loco sermone habito, sanctum Corpus sicut prius dictum est involutum & in cistella nihilominus obseratum lignea, in majorem capsulam ad hoc utique præparatam spectante circumquaque populo reverenter illatum est. Allatum etiam sacrum caput, quod cum dextro brachio sepositum supra memoravimus, prædictus Rotomagensis Pontifex stans in medio turbarum circumquaque populis ostendebat, vertensque illud ad singulos desideratam videndi copiam devotis fidelibus exhibebat. Dehinc sacrum feretrum cum Corpore ad Ecclesiam reportatum cum magnis laudibus Salvatoris juxta majus altare dignè est collocatum, ubi ad merita Confessoris sui Laurentij declaranda miracula non desinit operari Jesus Christus.

EXtat in Archivo Rotomagensis Ecclesiæ Bulla Honorij III. universis Christi fidelibus in Rotomagensi Provincia constitutis, pro ejusdem S. Canonizatione anno 1225. data.

Compositio facta inter Theobaldum Rotomagensem Archiepiscopum, & Abbatem & Conventum de Alba-marla. Ordinis S. Benedicti. Anno 1228.

Ex Archivo Archiepiscopali.

ANNO Domini 1228 contentio inter Theobaldum Archiepiscopum Rotomagensem & Robertum Abbatem ac Conventum B. Martini de Alba-marla, habita de ordinatione Decanatus de Alba-marla, institutionibus quarumdam Ecclesiarum ejusdem Decanatus, emendis, & pro-

visionibus Ecclesiarum vacantium in eodem Decanatu, alijsque jurisdictionibus in hunc modum sopita est.

Quòd nos & successores nostri præsentabimus prædicto Archiepiscopo & successoribus suis, Presbyterum beneficiatum in eodem Decanatu, quem idem Archiepiscopus vel successores ejus, si idoneus fuerit, recipient in Decanum qui tam ipsis quàm nobis & successoribus nostris fidelitatis faciet juramentum super ijs in quibus tenebitur utrobique. Tenebitur autem ipse nobis & successoribus nostris facere juramentum super jure nostro in omnibus observando, & mandatis eorumdem pro posse suo fideliter exequendis. Et super medietate emendarum ex Decanatu provenientium eis reddenda, & nobis & successoribus nostris, super alia medietate similiter reddenda, & etiam fidelitate observanda. Amovebunt autem Archiepiscopus prædictus & ejus successores Decanum pro voluntate sua, cùm eum voluerint amovere. Et tunc nos & successores nostri alium ipsis præsentabimus sub forma superiùs annotata. Si verò sub obedientia & fidelitate quâ tenemur eidem Archiepiscopo & ejus successoribus, denuntiaverimus nos & successores nostri ipsis, Decanum insufficientem esse, vel malè in officio Decanatus se habere, ipsi ad denuntiationem nostram & successorum nostrorum ita factam eum tenebuntur amovere. Dictus verò Decanus de matrimonio, hæresi & sacrilegio, & alijs causis majoribus non cognoscet; de minoribus autem quæ ad ipsum venient cognoscet. Ita quòd motâ quæstione coram ipso, partes ad ipsius Archiepiscopi vel ejus successorum auditorium, vel Officialium eorumdem per solum appellationis diffugium poterunt evolare. Et tunc de principali ipsi non cognoscent, nisi postquam cognoverint quòd ad ipsos legitimè fuerit appellatum. Alioquin partes remittet ad examen Decani supradicti; per simplicem verò querimoniam ipsi tam de maioribus quàm de minoribus causis possint, & sine contradictione aliqua cognoscent. Dictus quidem Archiepiscopus nobis & successoribus nostris concessit institutionem Ecclesiarum Castri Aube-marlensis, & S. Martini *d'Ausby*, & S. Saturnini pro bono pacis. Ita quòd personas de ordinatione Rotomag. vel alterius ab ipso, vel eius successoribus licentiatas tantummodo tenebuntur instituere in eisdem, quæ post institutionem suam ipsis & eorum Officialibus fidelitatis & obedientiæ observandæ, & ad Synodum suam, & tam sua quàm Decani Capitula veniendi facient juramentum. Quæ si minus sufficientem habuerint sustentationem ad supplendum poterunt compelli per eosdem. Institutionem siquidem omnium aliarum Ecclesiarum quas reclamabamus in eodem Decanatu, & provisiones earumdem & omnem Episcopalem jurisdictionem ipsis in perpetuum remisimus absolutè, salvis nostris Patronatibus, quos obtinemus in eodem Decanatu, & portionibus decimarum & oblationum, quas obtinemus vel obtinere debemus in Ecclesijs ejusdem Decanatus.



EPISTOLA

EPISTOLA CONRADI SEDIS APOSTOL. LEGATI, Data in Concilio Parisiensi, adversus Albigenses celebrato Anno Christi 1223.

Venerabilibus Patribus Dei gratiâ Rotomagensi Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis Episcopis, salutem in Domino Iesu Christo.

DUM pro sponsa veri crucifixi vestrum cogimur auxilium implorare, potiùs compellimur lacerari singultibus, & plorare. Ecce quod vidimus, loquimur : & quod scimus testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum Hæresiarcham, quem Hæretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt Hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcassona oriundus, vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus Hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem & locum concessit in villa quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus in literarum suarum undique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum : Bartholomæus servus servorum sanctæ fidei, tali, salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat Episcopos, & Ecclesias perfidè ordinare contendit. Rogamus igitur attentiùs, & per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, & propensiùs obsecramus ; autoritate Domini Papæ, quâ fungimur in hac parte, districtè præcipientes, quatenus veniatis Senonis, in Octavis SS. Petri & Pauli proximo futuris. Ubi & alij Prælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto, & cum alijs, qui ibidem aderunt, providere super negotio Albigensi. Alioquin inobedientiam vestram domno Papæ curabimus significari. Datum * Planium * VI Non. Julij. *f. apud *for. VI Kalend.

---

§§ MAURITIUS, à pueritia Sanctimonialium eleemosynis educatus, primùm Archidiaconus Trecensis, ad Cœnomanensẽ postea Episcopatum speciali Dei providentiâ per duorum contendentium cessionem assumptus, inde ad Rotomagensem Metropolim Gregorij IX. autoritate translatus anno Christi 1231. recipitur eodem anno, die Dominicâ ante Festum B. Mariæ Magdalenæ. Vitæ austeritate, & liberalitate in pauperes clarus, moritur Salicosæ anno Christi 1234. in Octavis Epiphaniæ, & sepelitur in Ecclesia Cathedrali.

Ex Tomo 2 Spicilegij.

IN mense Maio constitutus in Curia Romana Decanus Rotomagensis *Anno* Thomas de Freavilla, in præsentia Fratrum renuntiavit electioni de se 1231. factæ in manu Domini Papæ ; ad cujus resignationem, Dominus Papa dedit Ecclesiæ Rotomagensi, Dominum Mauritium Episcopum Cœnomanen-

ſem in Archiepiſcopum & Paſtorem ; qui receptus fuit in eadem Eccleſiâ die Dominicâ ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ.

Anno 1253. In menſe Julij ſaiſivit Dominus Rex Ludovicus junior, Regalia Domini Rotomagenſis Archiepiſcopi, propter cauſas quæ expreſſæ ſunt ſuperiùs in tempore Theobaldi Archiepiſcopi, & propter quaſdam alias cauſas; propter quas Dominus Archiepiſcopus Rotomagenſis Mauritius ſuppoſuit totam Diœceſim Rotomagenſem interdicto : & incœpit interdictum à vigilia S. Michaëlis, & duravit uſque ad feſtum ſanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani anno revoluto, quia tunc ei reddita fuerunt bona ſua, cum omnibus quæ recepta inde fuerant tempore intermedio.

EPISTOLÆ MAURICIJ ROTOM. ARCHIEPISCOPI.

Mauricius univerſis Decanis in Rotomagenſi Diœceſi conſtitutis, ſalutem in Domino.

QUANTÙM ſollicitudo ac diligentia quam circa collectionem debiti præteriti Pentecoſtes impendiſtis fideliter & devotè, dignè debeat commendari, rei nobis exitus declaravit, cùm ferè totum debitum fuerit perſolutum, quod numquam aut rarò credimus contigiſſe. Verùm cùm ex præteritis ad ſpem futurorum ſimus uberiùs provocati, dilectionem veſtram requirimus & rogamus, quatenus cùm præfatum debitum non ſit integrè perſolutum, adhibeatis operam efficacem, ut primâ die plenè fiat ſolutio debiti memorati, tantam ſuper hoc curam & diligentiam adhibentes, quòd gratia quam propter prædictam diligentiam & ſollicitudinem eſtis conſequuti, diminutionem non ſuſtineat, ſed potiùs incrementum.

EPISTOLA II.

In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, Amen.

for. add. * libras *ve* ſolidos. CUM peteret coram nobis autoritate ordinaria I. à tali decem * annui redditus certo loco & competenti non habente curam animarum annexam, ad vitam præfati I. ſibi aſſignari, prout D. promiſerat, ut dictus I. dicebat. Tandem lite coram nobis legitimè conteſtatâ, inſtrumento quodam ex parte I. coram nobis exhibito : confeſſionibus in jure factis, die ad ferendam ſententiam aſſignatâ, præfato D. per procuratorem, & dicto I. perſonaliter comparentibus, & ſententiam inſtanter poſtulantibus, omnibus ritè peractis per procuratorem præfati D. nomine ejuſdem de bonorum virorum conſilio per diffinitivam ſententiam condemnamus ad aſſignandum eidem decem * annui redditus, prout ſuperiùs eſt expreſſum.


* libras *vel* ſolidos.



EPISTOLA III.

Archiepiscopus Rotomagensis universis Decanis.

CUM bona Rotomagensis Ecclesiæ, quibus nos pro voluntate sua minus justè Excellentia Regia spoliavit, & ob reverentiam Beatæ Virginis, in cujus honore eadem Ecclesia dignoscitur esse fundata, eidem fuerint ab antiquo collata, nósque Regiam Majestatem de novo duxerimus requirendam, ut eadem bona nobis restituere dignaretur; qui nec solùm monitioni nostræ satisfacere non curavit, sed nec super hoc certum voluit dare responsum: Vobis in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus; quatenus cùm prædicta violentia in injuriam Beatæ Virginis specialiter redundare noscatur, & ut offensa quæ eidem in hac parte irrogatur in cœlis, circa imagines ipsius repræsentetur in terris, vos universas imagines Beatæ Virginis in Ecclesijs vestrorum Decanatuum collocatas, singulas juxta aliquod altare in navi Ecclesiæ constitutum, non ad terram nudam, sed super cathedram aliquam, sedem, aut sellam; aut si fortè Ecclesia in navi altare non habuerit, in aliquo loco competenti ipsius navis per earumdem Ecclesiarum Presbyteros faciatis infra instans festum N. collocari. Easdem item imagines spinis immediatè circumdari, & aliquibus repagulis, aut obstaculis, ne ab aliquo contingi, aut sordidari contingat, easdem circumvallari cum debita diligentia faciatis. Hoc autem tam in regularibus quàm sæcularibus Ecclesijs præcipiatis inviolabiliter observari. Hoc idem etiam de imaginibus Salvatoris à quindena ejusdem N. Dominicæ faciatis: nisi infra eamdem quindenam à nobis aliud receperitis in mandatis. Datum, &c.



EPISTOLA IV.

Archiepiscopus Rotomagensis dilectis in Christo universis Decanis.

CUM Dominus Rex monitus fuerit competenter, ut res nostras nobis restitueret, quas pro voluntate sua detinet occupatas, & restitueret Abbatem sancti Wandregisili, & quosdam Monachos ejusdem Ecclesiæ excommunicatos à nobis, diu est, pro manifesta offensa, secundùm consuetudinem Normaniæ coram nobis compellerent stare juri, nec adhuc placuerit Regiæ Majestati preces nostras aut monitiones in aliquo exaudire: ne per longam dissimulationem negligere videamur Ecclesiasticam libertatem, cùm à die Translationis sancti Benedicti rebus nostris per Dominum Regem fuerimus spoliati, & quidam de dictis Monachis à principio Quadragesimæ excommunicationis vinculo innodati; de bonorum consilio interdicimus omnes Capellas domini Regis in Diœcesi Rotomagensi, nisi quando fortè Dominum Regem vel Reginam adesse contigerit; in quo casu quamdiu præsentes erunt Capellarum illarum suspendimus interdictum.


Interdicimus etiam omnes Ballivos, & Subballivos Domini Regis, qui in Diœceſi Rotomagenſi tenent Ballivias vel Subballivias, & eorum Clericos, & uxores, totamque eorum familiam. Interdicimúſque omnia Cœmeteria in toto Dominico Domini Regis in Diœceſi prænotata; Inhibentes ſub pœna excommunicationis, ne aliquis præſumat in eis corpora ſepelire, vel in terra, vel ſuper terram, in plaſtro, vel in trunco, vel lapide vel aliquocumque modo, aut etiam ponere ſuper arbores Cœmeterij, niſi fuerint corpora Religioſorum vel Clericorum qui ſunt beneficiati, vel in ſacris ordinibus conſtituti, quos in ſuis Cœmeterijs ad præſens permittimus ſepeliri. Inhibemus etiam ſub pœna excommunicationis ne aliquis præſumat corpora illorum qui manent in Dominico Domini Regis, in noſtra Diœceſi, ad ſepulturam in alijs Cœmeterijs admittere, ſicut nec in Cœmeterijs interdictis.

Interdicimus item omnes Eccleſias & Monaſteria noſtræ juriſdictioni ſubjecta in Diœceſi prænotata, dicto Dominico, à pulſatione campanarum, & divinorum celebratione cum nota; ne fortè ſi aliquæ Eccleſiæ clauderentur, & à divinis ceſſarent omninò, contingeret hæreſes pullulare, & ad ea quæ Dei ſunt populum indurari: quare præcipimus admitti in Eccleſijs illos, qui non ſunt interdicti aut excommunicati, & etiam corpora defunctorum, ut celebretur pro ipſis ſubmiſſâ voce, & ſine nota Officium conſuetum. Concedimus item benedictiones nuptiales, & mulieres ad purificationem admitti.

Præcipimus etiam per totam Diœceſim cùm celebrabitur Miſſa in ſingulis Eccleſijs poſt Orationem Dominicam, antequam incipiatur, *Libera nos*, &c. quòd Sacerdos flectat genua coram altari, & doceat Clericos & populum ſimiliter genua flectere, & orare pro libertate Rotomagenſis Eccleſiæ. Et Sacerdos, & Clerici dicant hunc Pſalmum: *Ad te levavi, & Gloria Patri, &c. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos, &c. Mitte nobis Domine, &c. Et de Sion, &c. Dominus vobiſcum.* Orat. *Eccleſiæ tuæ Domine quæſumus preces placatus admitte*, &c. Dicto pſalmo, pulſitentur campanæ, ut populi, qui erit extra Eccleſiam, excitetur devotio, ſimiliter adorandum: nec aliquo modo liceat alicui pulſare in Dominico Regis, vel etiam pulſitare campanas.

Quare vobis mandamus in virtute obedientiæ, firmiter injungentes, quatenus quiſque veſtrum omnes Priores & Preſbyteros ſui Decanatus convocare feſtinet, ita quòd hac die Martis in vigilia ſancti M. in loco competenti compareant coram ipſo, & formam mandati noſtri exponant eis in gallico diligenter, eam bis vel ter repetendo, injungens eis ſub pœna ſuſpenſionis & amiſſionis beneficiorum, ut quod præcipimus diligenter obſervent, & faciant à ſuis ſubditis obſervari. Sciturі quòd ſi invenerimus eos tranſgreſſores, vel tranſgreſſiones aliorum ſub diſſimulatione tranſire, eos animadverſione debitâ puniemus, & quilibet veſtrum Abbatibus ſui Decanatus in Dominico Domini Regis manentibus, autoritate noſtrâ præcipiat, ab ipſis & ſuis ſubditis in eodem Dominico manentibus, interdictum hujuſmodi obſervari. Si verò infra diem Mercurij proximam poſt inſtans feſtum N. non receperitis à nobis ſuper his aliud in mandatis, diſtrictione præmiſſa vobis


injungimus quatenus quilibet vestrum ex tunc per totum Decanatum suum interdictum hujusmodi faciat observari, & hoc, hac die Martis Presbyteris injungatis, ita quòd nec nos, nec vos, pro iteratione mandati oporteat ampliùs laborare. *Valete.* Datum, &c.



EPISTOLA V.

Mauritius universis Decanis.

CUM pluries Dominum Regem moneri fecerimus, ut restitueret nobis res nostras, quas pro suæ voluntatis arbitrio detinet occupatas, nec ipse nos exaudierit in hac parte, & propter hoc, & alias non modicas injurias, quas nobis & Ecclesiæ Dei infert in nostra Diœcesi: primò dominicum Domini Regis, & posteà totam Diœcesim tali quali supposuimus interdicto; nec ob hoc idem Rex ab his injurijs cessare curavit, sed injurias injurijs cumulans, in suo adhuc proposito perseveret: Libertati Rotomagensis Ecclesiæ condolentes, cum cordis amaritudine & anxietate, manum compellimur aggravare. Quocirca vobis præcipientes mandamus, quatenus visis literis, universas Ecclesias in vestris Decanatibus constructas, tam in feodis nostris, quàm in alijs, à divinis Officijs cessare penitus faciatis. Itaque nullum ibi divinum Officium celebretur, nullum ibi ministretur Eucharisticum sacramentum, præter baptisma parvulorum, & pœnitentias morientium. In qualibet tamen Parochiali Ecclesia permittimus, ut Sacerdotes semel in Hebdomada, januis clausis, exclusis interdictis, diebus non festis, & voce submissâ legant populo Introitum, Epistolam, Evangelium, & dent populo panem benedictum, & eis mandata Ecclesiastica exponant, & excusent nos erga populum, quòd cum anxietate & dolore cordis istud ponimus interdictum, non ut injuriemur Domino Regi, sed uti libertatem Rotomagensis Ecclesiæ defendamus. Datum, &c.



COMPOSITIO FACTA PRO ABBATIA CORNEVILLANA.


Ex Chartulario ejusdem loci.

ANNO 1235. die Martis in Synodo mensis Novembris confirmata est à Mauritio Archiepiscopo Compositio coram eo inita inter Radulphum Abbatem & Conventum S Vincentij de Nemore, Carnutensis Diœcesis, qui traxerat Martinum Abbatem & Conventum de Cornevilla in causam coram diversis partibus judicum autoritate Apostolicâ delegatis, super hoc quod dicebant Abbas & Conventus S. Vincentij, Ecclesiam de Cornevilla cum omnibus pertinentijs suis ad ipsos pertinere ex collatione defuncti Gilleberti de Cornevilla, qui Fundator extitit dictæ Ecclesiæ de Cornevilla. Dictis Abbate & Conventu de Cornevilla è contrario, asserentibus dictam Ecclesiam ad dictos Abbatem & Conventum S. Vincentij nullatenus pertinere; in hunc autem modum composuerunt,

CUM contigerit Abbatem S. Vincentij ad Monasterium de Cornevilla declinare, admittetur; & si placuerit eidem, tam in Monasterio quàm in Capitulo, & alijs officinis regularibus, officium Abbatis erit ei licitum exercere. Ita quòd in Ecclesia majorem Missam (si voluerit) celebrabit tamquam Abbas, & in prædictis locis exhibebitur ei reverentia Abbati debita, in dormitorio si voluerit jacebit, in Capitulo hujusmodi correptionem poterit exercere. Si aliquis claustralis clamaverit seipsum, vel alius alium de offensa quæ non sit criminalis, cum consilio Abbatis de Cornevilla licebit Abbati S. Vincentij clamatum absolvere, vel emendatoriam injungere disciplinam. Ista autem semel in anno dictus Abbas S. Vincentij in Monasterio de Cornevilla poterit exercere, vel amplius si opportunitas exegerit: ita tamen quòd ex frequentia veniendi, vel ex mora nimia, Monasterium de Cornevilla non gravetur.

Si verò Monasterium de Cornevilla Abbate mortuo, vel cedente vacare contigerit, Conventus dicti loci tenebitur mittere tempestivè ad Abbatem & Conventum S. Vincentij in Nemore, ut mittant si voluerint duos de Canonicis S. Vincentij ad Monasterium de Cornevilla, exceptis Abbate & Priore, ad diem præfixum electionis celebrandæ. Et hi duo Canonici habebunt vocem in electione, tamquam duo Canonici de Cornevilla; non tamen poterunt impedire quominus dicti Canonici possint eligere juxta formam, quem sibi viderint expedire. Item poterunt eligere Canonici de Cornevilla, si duo Canonici S. Vincentij non venerint ad diem faciendæ electioni assignatam, ex quo dies electionis sibi fuerit intimata.

Nihil autem aliud præter supradicta poterunt Abbas & Conventus S. Vincentij in Nemore, in Monasterio de Cornevilla reclamare.



ELECTIO RADULPHI DE CIRREYO In Episcopum Ebroïcensem.

Ex Archivo Capituli.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

DEFUNCTO bonæ memoriæ Richardo Episcopo Ebroïcensi, nos F. Decanus & Canonici qui tunc temporis præsentes eramus, die lunæ post Dominicam S. Trinitatis de communi consensu nostro assignato ad providendum nobis de Episcopo & Pastore, vocatis omnibus Canonicis qui commodè potuerunt & debuerunt de jure vocari, præfixâ die in Capitulo Ebroïcensi convenientes in unum quibusdam se excusantibus, & quibusdam vices suas alijs de Capitulo committentibus. Sancti Spiritus gratiâ invocatâ, per viam scrutinij procedentes, & dicto scrutinio coram nobis sicut debuit publicato, collatione habitâ meritorum eligentium & electi, vel veriùs eligendi, Quia invenimus majorem partem & saniorem totius Capituli in personam Radulphi de Cirreyo Archidiaconi concurrere, prout in scrutinio nostro super hoc facto, sigillo Capituli nostri signato, pleniùs continetur, consensu

& voluntate totius Capituli nostri constituimus magistrum Joannem de Cadomo procuratorem nostrum, ad eligendum dictum Radulphum Ecclesiæ Ebroïcensi in Episcopum & Pastorem, qui vice omnium, juxta mandatum sibi factum ipsum Radulphum in Episcopum Ebroïcensem & Pastorem animarum nostrarum elegit. In cujus rei testimonium, præsenti decreto sigillum Capituli nostri apposuimus. Actum dicto die anno M.CC.XXXVI.

Ego F. Decanus huic electioni consensi, subscripsi & sigillum apposui.
Ego W. Cantor.
Ego W. Archidiaconus.
Ego Joannes Archidiaconus.
Ego R. Thesaurarius, similiter.
Ego Henricus Abbas Bec. similiter.
Ego W. Decanus de Moritonio &c.
Ego W. Respaissart &c. & alij.
25. subscriptiones.

---

56. * PETRUS II. DE COLLEMEDIO præpositus S. Audomari eligitur A. C. 1236. qui prius Honorij III. & Gregorij IX. capellanus, & Canonicus Morinensis, Turonensem Metropolim & alias sedes Episcopales recusarat, non statim electioni consensit, sed summi Pontificis autoritate compulsus, reluctans licet inauguratur 5. Idus Augusti anno 1237. præsentibus duobus Archiepiscopis & duodecim Episcopis. Dum ad Concilium Generale Romam, Genuensium navibus vehitur ab Entio Frederici Barbarossæ notho, in odium Romani Pontificis cui plurimum infensus erat Imperator, intercipitur; ac nonnisi Ludovici Francorum Regis minacibus literis libertati restituitur anno 1241 Tandem ab Innocencio IV. Cardinalis creatus, ab Ecclesia Rotomagensi ad Albanensem translatus anno 1244. vitam protraxit ad 1253. Priori sponsæ pietatis ac liberalitatis monimenta reliquit instituto decem Clericorum Collegio. Extant ad eum tom. 3. Spicilegij Dacheriani Epistolæ duæ Gregorij 9. quibus constat eum Legati officio functum fuisse priusquam Rotomagensis Ecclesiæ regimen inijsset. In prima quæ 18. Septemb. 1230 data fuit, mandat Pontifex ut diligenter Legatus inquirat an Comes Tolosanus ante obitum indicia pœnitentiæ exhibuerit. In 2. Julij 9. ejusdem anni scripta, eidem præcipit ut Raimundo Comiti Tolosano terminus solutionis decem millium marcarum argenti, & itineris Hierosolimitani prorogetur; quæ, quia nihil ad res nostras attinet, earum hìc summarium dedisse sufficiat.

En antiqua, & nova illius præcepta Presbyteris suæ Diœcesis data anno 1245.



PRÆCEPTA ANTIQUA
PETRI DE COLLE-MEDIO.*
SEU

*ROTO MAG. AR-CHIEP.

Institutorum Synodalium Diœcesis Rotomagensis, à Sacerdotibus quavis in Synodo observandorum Opusculum, ab insignibus autoritate viris ad eorum informationem exaratum, prædicti Archiepiscopi jussu; quodque à ducentis fermè annis editum reperitur antiquis caracteribus, absque ulla designatione temporis & loci, cum alijs ad Ecclesiam nostram spectantibus quæ suo tempore dabimus. Sic autem incipiunt.

Quomodo personæ Ecclesiasticæ ante Synodum sibi debent providere.


IE Dominicâ Synodum præcedente, Sacerdotes qui Capellanos non habent in suis Parochijs, diligenter inquirant publicè in Ecclesia si qui sint infirmi in Parochia; & feriâ sequenti, siue antequam iter arripiant eos visitent etiam non requisiti, & faciant quicquid necesse fuerit ad salutem animarum. Nihilominus tamen provisionem eorum procurantes: quam solent facere per Capellanos in alijs Ecclesijs remanentes.

Vt omnes curam animarum habentes veniant ad Synodum.

Præcipitur ut omnes veniant ad Synodum, maximè curam animarum habentes. Et si inevitabili necessitate detenti fuerint, mittant Capellanum suum aut Clericum loco sui. Et in eundo & redeundo honestè ambulent, & honesta quærant hospitia; & in eis circumspectè se habeant, ne status Clericorum vertatur populo in opprobrium & contemptum: & qui ex causa remanserint, eam Decano, & Decanus Archiepiscopo studeat nuntiare.

Vt jejuni intrent Synodum.

Præcipitur Sacerdotibus ut jejuni & induti supellicijs & stolis manè intrent Synodum, ceteri autem personatum seu vicarias Ecclesiarum habentes, supellicijs tantum, Abbates autem cappis sericis sint induti. Præcipitur sub pœna suspensionis quòd à tempore pulsationis Synodi, omni occasione postpositâ majorem Ecclesiam omnes intrare festinent.

De Baptismo.

Baptismus cum honore & reverentia celebretur, & cum magna cautela, maximè in distinctione verborum & prolatione, in quibus tota virtus sacramenti consistit, scilicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Et in Romano sub hac forma laïcos doceant Sacerdotes frequenter, debere baptizare pueros patrem & matrem pueri, in summa necessitate. Forma autem verborum prædicta ab eo qui baptizat, integrè, ordinatè, continuè, sine interpositione aliqua proferatur.

De eodem.

Interrogetur autem laïcus qui sic puerum baptizat diligenter à Sacerdote quid dixerit, & quid fecerit; & si eum invenerit discreto modo & debito baptizasse, oblato puero ad Ecclesiæ fores suppleatur quod deest, silicet pabulum salis, aurium & narium

rium linitio cum ſaliva, exorciſmi tamen non dicantur; ſuper fontes tamen ſine immerſione omnia fient quæ ſolent fieri: Si verò dubium fuerit in qua forma verborum puer baptizatus fuerit, tunc Sacerdos omnia faciat, & immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* Ad elevandum etiam puerum de ſacro fonte unus ſit aut duo ad plus, tres tamen recipiantur pro caritate ſervanda.

De Confirmatione.

Sacerdotes ſcientes adventum Archiepiſcopi cùm viſitat, moneant populum diligenter, etiam per hoſpitia ſingulorum, ſi opus fuerit circa duas aut tres leucas, ut omnes conveniant coram Archiepiſcopo ad audiendum ſermonem, maximè qui conſilio Archiepiſcopi indigent, & ipſi cum populo conveniant cruce præcedente. Adulti verò qui confirmandi fuerint, priùs confiteantur ſi tempus habeant confitendi, & deferant ſecum bandellos latos, mundos & ſatis longos, & laventur frontes confirmandorum: jejuni autem ſi fieri poteſt recipiant hoc ſacramentum, & tunc non celebrent Sacerdotes niſi ſummo manè.

De Officio Sacerdotis in miniſterio Altaris.

Sacerdotes miniſtrantes diligenter attendant quòd hoſtia ſit integra, & integrum habeat circulum, & quòd vinum non ſit acetoſum, & quòd aquam modicam reſpectu vini apponere non omittant: ſi autem * aquam omiſerit, quando advertit, apponat aquam ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si verò per negligentiam evenerit, quòd perlecto Canone & peractâ conſecratione, nec vinum nec aqua reperiatur in Calice, debet ſtatim infundi utrumque, & hoſtia ſic conſecrata ſeorſum reverenter reſervetur. Hoſtia autem nova ſicut fieri ſolet ante Calicem apponatur, & reincipiat Canonem Miſſæ: *Te igitur.* Poſt Communionem verò, prior & ſecunda hoſtia ab ipſo Sacerdote ſumatur, niſi fuerit una illarum pro neceſſitate ſervanda.

* *add.* aliquis

Vt nec panis, nec vinum remaneant ſuper Altare in Miſſa.

Caveant Sacerdotes ne panis, vel vinum remaneat ſuper Altare, niſi infra Miſſam: præter illa quæ ab ipſo ſunt conſecranda.

De eodem.

Præcipitur Preſbyteris ut quando inceperunt in Canone Miſſæ, *Qui pridiè*, tenentes hoſtiam non elevent eam: ſed ante pectus detineant, donec dixerint: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et tunc

reverenter elevent eam & decenter, ita quòd possit videri. Et post totalem sumptionem Corporis & Sanguinis Domini, aliquantulum ab expuendo abstineant. Et si abstinere non possint, in loco mundo hoc faciant, qui conculcari non possit.

Quomodo fieri debeat, si quid de Sacramento ceciderit.

Si quid de Sanguine Christi ceciderit super corporale aut super pallam vel super aliquod sacrum indumentum, pars intincta priùs sugatur: & postea scindatur, & consuta panno mundo, servetur pro reliquijs, ita tamen quòd super pannum cedula consuatur continens: *Super hoc linteamen stilla cecidit Sacramenti.* Si super aliud commune vestimentum ceciderit, pars intincta priùs sugatur, & post scindatur, & comburatur, & cinis in sacrario reponatur. Si autem super lapidem, lignum, seu terram ceciderit, lingendus, tergendus, radendus est locus ille, & pulvis in sacrario reponendus. Si autem de Corpore Christi super pallam vel quodlibet ornamentum ceciderit, pars super quam ceciderit, abluatur, & ablutio à Sacerdote sumatur, vel ab alio mundæ conscientiæ. Si verò super lapidem, lignum vel terram ceciderit, locus radatur, & pulvis in sacrario reponatur. Sacerdos verò vel minister, cujus negligentiâ istud acciderit, ad Archiepiscopum debet mitti.

Quomodo fieri debeat, si aliquid ceciderit in Calicem.

Si musca vel aranea, vel aliquid tale in ipsum Calicem ceciderit, quod vix sine vomitu, aliquando non sine periculo corporis sumi potest: sanguis sumatur, & superfuso vino ipsum quod ceciderit abluatur, & ablutio à sacerdote sumatur, vel ab alio bonæ conscientiæ, & postea in sacrario comburatur.

Ut corpus Domini, Chrisma, Oleum & Fontes custodiantur sub clave.

Eucharistia, videlicet Corpus Christi, Chrisma, Oleum & Fontes similiter sub clave, in loco honesto & eminenti, & in vasis competentibus & honestis ponantur; nec ponatur in bursa sanctum Corpus Domini, ubi tactum frangitur: sed in decenti pixide.

De renovatione Sacramentorum.

Sacerdotes die octavo semper renovent sacramenta, videlicet, Eucharistiam, Fontem & Aquam benedictam, ne sui vetustate aliquem ad indevotionem movere valeant aut horrorem. Item statuimus ut si aliquando contigerit quod propter necessitatem

aliquam Euchariſtia dividatur, ut una pars detur infirmo; & alia pro neceſſitatis articulo reſervetur, reſervata pars ſumatur à Sacerdote.

Ut dicantur Matutinæ & Prima antequam celebretur.

Nullus antequam Matutinas canonicas & Primam dixerit, Miſſam celebrare præſumat ſine aliqua neceſſitate.

Ut non celebretur bis in die.

Nullus audeat bis in die Miſſam celebrare, niſi in Natali Domini vel in magna neceſſitate, ſcilicet corpore humano præſente. Et in die ſolemni, vel quadrageſimali, vel etiam in die Paſchæ celebraturus Miſſam ſecundam, vinum perfuſionis non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat.

Quomodo Calix debet involvi & intus tergi.

Calix poſt Miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec miniſtri eo Calicem intus tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato. Qui dum non ſatis decens fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

Ut non fiat Panis benedictus in die ſancto Paſchæ.

Panis benedictus in die Paſchæ non fiat, nec in Feſtivitatibus quibus ſolent & debent Corpus Chriſti recipere Chriſtiani.

Ut non detur Euchariſtia pueris infra 7. annos, ex Concilio Lateranenſi.

Prohibetur Preſbyteris ne hoſtias dent pueris ullo modo infra ſeptennium conſtitutis.

Qui debeant deſervire Altari.

Nullus permittatur deſervire Altari, vel Epiſtolam legere niſi in ſupellicio, ſive capucio vel cappa clauſa. Uxoratus autem nullomodo Altario deſerviat.

Quot Præfationes debent dicere Sacerdotes.

Invenimus decem ſequentes Præfationes in ſacro Catalogo tantummodo recipiendas, unam in Paſcha quæ ſic incipit: *Te quidem omni tempore*; aliam in Aſcenſione, ſcilicet: *Qui poſt Reſurrectionem*; tertiam in Pentecoſte, ſcilicet: *Qui aſcendens ſuper*; quartam de ſancta Trinitate: *Qui cum unigenito*; quintam in feſtis beatæ Mariæ: *Et te in veneratione*; ſextam in feſto ſanctæ Crucis: *Qui ſalutem humani*; ſeptimam de Apoſtolis, ſcilicet: *Te Domine ſuppliciter*; octavam in Natali Domini: *Quia per Incarnati*; nonam in Epiphania: *Quia cùm unigenitus*; decimam in Quadrageſima: *Qui corporali jejunio.*

Ex Concilio Lateranensi. Quòd honestè se habeant, & celebrent Presbyteri divinum Officium.

Districtè præcipitur ut Sacerdotes divinum Officium nocturnum & diurnum distinctè & apertè, quantum Deus dederit, celebrent & devotè. Honestum siquidem esset quòd stantes Canonicas horas dicerent, maximè in festivis diebus, ut alij videntes laborem & devotionem, glorificent patrem nostrum qui in cœlo est.

Vt Altare sit integrum.

Præcipitur quòd in Altari in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, Sacerdos non celebret donec Altare consolidetur & iterum consecretur. Nec super lapidem Viaticum sine capsa celebretur. Ampullæ scilicet vini & aquæ in ministerio Altaris sint mundæ, integræ, vitreæ, vel stanneæ, sive argenteæ. Ad ablutionem autem manuum vas grandius deputetur.

De Piscinis & Manutergijs.

Provideant autem quòd Piscinas habeant juxta Altaria decentes, mundas, ablutionibus cursum liberum exhibentes, nec sine opertorio relinquantur. Juxta etiam Altare, tria Manutergia habeant, unum ad primam ablutionem, secundum post Evangelium, tertium post susceptionem sacramenti. Aliud sit pendens circa Missale ad tergendum os & nares (si opus fuerit) Sacerdotis.

De lotione Corporalium & aliorum vestimentorum Altaris.

Summa reverentia & honor maximus sacris Altaribus exhibeatur. Et maximè ubi sacro-sanctum Corpus Domini reservatur & Missa celebratur. Linteamina Altaris & indumenta sæpe abluantur ad reverentiam & præsentiam Salvatoris nostri, & totius Curiæ cœlestis, qui cum eo præsens adest quotiens Missa celebratur. Sacerdos sive Diaconus Corporalia sæpe abluat, indutus supellicio, in vase mundo ad hoc specialiter deputato. Omnes ablutiones si fieri potest in Piscina reponantur, vel saltem prima, ceteræ autem in baptisterio. Item linteamina Altaris & indumenta Sacerdotalia non nisi ab aliqua honesta matrona, vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, convenienter quando opus fuerit abluantur, ita ut munda & nitida conserventur. Quia sicut continetur in Concilio Lateranensi: nimis videtur absurdum in sacris sordes negligere: quæ dedecent etiam in prophanis.

Quomodo debeant custodiri Corpus Christi, Chrisma & Oleum.

Statuitur ut per omnes Ecclesias Chrisma & Oleum sanctum, Oleum infirmorum, & Eucharistia in vasis decentibus, Fontesque similiter sub fideli custodia, clavibus adhibitis conserventur, ut non possit ad illa temeraria manus extendi. Si verò is ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur; & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviùs puniatur.

Vt nulla Supellectilia sint in Ecclesijs, nisi in necessitate.

In Concilio firmiter inhibetur ne Supellectilia Sacerdotis propria, vel aliena in Ecclesijs admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, propter quas ad eas oportet habere refugium; ita tamen ut necessitate cessante, in loca pristina reportentur.

Vt habeant Manuale per se.

Librum, qui dicitur Manuale, per se habeant singuli Presbyteri Parochiales, ubi continetur ordo Baptismi, Cathechismi, Extremæ-unctionis, & hujusmodi, & in Ecclesia libros alios, in quibus possit competenter divinum tam nocturnum quàm diurnum Officium celebrari.

Quomodo res Ecclesiæ ordinandæ sunt.

Præcipitur Sacerdotibus ut omnes redditus Ecclesiæ scribantur in Missalibus suis, & de rebus Ecclesiæ vel Presbyterij nihil alienetur, nisi per Archiepiscopum.

De Thesauris Ecclesiæ.

Thesauri Ecclesiæ viris honestis & suspicione carentibus custodiendi tradantur, & per consilium & scientiam Sacerdotis in usus Ecclesiæ necessarios expendantur, & de eis reddant rationem qui custodierint in plena Parochia, vel coram electis à Parochia ter in anno.

De Imaginibus, & Ornatu Altaris.

Imagines vetustate deformatæ, & linteamina sacra, & alij panni vestimenta, & ornamenta usibus Ecclesiæ præparata, vetustate attrita, sacris usibus inutilia, comburantur in loco mundo, & pulvis juxta parietem Ecclesiæ recondatur, quia possent intuentes inducere in errorem.

Quomodo res Ecclesiæ ordinandæ sunt.

Præcipitur Sacerdotibus ut divino Officio celebrato, & post

pulo regreſſo ad propria: Eccleſias ſuas firmare ſtudeant diligenter.

Ne Choreæ in ſacro loco fiant.

Prohibeant Sacerdotes ſub pœna excommunicationis, Choreas induci in Cœmeterio vel in Eccleſijs, moneantque ne alibi fiant, quia ut dicit Auguſtinus : *Melius eſt feſtivis diebus fodere vel arare, quàm Choreas ducere.* Quàm grave peccatum ſit in loco ſacro Choreas ducere, perpendi poteſt ex pœnitentia ſecundum rigorem Canonum talibus injungenda : Si quis Balationes ante Eccleſias Sanctorum fecerit, emendatione publicâ tribus annis pœniteat.

Vt non ædificetur in Cœmeterio.

Nullus de novo ædificare in Cœmeterio permittatur, nec domus aliqua ſi dirupta fuerit durante per annum ruinâ ibi reædificetur, nec fimus vel immunditiæ aliquæ in Cœmeterijs adunentur.

Ex Concilio Lateranenſi de Clericis.

Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maximè inhoneſta. Mimis, hiſtrionibus & joculatoribus non intendant; & tabernas prorſus evitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Coronam & Tonſuram habeant congruentem, & ſe in Eccleſiaſticis officijs, & alijs bonis ſtudijs exerceant diligenter.

Vt habeant Supertunicalia clauſa.

Clerici beneficiati & in ſacris Ordinibus conſtituti clauſa deſuper deferant indumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda. Si quis autem hujus conſtitutionis tranſgreſſor extiterit : per Superiorem ſuum puniatur, & veſtis aperta portata in publico, pauperibus erogetur. Pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis & ſotularibus conſutitijs, ſeu roſtratis, ſellis, frænis, pectoralibus & calcaribus deauratis non utantur in Sacerdotio vel perſonatibus conſtituti, cappas manicatas non gerant niſi juſti cauſa timoris. Fibulas omnino non ferant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis.

Ex Concilio Lateranenſi de Clericis, Quòd non exerceant Sententiam ſanguinis.

Nullus Clericus Sententiam ſanguinis dictet aut proferat, nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interſit,

nec quiſquam Clericus literas dictet aut ſcribat, pro vindicta ſanguinis deſtinandas.

Ex Concilio Turonenſi de Clericis. Quòd non ſint advocati.

Clerici beneficiati, ſeu in ſacris Ordinibus conſtituti, non ſint advocati pro pretio, ſeu in fraude pretij, in Curia laïcali: nec loco laïcorum Curiam teneant, nec baillijs eorum illicitis præficiantur. Nec illam partem chirurgiæ Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit. Nec quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat.

Ex Concilio Metropolitano. Ne litigent coram Iudice ſæculari.

Nullus Abbas vel alia perſona Eccleſiaſtica, de perſonalibus injurijs, vel eleemoſinis Eccleſiæ factis, audeat litigare, niſi de conſenſu Archiepiſcopi, coram Judice ſæculari ſeu laïcali.

Ex Concilio Lateranenſi de Vita & ſtatu Clericorum. Quòd caſtè vivant.

Continenter & caſtè vivere ſtudeant univerſi præſertim in ſacris Ordinibus conſtituti, ab omni vitio libidinis præcaventes, maximè illo propter quòd ira Dei venit in filios diffidentiæ, ut in conſpectu Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Quocirca diſtrictiùs inhibemus ut nullus in ſacris Ordinibus conſtitutus, aliquâ occaſione teneat in domo ſua vel alibi mulierem, vel perſonam aliquam de qua mala poſſit ſuſpicio ſuboriri, unde populus ſcandalizetur. Qui vero poſt ſententiam Gallonis inde latam, & ammonitionem legitimam, ſaltem in Synodo factam: focarias vel mulieres alias cum ſcandalo tenuerit, ſciat ſe ſententiâ excommunicationis eſſe ligatum. Et qui in excommunicatione illa celebrare præſumpſerit, eſt irregularis effectus, nec ſine diſpenſatione poteſt amodo celebrare. *V. ſup. pag. 209*

Vt non habeant prolem Presbyteri.

Prohibetur Sacerdotibus diſtrictè ne ſecum habeant prolem quam in fornicatione genuerunt, propter ſcandalum. Et ne in domibus ſuis aleas vel decios habeant, prohibetur.

De concubinis laïcorum.

Prohibeant Sacerdotes etiam ne laïci teneant concubinas. Et qui poſt ammonitionem trinam tenuerit: tam ipſe quàm ipſa, ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & ſi perſeveraverint graviùs ſunt puniendi.

Can. 62. *Ex Concilio Lateranensi. De Reliquijs.*

Item in Concilio est statutum quòd Reliquiæ antiquæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur: nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs autoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ.

Vt non recipiantur Prædicatores, nisi fuerint authenticæ personæ.

Nullus passim recipiatur ad prædicandum; nisi fuerit authentica persona, vel ad hoc specialiter ab Archiepiscopo destinata. Quæstores quoque eleemosinarum tantum ea dicant populo quæ in literis Domini Papæ vel Archiepiscopi continentur. Sacerdos tamen loci populum sibi commissum diligenter inducat ad erogandas eleemosinas pietatis intuitu, non animo extorquendi. Et quod datur, petentibus eleemosinas integrè restituatur.

Item de Quæstoribus eleemosinarum.

Nullus recipiatur ad quærendas eleemosinas in Ecclesia, sine literis Archiepiscopi, nisi sit Parochianus Ecclesiæ, vel vicinus de vicinia notus.

Ex Concilio Turonensi. De Iuramento personarum.

Nullus Clericus Patronis faciat Juramentum, antequam sit Archiepiscopo præsentatus, & etiam institutus. Et ne resignationes fiant in manus Abbatum vel quorumlibet Patronorum, sed in manus Archiepiscopi tantùm, districtiùs inhibetur.

Ne Ornamenta Ecclesiæ pignori obligentur.

Statuitur quòd Ornamenta Ecclesiæ non obligentur pignori, nisi pro necessitate Ecclesiæ, de licentia Archiepiscopi cum consilio Parochianorum.

Vt Laïci filios suos instrui faciant.

Sacerdotes frequenter moneant Parochianos suos, ut filios Clericos instrui faciant diligenter, & scholas attentiùs frequentare. Quia illiterati non sunt ad Ecclesiastica beneficia admittendi.

Ex Concilio Turonensi Metropolitano, de Corvagio.

Prohibetur districtè ne aliqua Ecclesia Corvagium Domino terræ, vel aliquid tale conferre præsumat, donec habeat sui Archiepiscopi super hoc consilium, ut ejus autoritate fiat quod fuerit faciendum

De Firmis Ecclesiarum.

Nullus curam animarum habens, vel non Sacerdos, cujus non sit Ecclesia, Ecclesiam ad firmam recipiat; nec Sacerdos etiam, nisi de licentia Archiepiscopi.

*Ex Concilio Metropol. * Turon. Quòd donati Religionis ferant signum.* In MS. Bigot. deest, * Turonensi.

Statuitur quòd donati cujuslibet domus Religiosæ aliquod signum in eminenti loco portent ad arbitrium Archiepiscopi, & Religioni congruentia indumenta, ut per hoc distinguantur ab alijs, & sicut Religiosi ab Ecclesia defendantur. Et ad hoc faciendum per suos Presbyteros compellantur, nec hujusmodi privilegio gaudeant, donec in domibus proprijs commorentur.

Ex Concilio Turonensi. De Decimis.

Nullus laïcus vel Clericus, vel religiosa persona recipiat Decimam de manu laïcali, nisi per manum Archiepiscopi. Si aliter factum fuerit, non valeat.

De Cultellis cum cuspide.

Districtè præcipitur ne Sacerdotes cultellum portent cum cuspide, aut arma, nec Clerici Sacerdotum, vel alij qui gaudere volunt privilegio Clericali, nisi justi causâ timoris.

Ne Presbyteri ordinent testamenta sua per laïcos.

Prohibetur Sacerdotibus ne testamenta sua ordinentur per manum laïcalem. Nihil de fructibus sequentis Augusti*, licet *vel Autumni moriantur post Pascha, penitus disponentes, cum eos nolimus habere nisi ipsos qui suis Ecclesijs laudabiliter servierunt, vel fuerunt servire parati: Sed neque de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis aliquis disponere valeat, nisi secundum canonicas sanctiones. De mobilibus autem pauperibus vel religiosis locis, vel consanguineis, aut alijs juxta servitij meritum aliqua conferantur. Ceterùm quia consuetudine laudabili & ex causis rationabilibus hactenus in nostra Diœcesi novimus observatum, ut nullus laïcus sine Sacerdotis sui præsentia suam ordinare audeat ultimam voluntatem. In temporibus istis intelleximus deliquisse quamplures, dum vel priùs ordinant omnia quàm advocent Sacerdotes, nihil eis vocatis postea mutaturi, vel nullatenus eos vocant. Hoc fieri de cetero districtiùs inhibemus, & sub pœna gravis emendæ, vel alterius pœnæ à nobis, vel Officialibus nostris, tam facientibus, quàm consentientibus, vel assistentibus infligendæ, & ipsi frequenter prohibeant laïcis, ne testamenta sua faciant sine præsentia Sacerdotis, nisi in necessitate.

Vt fideliter exequantur testamenta.

Sacerdotes exequantur sollicitè & fideliter testamenta, cùm ad hoc fuerint evocati.

De mobilibus & immobilibus Presbyterorum.

Præcipitur Presbyteris ut immobilia de bonis Ecclesiæ acquisita tantummodo suis relinquant Ecclesijs. De jure enim aliud facere non possunt. De mobilibus suis, quæ de bonis Ecclesiæ non proveniunt, rationabile possunt facere testamentum. Domûs autem utensilia & supellectilia successoribus suis relinquantur, saltem quod eis conveniet competenter.

Vt Clerici singulis temporibus Ordinum, Ordinationi se offerant.

Præcipitur omnibus Clericis habentibus Ecclesias, ut ad singula tempora Ordinum se ordinandos offerant; & ut in Ecclesijs suis resideant, nisi eis aliter facere permittatur de licentia Domini Archiepiscopi speciali, & circa hoc servetur constitutio: *Extirpandæ*. Scituri si post admonitionem legitimam hoc neglexerint, quòd sint suis Ecclesijs ipso jure privati, easque liberè alijs conferendas. Super citationibus faciendis, credant his qui dederint fidem: super excommunicationibus ferendis, vel absolutionibus faciendis, non credant sine literis Archiepiscopi. Sententias audacter nuntient, latas districtè servent; nec amore parcentes alicui, nec timore.

Ex Concilio Turonensi. De Decanis.

Cùm aliquid mandabitur Decanis, si aliàs commodè certificare curiam non poterunt, apponant sigilla sua literis curiæ, in signum quòd mandatum curiæ executioni demandarunt, nisi sit magna causa, & contra magnas personas, in quibus literæ conficiantur.

De Absolutionibus, quomodo fiant.

Quando aliquis excommunicatus est absolvendus, super hoc pars adversa certificetur, & tunc solemniter cum Psalmo Pœnitentiali: *Miserere mei Deus* & oratione, devotè & cum gravitate est absolutio impendenda.

Qui sunt excommunicati ipso facto.

Sciendum est etiam quòd excommunicati sunt ipso facto, qui in Clericos vel quosque religiosos manus injiciunt violentas. Incendiarij Cœmeteriorum & Ecclesiarum violatores. Et qui literas Domini Papæ falsant, vel ad hoc aliquod adminiculum præstant, vel qui eis falsis utuntur & ignoranter. Si crassa sit ejus ignorantia & supina, super hoc servetur Decretalis *De Falsarijs.*

STATUTUM SYNODI.

Item excommunicati per Archiepiſcopum ſunt, ſortilegia de Sacramentis Eccleſiæ facientes, & qui malitiosè procuraverunt abortivum. Et qui ad conjungendum, vel disjungendum falſa matrimonia, vel ad exhæredandum aliquem, ſcienter deponunt teſtimonium falſitatis, & qui aliàs falſum teſtimonium tulerint graviſſimè peccant, & graviter ſunt puniendi; & tales ſunt per Archiepiſcopum vel ejus Pœnitentiarium abſolvendi: Hoc autem in ſuis Eccleſijs frequenter denuntient Sacerdotes.

Vt omnis Excommunicatus, etiam à Domino Papa, poſſit abſolvi à quolibet, in articulo mortis.

Sciendum eſt quòd Excommunicatus à Domino Papa à quolibet alio Sacerdote abſolvi poteſt in articulo mortis, ſatisfactione præmiſſâ, ſi pro offenſa manifeſta, vel ſoluto priùs * indicato. Et ſi pro re indicata Excommunicatione fuerat innodatus: ſi tamen de hoc habuerit facultatem, recepto ab eo juramento quòd quamcitò habebit opportunitatem Excommunicatoris ſui præſentiam adibit, mandato ipſius pariturus: Si autem infirmus vel offenſam emendare non poterit, vel ſolvere indicatum; inducendus eſt hæres ut hoc faciat, non tamen eſt per Pœnitentiarium compellendus.

*for. judicato.

De obſervantia Jejuniorum.

Sacerdotes præcipiant omnibus habentibus ætatem inſtituta Jejunia ſeu conſueta obſervari. Ut Jejunium Quadrageſimale, Jejunium quatuor temporum, Vigiliarum videlicet Nativitatis Domini, Aſſumptionis beatæ Mariæ, beati Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, beati Matthæi, Symonis & Judæ, beati Andreæ, Laurentij Martyris, omnium Sanctorum, jejunium in majori Litania, ſcilicet in feſto ſancti Marci Evangeliſtæ, & in tribus diebus Rogationum. Si qua autem de Vigilijs prætaxatis die Dominicâ evenerit, indicendum eſt jejunium in die ſabbathi præcedente.

*Ex Concilio * Lateranenſi. De temporibus feriandis per annum.*

Pronuntiandum eſt laïcis ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem diem Dominicam. Feriandi verò per annum iſti ſunt dies: Natalis Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis Evangeliſtæ, ſanctorum Innocentium, ſancti Sylveſtri, Circumciſio Domini, Epiphania, Nativitas beatæ Mariæ, Annuntiatio, Purificatio & Aſſumptio ipſius, dies Paraſceve cum omni

* al Lugdunenſi. cap 3.

honore & reverentiâ, sanctum Pascha cum duobus diebus sequentibus ad minus, Ascensio Domini, Inventio sanctæ Crucis, sancti dies Pentecostes, sancti Joannis Baptistæ Nativitas & Decollatio, duodecim Apostolorum, & maximè sanctorum Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Symonis & Judæ, qui suâ prædicatione mundum illuminaverunt, sancti Laurentij, sancti Michaëlis Archangeli, & sancti Romani, Dedicatio cujuslibet Oratorij, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & sanctæ Mariæ Magdalenæ, & illæ festivitates quas singuli Presbyteri in suis Parochijs ab antiquo collaudaverunt cum populo, qui vicinis tantùm commorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus. Reliquas festivitates per annum, non sunt cogendi ad feriandum; sed monendi ut morem antiquum observent.

Quomodo fiunt Sponsalia.

Prohibemus sub pœna excommunicationis & magnæ emendæ, ne personæ consentiant matrimonialiter per verba de præsenti, donec sint ante fores Ecclesiæ, quando debet nuptialis benedictio celebrari. Possunt tamen dare fidem inter se de matrimonio contrahendo, si sancta Ecclesia id possit sustinere. Et hoc tamen non fiat sine præsentia Sacerdotis.

Ex Concilio Lateranensi. Quæ personæ sunt contrahendæ.

Sciendum est quòd in quinto gradu consanguinitatis & affinitatis, & supra, possunt modo licitè matrimonia copulari.

Prohibitio clandestini Conjugij.

Clandestina Conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne aliquis Sacerdos talibus interesse præsumat. Statuentes ut cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesijs Presbyteri publice proponant competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit legitimum impedimentum opponat. Et etiam ipsi Presbyteri nihilominus diligenter investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Cùm autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Si quis verò hujus clandestina Conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. Cùm illi taliter contrahendo non inexpertes scientię, vel saltem affectatores igno-

rantię videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, pręter omne interdictum in conspectu Ecclesię etiam contrahere non pręsumpserint. Sane Parochialis Sacerdos qui sciens & prudens tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet alius etiam Regularis qui eis scienter pręsumpserit interesse: per triennium ab officio suspendatur, graviùs puniendus si culpæ qualitas postulaverit. Sed & his qui taliter copulari pręsumpserunt etiam in gradu concesso, condigna pœnitentia injungatur. Si quis ad impediendum legitimam copulam, malitiosum impedimentum objecerit, Ecclesiasticam non effugiet ultionem.

De termino Indictionum.

Volumus autem & pręcipimus quòd terminus pretaxatus tantum contineat temporis intervallum, quod in se habeat tres dies Dominicos, vel festivos competenter distantes, in quibus quasi tribus edictis perquirat Sacerdos à populo sub pœna Excommunicationis de legitimatione sponsi & sponsæ qui debent conjungi.

Quæ impediunt Matrimonium.

Videlicet utrum inter eos sit consanguinitas, affinitas, dispar cultus, publicę honestatis justitia, votum solemne, coactio, error personæ & error conditionis, minor ętas, delicti enormitas, compaternitas quę tantùm quinque excludit personas, compatrem & commatrem, filiolum & filiolam, fratrem & sororem spiritualem, & filium vel filiam Sacerdotis, cum his quos ipse baptizavit Sacerdos.

Ne fiant Sortilegia in Nuptijs.

Semper prohibeantur sub pœna excommunicationis in nuptijs sortilegia fieri; si autem in computatione graduum aliqua dubitatio emerserit, in hoc diffinitio Archiepiscopi requiratur. Nec Sacerdos quidquam in casu dubio audeat perficere Matrimonium Archiepiscopo inconsulto, sed ad ipsum referat quęcumque emerserint super Matrimonij quęstiones.

De eodem.

Prohibeant Sacerdotes sub excommunicatione publicè in Ecclesia, ne alter conjugum ad Religionem transeat aut recipiatur, nisi per Archiepiscopum.

De Extrema-unctione, quàm licitè iteretur si opus fuerit.

Ad sacramentum Extremę-unctionis moneant sępe Sacerdo-

tes populum, non tantùm divites, ſed etiam pauperes; & omnes maximè à quatuordecim annis & ſupra, ut omnibus communiter cùm fuerit neceſſe exhibeant ſe paratos, ſanctum Oleum ad eos cum magna reverentia deferentes & honore. Doceant ſępe Sacerdotes populum hoc ſacramentum licitè poſſe iterari, & ſępe recipi in qualibet magna infirmitate unde mortis eſt metus, & poſt ſuſceptum licitè reverti ad opus conjugale.

Quomodo Sacerdotes debeant ſe habere erga infirmos.

Statutum eſt in Concilio & diſtrictè injunctum medicis corporum, ut cùm eos ad infirmos vocari ſæpè contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant; quòd medicos advocent animarum; ut poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur. Ceterùm cùm anima ſit multo pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibetur, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægro ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.

De Communicatione infirmorum.

Singuli Sacerdotes ſingulos habeant calices in quibus communicentur infirmi, qui decori ſint & mundi ut in eis devotio infirmi excitetur. Nec permittant Diaconos deferre infirmis ſanctum Corpus Domini, niſi in neceſſitate, cùm Sacerdos fuerit abſens vel infirmus. Sed ſemper cum magna reverentia & maturitate illud deferat in pyxide idonea bene clauſa propter caſum, pulſando tintinnabulum, & lumine præcedente. Et veniendo ad infirmum & redeundo ſi tanta fuerit via, Pſalmos Pœnitentiales dicant & Litaniam. Frequenter moneantur laïci & etiam pueri, ut ubicumque viderint deferri ſanctum Corpus Domini ſtatim genua flectant tamquam Domino & Creatori ſuo, & junctis manibus quouſque tranſierit orent.

De Abſolutione infirmorum in morte.

Pium videtur & tutum, ut quilibet Sacerdos infirmum in extremis laborantem abſolvat de omnibus, quibus eum abſolvere poteſt.

Quomodo fieri debeat in Communicatione infirmorum.

Si quid de corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit vel inde exierit quod ab eo recipi non poſſit, aliquam formam habens, ab ipſo Sacerdote convenienter debet ſumi, vel comminutum in Calice cum modico vino, alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quòd ſub magna forma Corpus Domini recipere non poſſit, ſub minima forma

ei detur in Calice comminutum, & cum modico vino in ore infirmi instilletur, & maximè si sine scandalo aliter fieri non possit, ne infirmus obire sine Viatico videatur.

De Confessionibus infirmorum.

Ab infirmis in mortis periculo constitutis pura est inquirenda Confessio, non pœnitentia injungenda. Eis tamen est intimandum ut conterantur, & doleant de peccatis suis universis & singulis. Non tantùm timore pœnæ quam peccando meruerunt, sed quia Deum Patrem & Creatorem, & Redemptorem suum offendere præsumpserunt, acerbitates ægritudinis quasi flagella pij Patris quamdiu ei placuerit cum gaudio sustinentes. Si autem convaluerint statim ad Sacerdotem accedere debent, & tunc eis pœnitentia competens injungatur.

Vt non extorqueatur pecunia pro benedictionibus.

In Concilio prohibetur ne aliquis pro benedictionibus nubentium, exequijs mortuorum, & alijs Sacramentis, pecuniam extorquere præsumat, aut plegios exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta opponat. Debent tamen à Parochianis quibus impensa sunt sacramenta piè consuetudines observari, & liberè sacramenta Ecclesiastica conferri. Et sunt per Archiepiscopum compescendi, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare. Et ideo inhibetur ne Sacerdos aliquis in casibus hujusmodi audeat sibi jus dicere, sed apud Superiorem querelam deponat.

De Confessionibus Sacerdotum.

Præcipitur quòd Sacerdotes Archiepiscopo vel Pœnitentiarijs suis saltem semel in anno confiteantur, permittit autem Archiepiscopus quòd possint interim quotiens opus fuerit etiam alijs Sacerdotibus confiteri. Clerici antequam Ordines recipiant Archiepiscopo vel Pœnitentiarijs discretis confiteantur, ne fortè pro simplicitate indiscreti Confessoris, irretiti irregulariter ordinentur.

Ex Concilio Lateranensi. De Confessione laïcorum.

Doceatur autem maximè ante Quadragesimam, quòd omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis venerit, omnia sua fideliter confiteatur peccata, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat proprijs viribus adimplere. Si quis autem alieno Sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet &

obtineat á proprio Sacerdote; cùm aliter ille non possit illum absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit cautus & discretus, ut more periti Medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati. Caveat autem omnino omnis ne verbo aut signo, aut alio quovismodo prodat aliquatenus peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit: illud absque ulla expressione cautè requirat. Quoniam enim qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare: non solum á Sacerdotali Officio deponendum decrevimus, verùm ad agendum perpetuam pœnitentiam, & in arctum Monasterium detrudendum.

Ut Sacerdotes eligant locum eminentem ad audiendum Confessionem.

Ad audiendum Confessionem, eminentem locum sibi eligant Sacerdotes, ut communiter possint videri, & in locis abditis extra Ecclesiam nullus recipiat Confessionem, nisi in necessitate. In Confessione habeat Sacerdos vultum humilem, & oculos in terram, nec indiscrete & frequentiùs faciem respiciat confitentis, maximè mulieris; & patienter audiat quæ dixerit in spiritu lenitatis, & ei pro posse suo pluribus modis persuadeat ut confiteatur integre, unde vere aliter dicat ei non valere.

Ne Sacerdotes inquirant nomina personarum.

In Confessione sibi caveant Sacerdotes ne inquirant nomina personarum cum quibus peccaverint Confitentes, sed circumstantias tantùm quæ possunt aggravare peccatum.

Ne Sacerdotes injungant Missas Confitentibus.

Consulimus & monemus ne Sacerdos Missas injungat Confitentibus, sed ut cupiditatis notam effugiat in hac parte, fructum qui ex tali injunctione solet Sacerdotibus provenire, censeant pauperibus erogari; & si fortè injunxerint non recipiant ipsi denarios, sed pœnitentibus injungant ut Sacerdotibus distribuant quibus viderint expedire.

Ut inquirantur Peccata usitata.

Quia per experientiam certam didicimus pro fornicatione vel etiam peccatis majoribus fere nullam vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi à Sacerdotibus ignorantibus, seu negligentibus Canonica instituta: præcipimus quòd Sacerdotes studeant inquirere diligenter & peccata usitata & circumstantias usitatas peccatorum, maximè gulæ, luxuriæ & cupiditatis, quibus genus humanum * facile corrumpitur. Vitium autem gulę in

* al. frequētiùs

excessu

in MSS. Canom. & Bajocensi

exceſſu circa potum & cibum attenditur, quod maximè fit in quinque. Inquiratur igitur pœnitens utrum *aliquando exceſſum fecerit, quærendo cibos nimis ſumptuoſos, nimis delicatos, ſicut dives in Evangelio qui epulabatur quotidie ſplendidè, & Judæi qui carnes in deſerto concupierunt. Item utrum peccaverit in nimia ciborum etiam vilium ſumptione, ſicut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. Item ſumēdo cum nimia aviditate ſicut Eſaü, vel cum nimio* apparatu ſicut filij Hely, ſive ante horam ſicut Jonathas. Quod ſi fecerit, moneatur à talibus abſtinere, & curare contraria contrarijs ſtudeat diligenter: hi ſiquidem ſunt ſatellites Nabuſardam, quod interpretatur princeps coquorum, qui Hieruſalem (id eſt) fidelem animam funditùs deſtruxerunt.

*aliquē

* appetitu.

*Ex Concilio Lateranenſi. * Quòd Clerici abſtineant ſe ab ebrietate.*

* De ſuperfluitate.

A Crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde ſibi vinum temperent, & ſe à vino. Nec ad bibendum quempiam incitent, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. † Undè illum abuſum duximus penitus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur & exaltatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. † Si quis autem ſuper his potationibus ſe culpabilem exhibuerit, & niſi commonitus à ſuperiore ſatisfecerit competenter, à beneficio & ab officio ſuſpendatur.

† Hæc deſunt in MSS.

Item de eodem.

Et hoc idem præcipiant *populo Sacerdotes, firmiter injungentes dominis tabernarum, ne in domibus ſuis vel in locis circumadjacentibus, comparrochianorum ſuorum cauſa, potationis ſuſtineant conventicula congregari: oſtendentes eis quòd talis potatio innumerabilium eſt occaſio peccatorum. Qui autem tertiò admonitus huic ſalubri ſtatuto acquieſcere noluerit, tam ipſe quàm familia ejus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur.

** deeſt, populo*

STATUTA hæc ſeu PRÆCEPTA, quæ abſque ulla autoris ſeu temporis nota, ſive in manuſcriptis, ſive in editis codicibus reperiuntur; PETRO de Collemedio tribuenda ſuadebant inprimis quòd immediatè præcederent ejuſdem NOVA PRÆCEPTA, quæ ad antiqua referri haud incongruum videbatur, tum etiam quòd mentio fieret SENTENTIÆ GALEONIS qui circa id tempus vivebat & à Legato facta quædam innueren, aliaque id genus rationum momenta. At noviſſimè, nimirum ſtatim atque ea Typographus è prælo emiſit, eorumdem Apographum ex veteri Membrana quadringentorum penè annorum ætatem præferente deſcriptum, humaniſſimè ad me tranſmiſit

V. C. D. *Le Feron* Doctor Sorbonicus & insignis Ecclesiæ Carnutensis Canonicus, cui præfixit eadem manu suâ Præfationem, quâ probare contendit, ea esse MAURITIJ ex Episcopo Cœnomanensi Rotomagensis Metropolitani, PETRI de Collemedio præsessoris immediati; eaque ab ipso edita, dum Cœnomanensem regeret Ecclesiam, ex duplici nota existimat; 1. nimirum quòd Hamelini qui ei eem Sedi nullo medio præfuit: 2 quia dictæ Ecclesiæ ac Patronorum mentionem faciat expressam. At cùm neque Hamelini neque Patronorum Ecclesiæ Cœnomanensis in codicibus nostris seu manuscriptis seu editis ulla mentio habeatur, quin ea adscribi merito potuerint PETRO, nihil vetare censuerunt eruditi, quibus dubium illud discutiendum communicavi. Inde est quòd mediam ferè dictorum Capitulorum seu statutorum partem prætermisimus quæ in MS. Cœnomanensi habentur, ut quæ 124 complectatur, nec ultra 71 illius caput progressi fuerimus, licet ad 86. pertingant editiones nostræ ob diversam scilicet Capitum, seu Canonum divisionem, ac contingat sæpenumero ut plures Canones sub eodem titulo conglobentur, quin & alio ordine ponantur. Ceterùm quæ supersunt ex Feroniano Apographo à numero 71. ad 124. Caput datâ operâ à nobis prætermissa fuere, ut quæ ad Cœnomanensem Ecclesiam non autem ad nostram spectarent, aliàs in Bajocensi, seu in varijs Rotomagensis Ecclesiæ codicibus reperiri debuissent. Inde etiam factum est ut ea PETRO potiùs adjudicata à nobis fuerint, quamvis ea forsan MAURITIUS etiamnum Cœnomanensibus infulis decoratus edidisse probabile sit, quæ tamen demum à PETRO in meliorem redacta formã Diœcesi suæ servanda proposita fuerint, quibus deinde Nova sua Præcepta per modum Corollarij seu Appendicis addiderit.



NOVA PRÆCEPTA
DOMINI PETRI DE COLLE-MEDIO
Archiepiscopi Rotomagensis.



PRæcipimus quòd singulis diebus Dominicis & Festivis excommunicent Presbyteri Parochianos, qui pro pecunia, vel pro aliquo illicito commodo vel emolumento præsentant ad Ecclesias, Personatus, Vicarias, Capellas in quibus habent Patronatum, & eos qui taliter recipient vel receperunt.

Item præcipimus quòd quilibet Sacerdos in Parochia sua, seu Capellanus in Capella sua dicat Matutinas de nocte, & omnes horas horis competentibus; videlicet: Primam manè: post Tertiam, Missam; & pòst, Sextam, & Nonam, & pulset horis debitis ad quamlibet horam. Et præcipimus quòd dicant cum Nota, & habeant Breviarium secundum consuetudinem Rotomagensis Ecclesiæ, & hæc de Breviario sub pœna viginti solidorum præcipimus.

Item præcipimus quòd quilibet habeat lumen in Ecclesia sua de nocte & die; saltem ad Missam & ad Vesperas, lampadem saltem vel candelam.

Item præcipimus quòd quilibet Sacerdos veniat ad Capitulum Decani; & qui non venerit puniatur in decem ſolidos, & ſervetur pœna recepta ad mandatum Archiepiſcopi.

Item præcipimus quòd quilibet Sacerdos die Dominicâ Parochianos ſuos ad bonum cohortetur, & doceat eos fidem & cognoſcere mortalia peccata; Et qui prædicare nequiverit ſeu neſcierit, ſaltem ſemel in menſe faciat Parochianis ſuis proponi verbum Dei per aliquem bonum Clericum, vel religioſum, & notam perſonam.

Item præcipimus quòd nullum recipiant ad prædicationem, vel ad proponendum verbum Dei quærentem eleemoſinas pro ædificanda Eccleſia, Leproſaria, vel domo Dei, ſeu pro alijs quibuſcumque queſtis. Sed cùm venerint cum literis noſtris, ipſi Sacerdotes proponant pro eis negotium, ſecundum quod in literis noſtris viderint contineri. Et ſub pœna excommunicationis præcipimus ne à talibus exigant Sacerdotes; ſed quicquid receptum fuerit, in commodum eleemoſinas petentium totum cedat.

Item præcipimus quòd ſeparati ſint in Eccleſia, mulieres, Clerici, & laïci.

Item quòd quilibet in Parochia ſua ſcripta nomina habeat Parochianorum ſuorum, ut cognoſcat extraneos ab ipſis.

Item quolibet die Dominico quærant ſi ſint Parochiani extranei inter ſuos; & ante Miſſæ ingreſſum ejiciant extraneos diebus prædictis, niſi ſint aliquæ notæ perſonæ tranſeuntes.

Item qui nullos habent Parochianos, nullos recipiant diebus ſolemnibus prædictis.

Item Parochianus exiſtens in Parochia, ſi tribus diebus Dominicis continuis ad Miſſam non venerit, excommunicetur; & hoc frequenter in Eccleſijs publicetur.

Item quilibet Sacerdos Clericos litigioſos exiſtentes in Parochia ſua, vel qui conſueverint malitioſè facere aliquid, ad loca remota vel ignota citari nobis denuntient.

Item nullus recipiat mandatum Judicum ignotorum vel aliorum, niſi ſit aliqua nota perſona & authentica; & niſi videat authenticum Domini Papæ, & ipſum diligenter examinet.

Item claudantur & limitentur atria Eccleſiæ; & ſi difficultas adhibeatur, per Decanum loci noſtrum conſilium requiratur, vel per Archidiaconos locorum, ſi ipſi hoc expedire non poſſunt.

Quæ sequuntur per articulos majusculis literis distincta sunt, quod dubium ingerit an ejusdem PETRI de Collemedio sint, aut potiùs Statuta Prædecessorum quæ fuerunt in usu.

Contra Adulteros.

FRequenter contra adulteros, incestuosos, usurarios notorios clament & prædicent Sacerdotes: & si incorrigibiles inveniantur, denuntient eos nobis.

Vt non communicent Sacerdotes cum Excommunicatis.

Sacerdotes scienter non communicent cum excommunicatis, quia sic vilescere faciunt sententiam Excommunicationis.

Vt non purificent Fornicarias Presbyterorum.

Puniri præcepimus Sacerdotes, qui fornicarias sociorum Sacerdotum, vel etiam alias mulieres adulteras, seu fornicarias purificant sine licentia nostra speciali, vel Archidiaconi loci, vel Pœnitentiariorum existentium Rotomagi.

Vt non sint Columbi in Campanilibus.

Item Sacerdotes non habeant Columbos in campanilibus, per quos Ecclesia quandoque & Altare deturpantur.

Ne absolvant in magnis Casibus.

Item prohibemus ne Sacerdotes absolvant in magnis casibus constitutos, homicidas videlicet, sacrilegos, sortilegos, incestuosos, peccatores enormes contra naturam, violatores Monialium, vel raptores virginum & aliarum mulierum, & similia. Et scribant casus istos cùm evenerint, & tradant Archidiacono, sive nobis.

Vt bona eorum qui non resident in Ecclesijs suis saisiantur.

Circa eos qui non resident in Ecclesijs suis, vel non ordinantur, servetur illa Constitutio: *Extirpandæ*, bona eorum saisiantur.

De Habitu & Statu Clericorum.

Cùm in Tonsura & maximè habitu differre debeant à laïcis Sacerdotes, in quibus plures invenimus istis temporibus delinquentes. Præcipimus quòd omnes Coronam magnam habeant & Tonsuram altam & bene rotundam; & qui in his de cetero invenietur culpabilis, graviùs punietur.

Item Presbyteri cum tabardis seu garnachijs, sine cappa clausa desubtus, si inventi fuerint inter alios discurrentes, tabardum sive garnachiam amittant, & leprosis seu alijs pauperibus conferatur, & nihilominus deferens aliàs prout justum fuerit punietur.

Item cùm Clerici Curati, & Sacerdotes exemplum esse de-

beant ſubditorum, luctas & choreas eiſdem interdicimus, & omnem ludum cum pila, & maximè cum laïcis, qui nobis ſemper inſidiantur: & cùm per talia autoritas prælationis vileſcat, & nonnunquam contingat periculum corporale; & qui ſuper his ſeu aliquo iſtorum de cetero invenietur culpabilis, graviter punietur.

Ne Sacerdotes convivent Parochianis ſuis.

Inhibetur Sacerdotibus ne ipſi invitent Parochianos ſuos ad convivandum in domibus ſuis; & ſi invitati fuerint à Parochianis ſuis ad convivandum, Preſbyteri non vadant, niſi fortè cum aliquibus perſonis gravibus & honeſtis, unde non poteſt ſcandalum ſuboriri, & tamen hoc rariſſimè fiat, pro pluribus periculis evitandis.

Item ſtatuimus ut ſingulis annis per ſingulos menſes Synodalia Statuta ſinguli perlegant Sacerdotes. Quotienſcumque aliquis Sacerdotum hoc Statutum ſervare neglexerit, per menſem ſequentem ad minus officijs ſuſpendatur.

LITERA CAPITULI SANCTI MELLONIS, Super convocatione Canonicorum abſentium ad tractandum inter ipſos, utrum dicta Eccleſia ſit ſubjecta Domino Rotomagenſi Archiepiſcopo.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, Capitulum S. Mellonis Pontiſarenſis, ſalutem in Domino.

NOVERIT Univerſitas veſtra, quòd nos promiſimus venerabili Patri Domino PETRO Dei gratiâ Archiepiſcopo Rotomagenſi, quòd convocabimus ſingulos Canonicos Eccleſiæ noſtræ, ad inſtantem vigiliam Beati Michaëlis, ut die ipſâ perſonaliter compareant, vel per procuratorem idoneum, nobiſcum ſint in Eccleſia noſtra, vel legitimè ſe excuſent, ad tractandum ſuper eo quod eidem Archiepiſcopo recognovimus & recognoſcimus, tamquam Diœceſano proprio in omnibus nos ſubeſſe: ac ipſum juriſdictionem ordinariam in nobis habere: ac etiam ſuper obedientia, ad quam eidem tamquam Paſtori & Archiepiſcopo noſtro recognoſcimus, & recognovimus nos teneri: & tunc tractatu ſuper hoc habito, de communi conſenſu faciemus eidem literas noſtras præmiſſa continentes, ſub forma, ſub qua alias & jam fecimus, vel ſub alia forma ad voluntatem ſuam, & prout ſibi viderit expedire, & ſuper hoc ſub pœna centum marcharum ſe obligavit Theſaurarius noſter pro nobis: in cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Datum anno Domini 1237. die Veneris poſt Decollationem ſancti Joannis Baptiſtæ.

Anno 1237.

LITERA RECOGNITORIA DE SUBJECTIONE Facta Domino Archiepiſcopo, habita in præſentia Domini Regis ſancti Ludovici.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, Capitulum S. Mellonis Pontiſarenſis, ſalutem in Domino.


NOVERIT Univerſitas veſtra, quòd cùm inter venerabilem Patrem & Dominum PETRUM Dei gratiâ Rotomagenſem Archiepiſcopum & anteceſſores ejus ex una parte, & nos ex altera, quæſtio verteretur ſuper ſubjectione, correctione, & obedientia, ac juriſdictione; in quibus dicebamus eidem minimè nos teneri: tandem de voluntate & aſſenſu Domini Regis Francorum illuſtris Ludovici, mediantibus bonis viris recognovimus & recognoſcimus, nos in prædictis & in omnibus ei tamquam Ordinario noſtro ſubeſſe, utpote in ſua Diœceſi conſtitutos; & promiſimus ac promittimus eidem ac ſucceſſoribus ſuis in perpetuum obedire in mandatis ſuis adimplendis & exequendis, in interdictis, ſuſpenſionibus, & excommunicationibus, cum illa protulerit, aut ſervanda mandaverit, inviolabiliter obſervandis. Ita quòd per ipſum etiam juſtitiabimur, aut per mandatum ſuum, Archidiacono Pontiſarenſi excepto, cui nullatenus obediemus. Et in omnibus alijs, in quibus debet Diœceſano ſuo ſubditus obedire, obediemus eidem & ſucceſſoribus ſuis humiliter & devotè.

Viſitabit etiam & inquiret, & cognoſcet de exceſſibus, criminibus, & infamijs Capituli Canonicorum ſingulorum, Vicariorum & Clericorum chori noſtri quandocumque ſibi placuerit & viderit expedire. Verùm ſemel in anno immediatè corriget & emendabit prout viderit corrigendum vel emendandum in Capitulo Canonicis ſingulariter, Vicarijs & Clericis ſupradictis. Poſt illam verò correctionem, ſi aliqua per viſitationem, inquiſitionem, vel famam in Canonicis, vel Vicarijs ſive Clericis de Choro intellexerit corrigenda, mandabit Capitulo quòd ea corrigat, & emendet infra certam diem exceptis criminibus, quorum correctionem de aſſenſu noſtro ſibi ſpecialiter reſervavit; alioquin ipſe ex tunc illa ad ſuam corriget voluntatem, niſi ſufficienter oſtenderimus ſecundùm delicti exigentiam eſſe correctum infra prædictam diem ab ipſo vel ſucceſſoribus ejus præfixam.

Quia verò contingit Canonicos in Eccleſia quandoque præſentes non eſſe, ſufficit ſi denuntiet in eadem Eccleſia præſentibus aliquibus bonis viris, ſive de Eccleſia ſive aliunde correctionem illam faciendam infra diem certam quam viderit expedire. Semel autem in anno ipſum procurabimus cùm ad Eccleſiam noſtram acceſſerit, & pro procuratione tenemur ei dare ipſâ die, quâ ad nos venerit, centum ſolidos Pariſienſes & hoſpitium paratum in palea, lignis, lectis, ſcyphis, paropſidibus, & alijs utenſilibus domûs, nec Prior ſancti Petri Pontiſarenſis, qui ſolebat nobiſcum in procuratione ſolvere partem ſuam, aliquid ſolvet de centum ſolidis prætaxatis, primâ procuratione exceptâ, quam integram ſimul tenemur ſolvere nos & ipſe eidem

Archiepiscopo & successoribus suis in primo eorum adventu. De qua prima procuratione integra solvet idem Prior partem tertiam sicut solet. In alijs autem annis quibus pro procuratione centum solidos solvere tenemur cum utensilibus domûs, Prior sancti Petri nihil tenetur apponere, & salvum sit jus Archiepiscopo contra ipsum.

His omnibus interfuerunt venerabiles Patres HENRICUS Remensis Archiepiscopus, GUILLELMUS Parisiensis, ADAM Silvanectensis Episcopi, ODO Abbas sancti Dionysij, PETRUS Præpositus sancti Audomari, HENRICUS Archidiaconus Remensis, Magistri PETRUS de Columna, & PETRUS de Papia Canonici Parisienses. In cujus rei testimonium & munimentum præsentes literas sigillo nostro fecimus communiri. Actum apud Vicenas die Jovis ante Nativitatem Beatæ Virginis, anno Domini 1237.



LITERÆ CAPITULI SANCTI MELLONIS

Super ratificatione & approbatione Compositionis, hujusmodi in eodem Capitulo præsentibus omnibus Canonicis approbatæ. *Anno 1237.*

Universis præsentes literas inspecturis, Capitulum S. Mellonis Pontisarensis, salutem in Domino.

NOVERIT Universitas quòd cùm venerabilis Pater & Dominus PETRUS Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus nos & nostram Ecclesiam visitaret, & de quorumdam excessibus inquireret juxta debitum officij sui, vocatis omnibus Canonicis qui vocari commodè poterant, & debebant: præsentibus omnibus per se vel Procuratores, duobus Canonicis exceptis qui erant Romæ, lecta fuit & recitata in publico Compositio inter ipsum & nos habita, per quam ei tamquam Diœcesano subesse tenemur. Nos autem Compositionem prædictam gratam & ratam habentes, promittimus nos eam perpetuò servaturos. In cujus rei testimonium & munimen præsentes literas sigillo nostro fecimus communiri. Datum Pontisaræ in crastino sancti Nicolai anno Domini 1237.



COMPOSITIO FACTA

Inter Petrum Rotomag. & Hugonem Episcopum Sagiensem super quibusdam controversijs, anno 1236.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

CUM in nos Hugonem Archidiaconum Rotomagensem & Magistrum Guillelmum de Rouris Officialem Sagiensem à venerabilibus Patribus Petro Dei gratiâ Rotomagensium electo, & Hugone ejusdem gratiâ Episcopo Sagiensi compromissum extiterit in hac forma: Nos P. &c.

Nos collatione & deliberatione habitâ diligenti & consideratis circumstantijs prædicti negotij, ac intendentes in pacem & quietem dictorum venerabilium patrum & Ecclesiarum & subditorum ipsorum sub pœna prædicta (videlicet ducentarum marcharum) arbitramur, & dicimus.

1° Quòd de cetero Archiepiscopus Rotomagensis vel Officialis ipsius non recipiat appellationes factas seu faciendas ab Archidiaconis vel Decanis Ruralibus Episcopi Sagiensis Diœcesis, Sagiensi Episcopo prætermisso.

2° Quòd Archiepiscopus Rotomag. seu Officialis ipsius possit compellere subditos Episcopi Sagiensis subdelegationem recipere, executiones & citationem facere, sententias exequi, ac testimonium perhibere, & excommunicatione suspendere, sub alio modo compellere contradicentes seu rebelles, excepto quòd non tenebuntur citare ad mandatum dictorum Archiepiscopi vel ejus Officialis aliquem extra Diœcesim Sagiensem, nisi aliter causa rationabilis suaserit, nec Sagiensis Episcopus quominùs ut dictum est prædicta fiant, aliquatenùs se opponet.

3° Quòd cùm Archiepiscopus Rotomagensis visitaverit Diœcesim Sagiensem possit cognoscere de causis quæ ad eum deferentur de subditis Episcopi Sagiensis per simplicem querelam, donec in Diœcesi extiterit Sagiensi, & ne partes graventur, arbitramur & dicimus sub eadem pœna, quòd de ipsis causis non intromittat se dictus Archiepiscopus extra Diœcesim Sagiensem. Sed cum exibit, vel exierit Diœcesim causas jam inchoatas coram se totaliter & earum quæ terminatæ fuerint executiones committet in eodem statu, in quæ eas dimittet Episcopo Sagiensi nisi probabiliter proponeretur suspectus, in quo casu alicui de subditis Episcopi Sagiensis dictas causas & executiones idem Archiepiscopus committet, & ipse Episcopus tenebitur recipere commissiones easdem cùm dictus Achiepiscopus (prout supra dictum est) easdem sibi duxerit committendas: excepto quòd intromittere se possit Archiepiscopus jam dictus de prædictis causis jam coram se inchoatis vel terminatis extra Diœcesim Sagiensem, si partes consenserint super hoc. Per hæc autem quæ dicta sunt à nobis, in nullo intendimus derogare vel detrahere Compositioni factæ per venerabilem Patrem D. Sabinensem inter prædictos Archiepiscopum & Episcopum, vel specificationi seu suppletioni factæ postea super eam per ipsos. Dicti autem electus & Episcopus arbitrium & dictum prædictum incrementum approbaverunt, & rata habuerunt expressè &c. Actum anno Domini 1236. mense Martio in Festo S. Benedicti.

Apud Sagium Anno 1238. sabbatho post Ascensionem Domini.

GISLEBERTUS Prior totusque Conventus Ecclesiæ Sagiensis Compositionem factam in Curia Romana per bonæ memoriæ J. Episcopum Sabinensem inter Hugonem Episcopum Sagiensem & Ecclesiam suam ex una parte & procuratores felicis memoriæ Mauritij Archiepiscopi pro se & Ecclesia Rotomag. ex altera, & adjectiones & declarationes super ea factas postmodum per dictum Episcopum & PETRUM Rotom. Archiepiscopum tunc electum, successorem dicti Mauritij, & arbitrium latum ab

Hugone

Hugone Pisano Rotomag. Archidiacono & Guillelmo Officiali Sagiensi rata habent & firma. Actum apud Sagium anno 1238.

DIPLOMA S. LUDOVICI FRANC. REGIS PRO BOSCIS DEVILLÆ.

Rotomagensi Archiepiscopo Petro in Excambium datum Anno Christi 1238.

Ex Archivo Archiepiscopali

LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus quòd pro Usuagio quod dilectus & fidelis noster Petrus Rotomagensis Archiepiscopus habebat in Foresta nostra de Romara & ejus pertinentijs, per voluntatem & assensum ipsius, centum acras assignavimus ei in una parte, & præterea sex acras pro plateis vacuis prope Devillam, secundum quod mensuratæ sunt de mandato nostro per mensuratores nostros, & Regio signo signatæ, & secundum quod metæ sunt fixæ, ab ipso & ejus Successoribus pro dicto Usuagio quietè, liberè & pacificè in perpetuum possidendas. Unde idē Archiepiscopus pro se & suis Successoribus dictum Usuagium quittavit nobis & hæredibus nostris, ita quòd in ipsa Foresta vel ejus pertinentijs, ipse & ejus successores nihil poterunt de cetero reclamare. Actum apud Pontisaram anno Domini 1238. Mense Februarij.

Petrus Rotom. Archiep. providet Ecclesiæ Ebroïcensi vacanti.

Ex Archivo Archiepiscopali

ANNO 1243. PETRUS Archiepiscopus Rotomagensis Vacationem Ebroïcensis Ecclesiæ coram Domino Papa Innocentio IV. & fratribus recitans, ab eis accepit, ad se (Petrum Archiepiscopum) provisionem ejusdem Ecclesiæ esse devolutam. Unde ipse habito consilio in præsentia Domini Papæ, Magistrum Joannem de Curia, Decanum Ecclesiæ B. Martini Turonensis, eidem Ecclesiæ providit in Pastorem, & mandavit Magistro P. de PP. Archidiacono Wilcassini Franciæ Vicario suo, ut provisionem de ipso factam ei & Capitulo Ebroicensi nuntiaret, rogans ex parte ejus Decanum prædictum attentiùs, & inducens ut onus sibi injunctum pro nomine Jesu Christi susciperet, supradictis Clero & populo etiam injungeret, ut ei obedientiam & venerationem tamquam Pastori suo exhiberet; contradictores & rebelles, si necessarium foret (cupiens non solùm providere matri Rotomagensi Ecclesiæ in hac parte, sed saluti etiam consulere animarum, ne delinquentium excessus in eadem Provincia manerent incorrecti) per Censuram Ecclesiasticam compellendo, ut patet ex Diplomate ejusdem Archiepiscopi dato apud Aquāpendentem in Festo S. Gregorij Papæ Indictione 2. Innocentius IV. hanc provisionem ratam habuerat, mandavitque eidem Vicario ut eumdem Joannem, postquam eidem provisioni consensisset, faceret tam suâ quàm prædicti Papæ autoritate à Decano, Capitulo, Clero & populo Civitatis & Diœcesis Ebroïcensis recipi in Pastorem, sed & eidem Joanni injunxit ut prædictæ Provisioni consentiens, impositum sibi onus susciperet. Bullâ datâ Laterani Pontificatus anno 1.

BULLA INNOCENTIJ IV. PAPÆ
PETRO DE COLLEMEDIO ROTOM. ARCHIEPISCOPO Pro Visitatione Provinciæ. Anno 1243.

INNOCENTIUS *Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & Apostolicam benedictionem.*


CUM sicut asseris, te Rotomagensem Provinciam juxta officij tui debitum visitante, quædam Ecclesiarum Cathedralium Capitula ejusdem Provinciæ te ad visitandum admittere, ac Procurationes ratione Visitationis debitas tibi denegent exhibere; Nobis humiliter supplicasti, ut ne litigiorum occasione, delinquentium in eadem Provincia excessus remaneant incorrecti, providere super hoc paternâ sollicitudine curaremus. Quia igitur plus timeri solet quod exprimitur specialiter, quàm quod edicto concluditur generali: tuis justis inclinati postulationibus volumus & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus cùm eamdem Provinciam te contigerit visitare, circa prædictos & alios ipsius Provinciæ non exemptos, sive autoritate tuâ sive nostrâ, quam tibi sinceræ devotionis obtentu, quo te ac Rotomagensem Ecclesiam erga sedem Apostolicam fervere specialiter novimus; committimùs in hac parte Visitationis officium liberè, non obstante contradictione aliquâ exequaris: Procurationes ab ijs juxta facultates Ecclesiarum congruas recepturus; contradictores & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postpositâ compellendo. Nos enim Sententiam, quam propter hoc tuleris in rebelles ratam habebimus, & faciemus autore Deo usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani 13. Kalend. Martij. Pontificatus nostri anno 1.

DAmus aliquot Bullarum summaria tum PETRO, cùm illius Successoribus à summis Pontificibus directa. Libentiùs pleraque ex integro dedissemus si facilis aditus pateret ad pluteos ubi delitescunt, juvabit saltem ea indicasse.

Innocentij IV. Bulla de Visitatione Provinciæ, data Lugduni Kalend. Aprilis. Pontificatus anno 2.

Alia ejusdem eodem die &, loco Abbatibus, Episcopis & alijs, de jure Visitationis.

Bulla ejusdem Innocentij de alienanda Foresta de Alacri-monte Kalend. Aprilis Lugduni. Pontificatus anno 2. Asservantur in Archivo Archiepiscopali



Anno 1244.

BULLA INNOCENTIJ IV. PAPÆ
Ad Decanum & Capitulum Rotomagense pro Electione ODONIS Clementis

Ex schedis nostris.

INNOCENTIUS *Episcopus servus servorum Dei, dilectis filijs Decano & Capitulo Rotomagensi, salutem & Apostolicam benedictionem.*

AD culmen summi Apostolatûs assumpti generalis Ecclesiæ regimini præsumus, illius (licet immeriti) vicem gerentes in terris, qui sine fine regnat in cœlis unigenitus Dei filius Jesus Christus. Verùm ma-

gni nobis ex hoc timoris materia imminet, & dum incumbentis sollicitudinis attendimus sarcinam, mens nimium nostra stupescit. Nam cùm suscepta cura d bitum Pastoralis officij exigit, & nos ex nostra simus insufficientia non solvendo, possumus non immerito formidare, ne minus plenè commissam nobis potestatis plenitudinem exequamur. Quamquam circa crediti nobis Dominici gregis custodiam, quantum ex infirmitate valemus humana, negligentiæ somno ab oculis cordis excusso diligentiâ sedulâ vigilemus. Firmam tamen spem fiduciamque tenentes, quòd ille qui nos voluit suos fieri Vicarios, nobis ad portandum utiliter impositum humeris nostris onus virtutis gratiam assiduè largiatur. Ecclesijs omnibus solertiâ indefessâ prospicimus, earum providere utilitatibus & indemnitatibus præcavere studentes, in eo potissimè ut talibus gubernatio committatur ipsarum, quorum studio laudabilibus in spiritualibus & temporalibus proficiant incrementis, & illarum præcipuè quæ Romanæ noscuntur Ecclesiæ nullo medio subjacere; cùm quanto specialiùs subsunt ei, tanto de ipsis teneamur sollicitiùs cogitare. Sanè vacante Rotomagensi Ecclesiâ, & nonnullis ex vobis postulantibus Venerabilem Fratrem nostrum Albanensem Episcopum, aliquibus verò eligentibus dilectum filium Magistrum ODONEM de S. Dionysio Concanonicum vestrum in Rotomagensem Archiepiscopum, nobisque postulatione ac electione hujusmodi præsentatis, & postulantium parte postulationem eamdem admitti electione reprobatâ prædictâ, parteque eligentium confirmari electionem ipsam præfatâ postulatione repulsâ petentibus. Nos licet postulantium zelus in eo laude non modicâ commendandus existeret, quòd eidem Ecclesiæ provideri de Pastore idoneo cupientes, in præfatum Episcopum tantum ac tale Romanæ Ecclesiæ membrum, cujus providentiâ Ecclesiam ipsam Rotomagensem in spiritualibus & temporalibus posse multipliciter ampliari sciebant, direxerunt vota sua. Quia tamen major utilitas, minori debet non immerito anteferri, considerato quòd ejusdem præsentia Episcopi apud Sedem Apostolicam utilior non solùm prædictæ Rotomagensi sed etiam Ecclesiæ generali, quàm penes eamdem Rotomagensem esse dignoscitur, præsertim cum ipsius probitate, suique maturitate consilij sedem eamdem carere nolentes, eum de præfata Rotomag. cui diu non tam præfuerat quàm profuerat, transferre ad Albanensem Ecclesiam curassemus, præmissam postulationem non duximus admittendam, electionem prædictam, auditis & pleniùs intellectis quæ super ea hinc inde fuerant proposita coram nobis de fratrum nostrorum consilio justitia exigente cassantes. * Verùm ne dicta Rotomagensis Ecclesia quæ inter alias regionis illius sic bonitatis titulo specialiter insignita conspicitur, quòd eas & honestæ conversationis exemplo dirigit, & eminentis scientiæ illuminat claritate, absque Præsule diutiùs remaneret; cùm eo periculosior sua esset vacantia, quò Pastori qui præest in ipsa pro tempore, plurium cura imminet subditorum. Volentes eidem de tali Pontifice, cujus industria & sollicitudo tanto congrueret honori ac oneri providere, venerabilem Fratrem nostrum Rotomagensem Archiepiscopum, tunc Abbatem Monasterij S. Dionysij in Francia virum utique probatæ vitæ, magnæ scientiæ, ac circumspectionis expertæ ipsi Rotomagensi Ecclesiæ de

*NOTÆ Lector longè aliter sētire Innocentiū de Rot. Ecclesiâ quàm quod plerique ex D. Bernar-


di Epist. ad Hugonem nostrum objiciūt.

prædictorum Fratrum consilio in Archiepiscopum præfecimus & Pastorem, absolventes eum à vinculo quo eidem Monasterio tenebatur, & ad dictum Rotomagensem Ecclesiam transferentes, sibi ad illam transeundi licentiam ac postmodum consecrationis munus, & tandem Pallium, insigne quidem Pontificalis officij tribuendo, firmâ spe fiduciaque conceptâ quod suæ diligentiæ studio, per quam præfatum Monasterium multiplex suscepisse cernitur incrementum, sæpe dictam Rotomagensem Ecclesiam in spiritualibus & temporalibus laudabiliter auctore Domino augmentabit: Ideóque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus memoratum Archiepiscopum tamquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devotè suscipientes, eidem obedientiam & reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis & mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam quam idem ritè tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus autore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Lugduni 3. Kalend. April. Pontificatus nostri anno 2.

---

57. * ODO I. CLEMENTIS, ex Abbate S. Dionysij in Francia, Ecclesiæ Rotomagensi in locum Petri de Collemedio ab Innocentio IV. substituitur anno 1244 exeunte, & in ea recipitur anno sequenti Dominicâ 4. post Pascha. In Monasterio multa piè præclareque gessit æque ac in Pontificatu, quo Matthæi Paridis calumnia refellitur, qui eum sophisticè tantùm Rotomag. Ecclesiæ regimen habuisse scribit, eo nimirùm quòd prædecessori Episcopalium redituum portionem sustentandæ novi Cardinalis dignitati cesserit ex summi Pontificis licentia, qui ad eum varia scripsit de Friderici sæva persecutione deque ejus fautoribus. Ecclesiam Collegiatam de Andeliaco, quam (ut ipse testatur) deformatam omnino in spiritualibus & temporalibus invenerat, & omni prorsus consilio & auxilio destitutam in meliorem statum redegit. Tandem morte præoccupatus resarcire non potuit sumptus quos novi Pontificatus initio fecerat; licet Canonicis pro Anniversario libras 7 in Molendino Deivillæ quod extruxerat reliquerit, Clericis verò Chori solidos 30. Obijt autem 3. Non. Maij anno 1247.

Anno 1245 Præcepta tradidit Decanis suæ Diœcesis post Synodum Hyemalem, quæ sequuntur.



PRÆCEPTA DECANIS FACTA
Post Synodum Hyemalem. Anno Domini 1245. & data eis in scriptis.



IN primis ut Præcepta sua Synodalia antequam recedant corrigant secundum nostra, quæ fuerunt in Synodo recitata, & infra mensem faciant eodem modo ad sua Præcepta correcta, corrigi omnium Presbyterorum præcepta.

Item ut diligenter & sine mora inquirant, qui de suis Presbyteris vel personis defuerunt Synodo in supellicio & cum stola,

Et illos qui ſunt Preſbyteri & Curati, & non Preſbyteri: & non interfuerunt in ſupellicio.

Item omnes illos Preſbyteros & perſonas, qui in Synodo cum ſuppellicio capucium tenuerunt. Super quibus ſi opus fuerit eos aſtringant proprio juramento, & omnibus quos culpabiles invenerint diem competentem aſſignent, ut coram Domino Archiepiſcopo compareant cum literis Decani, ab eodem Archiepiſcopo punitionem recepturi.

Item præcipimus Decanis, ut emendas fideliter colligant & ſine mora, nemini dando dilationem ſine mandato Officialis, & ſcripturam emendarum penes ſe retineant, ut de eis poſſint reddere compotum diligentem.

Item ut unuſquiſque Decanus majores pœnas exigat in ſuo Decanatu, & debitores earum monitione præmiſſâ ad ſolvendum cenſurâ Eccleſiaſticâ autoritate noſtrâ compellat, ita quòd ipſis infra diem aſſignandum poſſint oſtendere rationem. Nomina autem condemnatorum, & in quantum fuerint condemnati, tradat eis Joannes *Baſton.*

Nullam cauſam pecuniariam, nec aliam niſi fortè ex convicijs, teneat coram ſe Decanus aliquis, nec de ſua excommunicatione emendam exigat, ad plus ultra quinque ſolidos.

Præcipitur eiſdem quòd viriliter & fideliter contra Baillivos & Vicecomites mandata curiæ exequantur, ac etiam contra alios potentes. Qui verò negligens vel remiſſus ſuper hoc invenietur, punietur: & hoc eiſdem præcipiant Decani Preſbyteris in ſuis capitulis.

Præcipiant etiam Decani Preſbyteris, ne de cetero ſigilla ſua tradant ſuis Clericis deferenda, & quòd nihil ſigillent donec diligenter viderint quod mandatur, nec priùs ſigillent donec mandatum quod eis injungitur, diligenter fuerit executum.

Item præcipitur ſub graviſſima pœna, ne aliquis ſigillet aliquem ſe excommunicaſſe de mandato curiæ, donec publicè priùs eum excommunicaverit, vel niſi poſt ſigillationem incontinenti eum publicaverit excommunicatum.

Præcipiant etiam Decani Preſbyteris, ut ante ſtatutum tempus ab Eccleſia, maximè pecuniæ interventu non recipiant mulieres ad purificationem, niſi de licentia Officialis vel Archidiaconi.

Præcipitur etiam Preſbyteris ut mulieres deſponſatæ non re-

cipiantur ad Miſſam eo die quo fuerunt deſponſatæ : ſed ſecundâ, vel tertiâ die.

Præcipiant Decani Preſbyteris, quòd diligenter ſingulis diebus Dominicis denuntient in ſuis Eccleſijs, ſecundum quod de novo eſt ſtatutum in Synodo, quod per fidem datam per verba de futuro, nullatenus audeant contrahere volentes ſe carnaliter commiſcere, donec banna fuerint completa, ne appareat aliquis contradictor.

De eodem.

Et faciant abjurare fornicatores hoc modo : Tu jurabis quòd de cetero non cognoſces iſtam carnaliter, & ſi contrafaceres extunc habebis pro uxore tua. Nec de cetero in abjuratione apponatur pœna pecunaria, maximè inter eos qui poſſunt matrimonialiter copulari.

Item non recipiant Decani Breviculos pro queſtis faciendis, niſi priùs eos examinent cum authenticis, & tunc ſigilletur unus de Breviculis, & ſuper exemplo Breviculi ſigillati mittantur per Preſbyteros; nec propter hoc extorqueatur pecunia per Decanos.

Item ſi aliquis de queſtuarijs philaterias ſuas oſtenderit populo, ad facilius extorquendam pecuniam, capiatur, & cum ſuis philaterijs adducatur ad Officialem, & hoc diſtrictè præcipimus Capellanis & Sacerdotibus univerſis.

Item Decanis præcipitur ut ſinguli Decani dent nobis in ſcriptis nomina eorum, qui non reſident in Eccleſijs, tam Sacerdotum quàm aliorum.

Item nomina Eccleſiarum eorum qui non reſident in Eccleſijs ſuis, & eorum qui non ſe repræſentaverunt ad Ordines, quas dudum mandamus ſe* ſciri per literas noſtras.

* *fortè* ſciſcitari

Item nomina perſonarum, qui ſe non repræſentaverunt ad Ordines.

Item præcipimus Decanis, ut non permittant quòd aliquis Capellanus * firmanus habeat ad firmam pluſquam unam Eccleſiam.

* *fortè* firmarius.

Item præcipimus diſtrictè ut nullus habens curam animarum in iſta Diœceſi, habeat aliam ad firmam, niſi fortè ex cauſâ rationabili, & tunc fiat de licentia noſtra ſpeciali.

Item Decanis prohibemus expreſsè, ne teneant Eccleſias ad firmam.

Item Decanis præcipimus ut antequam recedant, dent nobis in ſcriptis Eccleſias vacantes in ſuis decanatibus, quæ ſpectant ad collationem Domini Archiepiſcopi, tam jure Patronatus, quàm lapſu temporis, vel etiam defectu perſonarum, cum valore ipſarum ſecundum quod ſciverint.

Item de inquiſitionibus Eccleſiarum conquerimur, quòd malè fiunt & negligenter ab aliquibus, quia non bene quæritur de cauſis ſcientiæ, unde præcipimus quòd fiant diligentiùs: alioquin eos, quos in hoc culpabiles invenerimus, de cetero graviter puniemus.

Præcipimus omnibus Decanis quòd de cetero inquirant, & in ſcriptum redigant nomina omnium Preſbyterorum qui in decanatibus ſuis decedent, eaque deferant ad Synodum recitanda, ut oremus pro eis, & ſinguli Preſbyteri faciant ſervitium ſpeciale; Hoc enim libentiſſimè debent facere, ut cùm deceſſerint, ſimiliter fiat pro eis.

Statuimus ut antiquæ penſiones quæ à Prioratibus, Monaſterijs ſolvebantur, quæ hactenus per Abbatem vel Monaſterium à quadraginta annis & infra fuerint augmentatæ, vel denuo impoſitæ penitus revocentur; & eas augmentari de cetero prohibemus.

Statuimus ut judices tam ordinarij quàm ab Ordinario delegati temperent ſe & refrænent à generalibus excommunicationibus; nec in generali participantes excommunicent, niſi communicaverint in crimine delinquentis.

De Decimis ſecundum conſuetudinem Patronatus.

Item Sacerdotes ſervientes in Eccleſijs procurent ut ibi ſint libri neceſſarij, & competentia ornamenta: ita quòd ad hæc emenda Parochiani principaliter, & ut in ſubſidium tam Presbyter, quàm perſona, quàm alij qui aliquos percipiunt redditus in Eccleſia, vel decimas ad eam de jure communi pertinentes, pro modo ſitarum portionum ſi opus fuerit ſolvere compellantur.

Prohibemus etiam ne Sacerdotes excommunicent in generali, niſi pro furtis & deperditis in eadem Parochia, trinâ monitione præmiſsâ vel vocatione.

Nullus Sacerdos confirmare, aut conſecrare virgines præſumat. Solius Archiepiſcopi eſt confirmare, virgines conſecrare, Eccleſias dedicare, & Ordines dare.

De partu mulierum.

Mortuæ in partu ſcindantur ſi infans credatur vivere, tamen ſi bene conſtiterit de morte earum. Et caveatur quibus modis poteſt fieri ne infans excidatur : ſed os mortuæ teneatur apertum. Sacerdos audito Parochianorum ſuorum obitu, ſtatim abſolvat eos cum Pſalmis pro defunctis & Collecta.

Exhortentur populum ſæpè Preſbyteri ad dicendum Dominicam Orationem, & Credo in Deum, & Salutationem beatæ Mariæ Virginis. Moneant ſæpè populum, & maximè mulieres ne faciant vota ſua, niſi cum magna deliberatione, & aſſenſu virorum, & conſilio Sacerdotum. Frequenter moneantur laïci, ut non retineant decimas, quas in periculum animarum ſuarum retinent. Nullus ſibi Clericus poteſt retinere decimas in hæreditario poſſeſſas : ſed autoritate Archiepiſcopi fructus poſſunt Clerici recipere, ita tamen quòd ſæpè laborent ad hoc quòd ad Eccleſiam revertantur.

Prohibeant per excommunicationem ſæpè Preſbyteri, ne carnifices permittant Judæos laniare carnes ſuas : niſi totum retineant Judæi.


Item præcipitur Preſbyteris, ut quotiens dubium erit quando aliqua jejunia vel proceſſiones inſtitutæ fieri debent, ſicut in feſto S. Marci, recurrant ad Decanum loci, & ſine ejus conſilio ea facere non præſumant.

Item præcipitur Preſbyteris ne recipiant Capellanos ſine licentia Archiepiſcopi, Officialis, vel Archidiaconi.

Preſbyteri Parochianos ſuos ſolemniter pœnitentes faciant venire in capite jejunij ad Cathedralem Eccleſiam, ut per Archiepiſcopum ſolemniter ab Eccleſia ejiciantur. Et ſimiliter in die jovis proxima ante Paſcha, per Archiepiſcopum Eccleſiæ reconcilientur. Preſbyteri Parochianos ſuos moneant & frequenter in Eccleſijs ſuis denuncient, quòd omnes Patresfamilias, & etiam omnes Matresfamilias ad confeſſiones veniant ante Paſcha floridum, Et qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam poſt Octabas Paſchæ ad confeſſionem admittantur, ſed uſque ad illud tempus à carnibus jejunabunt, ſicut in Quadrageſima.

Preſbyteri injungant Parochianis ſuis confitentibus quòd omnia ablata, antequam aliquod teſtamentum vel legatum faciant, plenè reſtituant.

CHARTA



CHARTA REFORMATIONIS PRÆBENDARUM ECCLESIÆ COLLEGIALIS ANDELIACENSIS Anno Christi 1245.

In Nomine Domini, Amen.

ODO &c. Ad hæc summus, &c.

STATUIMUS & præcipimus futuris temporibus observari, ut in Ecclesia nostra Beatæ Mariæ de Andeliaco, per Archiepiscopum Rotomagensem unus instituatur Decanus, qui post Archiepiscopum, tam Canonicorum quàm Vicariorum & Clericorum omnium ejusdem Ecclesiæ & Parochiæ, necnon & totius Parochiæ curam habeat animarum, & qui sit vel fiat sine mora Presbyter, & teneatur in eadem Ecclesia ad residentiam personalem, & ad Synodum Rotomagensem venire, cujus sustentationi deputamus unam de majoribus Præbendis ipsius Ecclesiæ primitùs vacaturam. De duabus verò Præbendis majoribus quæ adhuc sunt integræ, ut in eâdem cultum augmentemus divinum, ordinamus ut cùm vacaverint dividantur in quatuor, ut Rotomagensis Archiepiscopus eas vel successivè vel simul conferat quatuor honestis personis; aliam quæ jam est divisa sic volumus remanere personis conferendam duabus. Horum autem sex Canonicorum de novo instituendorum unum volumus ad Sacerdotij, duos ad Diaconatus, & tres ad Subdiaconatus teneri ordines promoveri, & nihilominus teneri ad residentiam personalem. Quatuor verò Vicarias cum residentia personali & Sacerdotio sicut sunt dimittimus; ita tamen quòd teneantur in Ecclesia vel in Parochia ubi Archiepiscopus voluerit residere, & quòd jurent prædicta, quas per Archiepiscopos Rotomagenses conferri volumus, cùm quatuor majorum Præbendarum status jam sint mutandi, quarum quilibet Canonicus conferebat de ipsis, & nec per Vicarios, sed in proprijs personis sit de cetero eidem Ecclesiæ serviendum.

Sacristia per Decanum decedentibus Canonicis qui nunc vivunt, & ipsis viventibus per Decanum & Canonicos conferatur, & teneatur Sacrista jacere in Vestiario & residere, & custodire Thesauros, & ornamenta & alia, & hoc firmare proprio juramento.

De octo minoribus Præbendis taliter ordinamus, ut cùm eidem Ecclesiæ usque nunc inutiles fuerint utpote nimis exiles, & Decanatui aliquid addere sit honestum ad majorem Præbendam eidem superiùs deputatam, decem libras Turonenses de eorum proventibus Decanatui deputavimus; Reliquum verò quod superfuerit duobus Clericis deputetur, nobis vel successoribus nostris per Decanos qui pro tempore fuerint præsentandis, quorum alter erit Diaconus, & alter Subdiaconus: & uterque ad residentiam tenebitur, & hoc etiam firmabunt proprio juramento.

Redditus verò Communiæ sive quotidianarum distributionum deputatio

per Decanum cum consensu sui Capituli administrentur, & distribuantur per tempora & personas, prout ipsius Ecclesiæ servitio meliùs viderint expedire.

Acta sunt & ordinata prædicta à nobis prædicto Archiepiscopo, & publicè recitata apud Andeliacum in domo nostra anno Domini 1245. in Festo Beati Martini hyemalis, præsentibus Magistris de S. Laurentio, Richardo de Salomonvilla, Roberto & Arnulfo Canonicis ejusdem Ecclesiæ, & quatuor Vicarijs & pluribus minoribus ipsius Ecclesiæ Canonicis; quæ omnia ut superiùs continentur Decano & Canonicis dictæ Ecclesiæ nostro sigillo tradidimus sigillata.

Hæc Statuta Odonis Archiepiscopi confirmata sunt ab Innocentio IV. literis datis Lugduni Nonis Maij. Pontificatus anno 3. id est 1246.

Ex Archivo Archiepiscopali.


Extat Bulla ejusdem Innocentij pro revocandis Monachis Prioribus ad suos Prioratus ut regulariter ibi vivant, data Lugduni Idibus Martij. 1246.

Ejusdem de decimarum redemptione, data Lugduni Nonis Junij 1246.

Ejusdem ad Archiepiscopum & Suffraganeos, & alia ad Ecclesiam Rotomagensem, de quibus Papirius Masso.

---

58. ODO II. Rigaudi, ex Ordine Fratrum Minorum, genere & moribus clarus, Magister in Theologia, magnique nominis concionator, consecratus Lugduni ab Inocentio 4. A. C. 1247. exeunte, mense Martio, recipitur in Ecclesia die Paschæ sequentis. Res Ecclesiæ cum S. Ludovico Rege commutat A. C. 1262. Cruce signatur 1267 in Festo Pentecostes. Interest Concilio Lugdunensi 1274. Extat ejus Diploma in gratiam Monasterij sancti Wandregisili in Neustr. pia pag. 177. Vitâ defungitur 1275. 6. Nonas Julij. Concilium habuit apud Pontem-Audomari anno 1267.



CONCILIUM PROVINCIALE
AD PONTEM-ADEMARI, seu AUDOMARI,
Contra Clericos mercatores anno Domini 1267. Sedente Archiepiscopo Odone Rigaltio.

Ex MS. Codice Bibliothecæ Bigotianæ.



Sacri approbatione Concilij Rotomagensis Provinciæ, nuper apud Pontem-Audomari * in crastino Decollationis S. Joannis Baptistæ, anno Domini 1267. favente Domino celebrati: vobis universis & singulis districtè præcipimus & mandamus, quatenùs in singulis * Ecclesijs & locis publicis vobis subditos moneatis diebus Dominicis aut festivis * publicationibus tribus à se distantibus, Clericos non uxoratos & etiam uxoratos, ut à negotiationibus sæ-


* Audemarum
* Parochijs.
* solēnitatib'

cularibus exercendis abſtineant & maximè inhoneſtis : quódque Tonſuram deferant & habitum Clerico congruentem, autoritate noſtrâ ſolemniter ac publicè nuntiantes.

Quòd ſi tertiò à vobis moniti, ab hujuſmodi non reſipuerint: Clericos non conjugatos, dum his ſe immiſcuerint, quominus de ſuis facultatibus, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubjaceant, Eccleſia non defendet. Circa conjugatos ſiquidem æquanimiter tolerabit quòd Domini ſæculares ab ipſis juſtitias debitas velut ab alijs exigant & ſervitia conſueta. Denique ſi poſt præmiſſas monitiones aliqui Clerici in apoſtaſia Tonſuræ & habitus Clericalis permanſerint, ac ſævis enormitatibus ſe immiſcuerint, & contingat quòd pro ſuis exceſſibus à ſæcularibus Judicibus capiantur, in criminibus comprehenſi, non præcipiemus eos per * cenſuras Eccleſiaſticas liberari. * cenſuram Eccleſiaſticã

Item, præcipimus ut per ſingulas Eccleſias moneantur Clerici & Cruceſignati, ne literis Apoſtolicis, vel Legatorum ſedis ejuſdem, aut aliorum judicum aliquatenus abutantur : ſcituri quòd nos & alij Prælati ſollicitudine quâ convenit vigilabimus contra hujuſmodi abuſores, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti. Actum & datum ut ſuprà.

Hujus Concilij meminit Joannes Prevotius in Notis ad Joannem Abrincenſem pag. 42



ANNO DOMINI M. CC. LXXV.

Facta fuerunt iſta Præcepta à Domino & Patre noſtro ODONE Archiepiſcopo Rotomagenſi.



RÆCIPITUR Decanis ne aliquis eorum ſigillet aliquem ſe excommunicaſſe de mandato curiæ noſtræ, donec publicè eum excommunicaverit, vel niſi poſt ſigillationem, incontinenti eum publicaverit excommunicatum, & hoc idem præcipiatur à Decanis Preſbyteris in kalendis.

Præcipitur ut ſtatim ſecundâ monitione ſigillatâ : ſigillum ſuum à literis non amoveat, etiamſi monitus milleſies debitum offerret & ſatisfaceret creditori.

Item nullus contradicat ſigillare ſecundam monitionem, monito contradicente, niſi monitus ſtatim ſatisfaciat creditori in

præſentia Decani, ſeu Preſbyteri ad quem mandatum dirigitur.

Item ſecundâ monitione ſigillatâ, non admittatur ſecundò monitus, & ob hoc excommunicatus, ad Eccleſiam, nec ad Sacramenta; nec aliqua jura Eccleſiaſtica ei adminiſtrentur, niſi priùs abſolutionem ſuam à curia reportaverit.

Item nullus literam curiæ retineat, ſed ſtatim completo mandato, portatori literarum reſtituat, ſub pœna unius marcæ argenti.

Item nullus prætextu abſentiæ ejus qui citandus eſt vel monendus, ſe excuſet: ſed fiat citatio ad domicilium ejuſdem, dum tamen ibidem habeat familiam.

Item ut nullus Decanus vel Preſbyter tradat ſigillum ſuo Clerico vel alij pro literis ſigillandis: niſi Decano vel Preſbytero præſente, ut pericula quæ exinde poſſent accedere, evitentur.

Ex Archivo Archiepiſcopali.

VAria à ſummis Pontificibus impetravit ODO Rigaltius diplomata, quorum hìc ſummaria ut præmonuimus, exhibemus.

Innocentij IV. ad Archiepiſcopum Rotomagenſem de uſu Pallij extra Provinciam, data Lugduni 5. Idus Aprilis. Pontificatus anno 5.

Anno 6. Pontificatus Nonis Octobris. hoc anno 1248 Bullæ Innoc. IV. quibus ſtatuitur ut Eccleſiarum rectores ad Sacerdotium promoveri cogantur.

ODO Archiepiſcopus Bullas impetrat, quibus inhibetur ne ad Theſaurariam Rotom. Eccleſiæ aliquis de cetero admittatur, niſi velit & valeat in ea perſonalem reſidentiam facere, ac Archiepiſcopo & Eccleſiæ debita in Sacerdotali ordine obſequia exhibere anno 1248. Nonis Octobris, Lugduni.

Bulla ejuſdem quòd nullus ad Præbendam cui annexa eſt Eccleſia S. Eligij admittatur, niſi reſidentiam faciat perſonalem, Lugd. Non. Octobris 1248.

Ejuſdem de alienatione quarumdam poſſeſſionum ad Eccleſiam Rotomagenſem ſpectantium, Lugd. 4. Idus Oct. 1248.

Ejuſdem Idibus Oct. Lugd. Pontif. anno 7. quâ ODONI conceſſit, ut quotieſcumque ad Regis & Reginæ Franciæ, vel Romanam curiam ſeu Legatorum ejus vocatus acceſſiſſet, jam inceptæ viſitationis officio interrupto, redire poſſet ad locum in quo tunc dimiſiſſet viſitare, ad incœptæ viſitationis officium conſummandum, conſtitutione ipſius Innocentij ſuper hoc editâ non obſtante 1249.

Bulla ejuſdem de viſitatione Provinciæ 4. Idus Oct. 1249. anno Pontificatus. 7.

Ejuſdem ut nulli deinceps in Rotomagenſi Eccleſia de dignitate aliqua vel Præbenda, autoritate literarum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ejus impetratarum, vel etiam impetrandarum valeat provideri, niſi forſan is cui de dignitate providebitur vel Præbenda, juraverit ea die quâ ſibi denuntiatum fuerit in Rotomagenſi Eccleſia reſidentiam perſonalem ſe facturum 1249.

Ejuſdem Lugd. Id. Nov. anno 8. 1250. ODONI conceſſit, ut ſi poſt viſitationem Eccleſiæ S. Laudi Rotomagenſis pertinentis (ſicut dicitur) quoad quædam jura Conſtantienſi Epiſcopo (quàm ut idem Archiepiſcopus exponi curaverat ipſe, ac deceſſores Archiepiſcopi poſt Diœceſis ſuæ viſitationem viſitare conſueverant) ad alias Eccleſias ſuæ Diœceſis acceſſiſſet viſitandas, poſſet nihilominus ad Diœceſis Conſtantienſis cauſâ viſitationis accedere, cùm ſuam voluiſſet Provinciam viſitare.

Ejuſdem eodem anno, ut poſtquam Archiepiſcopus ſuam civitatem, Diœceſim & Provinciam viſitaſſet; Concilio celebrato, poſſet denuo (prius tamen civitate & Diœceſi viſitatis) dictam Provinciam, prout expedire vidiſſet, viſitare.

Ejuſdem anno 1254 de Metropolitana juriſdictione conſtitutionem tulit inter Archiepiſcopum & Suffraganeos. Anagniæ 5. Idus Julij. Pontificatus anno 12.



CHARTA REFORMATIONIS CANONICORUM SANCTÆ MARIÆ DE ROTUNDA ROTOM. Quoad Præbendas & reſidentiam.

Anno 1255.

Ex Archivo ejuſdem Eccleſiæ

In Nomine Domini, Amen.

Frater ODO *permiſſione divinâ Rotomagenſis Eccleſiæ Miniſter indignus, Univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem æternam in Domino Ieſu Christo.*

PRISCA prudentum autoritas juſta petentium deſideria aſſenſu facili recipienda eſſe decernit, & affectu benigno proſequenda, ad quod tanto præ ceteris nos eſſe convenit proniores, quanto ad id officij noſtri debitum ſpecialiùs nos aſtringit, præſertim ubi vota petentium, cultum divinum ad Dei honorem & animarum ſalutem, ſitiunt augmentari. Quapropter excellentiſſimi Domini Ludovici Dei gratiâ Regis Francorum illuſtris pia nobis facta petitio ſuper Reformatione & ordinatione ſtatus Eccleſiæ B. Mariæ Rotundæ Rotomag. aſſenſum facilem, effectum validum, & maturum apud nos merito debuit obtinere; attendens enim & volens idem Dominus Rex in dicta Eccleſia, in qua ſunt tres Præbendæ pingues redditibus, quarum collatio ad ipſum pertinere dignoſcitur, cultum divinum, libertates ac jura Eccleſiæ non ſolùm diminui, ſed perire propter continuam Canonicorum abſentiam qui numquam reſident in Eccleſia memorata, nec reſidere tenentur ſecundum conſuetudinem in ipſa Eccleſiâ hactenus obſervatam à nobis ſpontaneus requiſivit, quòd tanto incommodo ſalubre remedium adhibentes, ac utilitati Eccleſiæ ipſius providentes impoſterum de redditibus Eccleſiæ, Præbendarum, & Vicariarum numero, & valore, de modo percipiendi proventus, quotidianaſque diſtributiones, ac certa reſidentia ibidem à Canonicis de cetero facienda, alijſque omnibus ad Reformationem ſtatus ſæpè dictæ Eccleſiæ, & divini cultus augmentum pertinet. Prout ſecundum Deum ipſi Eccleſiæ, & animarum ſaluti nobis expedire videretur, ordinare, ac ſtatuere curaremus. Nos igitur petitioni tam piæ, tam laudabili, tam devotæ grato concurrentes aſſenſu, deliberatione ſuper his habitâ diligenti, ordinavimus & ſtatuimus de præmiſſis in forma inferiùs annotata. Ordinamus, & Statuimus quòd poſt deceſſum trium Canonicorum qui ad præſens reſidere in dicta Eccleſia non tenentur, redditibus Præbendarum ipſorum & trium Vicariarum, quæ ſunt ibidem, omnibus contributis ad invicem & collatis, conſtituantur & fundentur tres Vicariæ, quarum quælibet valeat per annum 16 libras Turonenſes, & quatuor Præbendæ qua-

rum tres valebunt singulæ 40 libras Turonenses, & quarta 50 libras Turonenses redditûs annuatim. De residuo autem assignabuntur Presbytero Curato 21 libræ Turonenses annui redditûs, quas percipere consueverunt Vicarij qui ad præsens sunt in præfata Ecclesia in oblationibus & subventionibus quæ fiunt & eveniunt in Missis quæ celebrantur in benedictionibus nubentium & purificationibus mulierum post partum, & admissationibus post nuptias, & in Missis peregrinantium, & in exequijs defunctorum, ita quòd in oblationibus & obventionibus prædictis quæ ad ipsum Curatum de jure communi pertinent, nihil percipient Vicarij memorati. Totum verò residuum redditûum prædictorum convertetur in distributiones quotidianas percipiendas à Canonicis & Vicarijs ibidem personaliter deservientibus, prout inferiùs cõtinetur. Ordinamus etiam & statuimus quòd Canonicus habiturus Præbendam 50 libras valentem sit Decanus dictæ Ecclesiæ, præsitque ceteris Canonicis atque Vicarijs, nobisque præsentetur à Domino Rege, à nobis curam animarum Canonicorum, & Vicariorum dictæ Ecclesiæ recepturus, teneaturque promoveri ad ordinem Sacerdotij infra annum postquam in Ecclesia fuerit institutus & in ipsa continuò residere, ad quæ facienda astringetur in sua institutione proprio juramento, alij verò Canonici tenebuntur se facere promoveri ad ordinem Subdiaconatûs ad minus. Vicarij verò ad Ordinem Sacerdotij infra annum à die suæ institutionis annuente Domino, hoc proprio juramento astringentur, qui etiam Vicarij tenebuntur ad faciendum ibidem continuè residentiam personalem. Tres autem Canonici supradicti tenebuntur in dicta Ecclesia residere per octo menses singulis annis, incipiente residentiâ in festo S. Michaëlis in monte Gargano, vel morari in scholis per tempus prædictum in loco, in quo sit studium scholarum Clericorum, dum tamen primam residentiam fecerint in Ecclesia memorata, ita tamen quòd singulis annis quibus scholares fuerint subtrahantur cuilibet eorum in scholis dictam residentiam facienti, decem libræ Turonenses de fructibus Præbendæ suæ, quæ cedent in augmentum quotidianarum distributionum percipiendarum ab illis, qui in Ecclesia personaliter residebunt; si autem aliquis vel aliqui eorum dictam residentiam non fecerint aliquo, vel aliquibus annis, in dicta Ecclesia vel in scholis, nihil omnino percipient de fructibus Præbendarum suarum illo vel illis annis quibus non fecerint residentiam memoratam, sed omnes proventus dictarum Præbendarum cedent illo, seu illis annis in augmentum distributionum percipiendarum à residentibus in Ecclesia, prout superiùs est expressum. Quæ quidem distributiones percipientur à tribus Canonicis & tribus Vicarijs pro partibus æqualibus; Decanus verò tantumdem de ipsis percipiet quantum duo de Canonicis, seu Vicarijs ante dictis. Sanè distributiones hujusmodi percipientur à Decano & Canonicis isto modo: Decanus & Canonici omnes in Ecclesia residentes tenebuntur interesse Matutinis, majori Missæ, & Vesperis, & percipiet quilibet Canonicus in Matutinis tres denarios ad minus, in Missa unum, in Vesperis unum, & Decanus quantum duo Canonici in qualibet horâ, prout est suprà scriptum. Et si de fructibus Præbendæ vel Præbendarum Canonici, vel Canonicorum non residentium in Ecclesia vel in scholis, distributiones ultra quinque denarios in die contigerit augmentari,

duæ partes ejus quod accrefcet, percipientur in Matutinis, & tertia pars in Miſſa, & ſi contigerit Decanum vel Canonicum in Eccleſia reſidentem non intereſſe aliquibus de prædictis horis, nihil percipiet de eo quod eſſet percepturus ſi illi horæ interfuiſſet, niſi fortaſſe ipſum abeſſe contigerit pro negotio Eccleſiæ de licentia reliquorum ibidem reſidentium, vel niſi infirmitate propriâ corporis, vel cauſâ minutionis impeditus fuerit, prout inferiùs continetur. Vicarij autem tenebuntur intereſſe Matutinis & ſingulis horis diei tali modo: quòd ſi non interfuerint Matutinis, vel Primæ, vel majori Miſſæ, ſeu Veſperis, nihil percipient de diſtributionibus illâ die; licebit tamen eis unam vel duas de alijs horis diei contingere; & nihilominus diſtributionem diei integrè recipere Canonici verò, & Vicarij in Eccleſia reſidentes adeo gravi infirmitate detenti, quòd ſine corporis ſui periculo non poſſent intereſſe Nocturno Officio, ſeu Diurno, Eccleſiæ diſtributiones integrè percipient ac ſi ſingulis horis perſonaliter intereſſent; ita tamen quòd de impedimento, ſi de hoc aſſueti fuerint vel ſuſpecti, tenebuntur fidem facere proprio juramento; Si autem minuti fuerint, percipient diſtributiones die minutionis & duobus immediatè ſequentibus, nec tunc tenebuntur Officio intereſſe. Preſbyter verò Curatus nihil de diſtributionibus percipiet, cùm habeat oblationes; & oblationes quæ in ſuis Miſſis, & Veſperis ex devotione fidelium offeruntur, nec teneatur Canonicorum & Vicariorum Officijs intereſſe. Dictus verò Preſbyter Curatus non erit ſubjectus Decano Eccleſiæ ſupradictæ. Item ordinamus atque ſtatuimus quòd quilibet Canonicus habens Præbendam 50 libras valentem, conferat unam Vicariam certam, ac Præbendæ ſuæ appropriatam, quotiens eam vacare contigerit, tenebiturque juxta conſuetudinem Eccleſiæ ipſum nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris, qui pro tempore fuerint, præſentare, ut nos ſeu ſucceſſores noſtri ipſos, ſi idonei fuerint, in dicta Eccleſia inſtitui faciamus. Collatio autem trium Præbendarum 40 libras valentium, & præſentatio ad Decanatum, & ad Beneficium habentem Curam animarum Parrochiæ ad Dominum noſtrum Regem & ſucceſſores ſuos plenè & liberè pertinent, cujus juri non intendimus in aliquo derogare. Si autem ſupra horis & modo celebrandi divinum Officium inter Decanum & Canonicos, ſeu Vicarios prædictæ Eccleſiæ ex una parte, & Preſbyterum Curatum ex altera, exorta fuerit materia quæſtionis, per nos, ſeu ſucceſſores noſtros, qui pro tempore fuerint decidetur. Per hanc autem ordinationem noſtram nullum præjudicium generabitur Rotomagenſi Archidiacono, ſeu noſtro Decano Chriſtianitatis Rotomagenſis, quin poſſint officium ſecundum Eccleſiam & perſonas prædictas plenè & liberè exercere; quam quidem ordinationem noſtram dictus Dominus Rex vidit & intellexit, ratamque habuit & ſigilli ſui impreſſione munivit, in cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendum. Actum Rotomagi anno Domini 1255. menſe Martio.

DONATIO ARCHIDIACONATUS PONTISARENSIS Cum pertinentijs ſuis, à S. LUDOVICO facta ODONI Rotomagenſi Archiepiſcopo anno 1255.

LUDOVICUS *Dei gratiâ Francorum Rex, Vniverſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem.*

NOVERITIS quòd Archidiaconatum Pontiſarenſem ex reſignatione Magiſtri Haymonis quondam Archidiaconi dicti loci, liberum & vacantem cum omni integritate juris & Juriſdictionis, ceterorumque omnium pertinentium ad Archidiaconatum eumdem (cujus Archidiaconatûs cum ſuis pertinentijs ad nos collatio pertinebat) ad honorem Dei & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & Eccleſiæ Rotomagenſis, dilecto & fideli noſtro ODONI Dei gratiâ Rotomagenſi Archiepiſcopo contulimus intuitu pietatis, ab ipſo Archiepiſcopo, & ejus ſucceſſoribus in perpetuum liberè & pacificè poſſidendum, ipſumque inveſtivimus de eodem: omnia ipſius Archidiaconatûs jura & Juriſdictionem, ceteraque omnia ad ipſum Archidiaconatum pertinentia, in ipſum Archiepiſcopum ejuſque ſucceſſores, & Rotomagenſem Eccleſiam totaliter transferendo. Dictus verò Archiepiſcopus nobis bonâ fide promiſit quòd ipſe & ſucceſſores ſui qui pro tempore fuerint deputabunt certam perſonam, quæ tenebitur facere reſidentiam apud Pontiſaram perſonalem; videlicet infra muros Caſtri Pontiſarenſis, vel infrà in Parochia B. Mariæ Pontiſarenſis, vel apud ſanctum Martinum Pontiſarenſem in illo loco de prædictis, quô maluerint Dominus Archiepiſcopus & ipſius ſucceſſores qui pro ipſo tempore fuerint, & in aliquo dictorum locorum cognoſcet de omnibus cauſis Burgenſium Pontiſarenſium per ſimplicem querimoniam conveniendorum, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, ipſaſque decidere ibidem, exceptis cauſis ſuper criminibus Hæreſis & falſi, de quibus coram dicto Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ejus, aut Officiali Rotomagenſi; & non coram dicta perſona extra etiam prædicta loca per ſimplicem querimoniam reſpondebunt. De cauſis verò alijs non poterunt extra prædicta loca coram dicto Archiepiſcopo, vel ſucceſſoribus ſuis, vel alia quacumque perſona vices ejuſdem Archiepiſcopi, vel alicujus ſucceſſorum ſuorum gerente, per ſimplicem querimoniam conveniri. Poterunt tamen dicti Burgenſes vel litigantes cum ipſis, à dicta perſona in omnibus ad ejus forum ſpectantibus, tam à gravaminibus quàm à ſententijs ad dictum Archiepiſcopum, ſucceſſoreſque ejus qui pro tempore fuerint, vel ad Officialem Rotomagenſem licitè ac liberè appellare. Idem quoque Archiepiſcopus vel ſui ſucceſſores, prædictaque perſona tenebuntur dictis Burgenſibus obſervare eorum conſuetudines rationabiles & antiquas. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fecimus ſigilli noſtri munimine roborari, ut perpetuò robur obtineant firmitatis. Datum Pariſijs Dominicâ die, in Feſto beatæ & individuæ Trinitatis, anno 1255.

EXCERPTUM BULLÆ INNOCENTIJ IV. De Jurisdictione Rotomag. Archiepiscopi in Suffraganeos.

Ex Carthulario Cathedralis Ecclesiæ.

Anno 1254.

ROTOMAGENSIS Archiepiscopus ex una parte, & Constantiensis Episcopus pro se & alijs Rotomagensis Ecclesiæ Suffraganeis ex altera, in præsentia Innocentij IV. Papæ constituti, Episcopi proponere curaverunt quòd &c. Idem autem Archiepiscopus in Provinciali Concilio contra antiquam & approbatam consuetudinem definivit se liberè posse suam visitare Provinciam ante tempus, quo licitè fieri hujusmodi Visitatio consuevit; quoniam ex longa consuetudine in Normania est obtentum, quòd Archiepiscopus Rotomagensis de triennio n triennium per suam Provinciam officium Visitationis impendat.

Pro parte verò ipsius Archiepiscopi ejusdem, è contra propositum extitit quòd à Sententijs &c. & infra. De Visitatione verò Archiepiscopus respondit, quòd non diffinivit se posse illam per suam Provinciam impendere, ante tempus determinatum in Constitutione super forma & modo visitandi à nobis in Concilio tradita, negans consuetudinem quam in hoc altera pars allegat, quamvis talis consuetudo sublata per Constitutionem videatur. Nos igitur præmissis omnibus diligenter auditis, &c. Sententiando pronuntiamus, &c. & infra. Ceterùm ipsi Archiepiscopo vel ejus Officiali ut in 6. Cap. *Venerabilibus*. Demum Visitationem ab Archiepiscopo per suam Provinciam secundum tenorem Constitutionis super hoc à nobis editæ decernimus iterandam, non obstante consuetudine, quæ super ipsius iteratione Visitationis à Suffraganeis allegatur. Per hæc autem arbitrio dudum probato, seu consuetudine super quibusdam ex præmissis articulis inter præfatum Archiepiscopum & memoratum Sagiensem Episcopum non intendimus nec volumus derogare, quin nihilominus in sua permaneant firmitate. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ 5. Idus Julij. Pontificatus nostri 12.

Compositio inter ODONEM Archiepiscopum Rotomagensem & GUILLELMUM Episcopum Abrincensem anno 1257.

Ex Archivo Archiepiscopali

DISCORDIA inter ODONEM Archiepiscopum Rotomagensem & Guillelmum quondam Abrincensem Episcopum priùs suborta, ab eodem ODONE & Richardo Guillelmi ipsius successore componitur his conditionibus; ut videlicet subditi Episcopi Abrincenses in ejus Diœcesi morantes & sua existentes; scilicet Decani Rurales in suis Decanatibus, & Presbyteri Parochiales in suis Parochijs & contiguis, Priores non Conventuales & aliæ Ecclesiasticæ personæ beneficiatæ in suis locis, Archiepiscopi & ejus Officialis, seu Officialium Rotom. excommunicationes & mandata facere, & commissiones ab Archiepiscopo & eisdem Officialibus facta recipere tenerentur: Nullus Abbas, nullus Officialis Episcopi Abrincen-

ſis, nullus Prior Conventualis, nullus Canonicus, ſeu perſona Eccleſiæ Cathedralis, nullus Vicarius deſerviens majori altari Eccleſiæ Cathedralis de civitate, vel Diœceſi Abrincenſi, nullus Clericus de propria familia Abrincenſis Epiſcopi, aliqua mandata Archiepiſcopi vel Curiæ ejus Rotomagenſis recipere tenerentur aut exequi, nec commiſſionem recipere in quocumque caſu, ſalvo Archiepiſcopo & Officialibus ejus Rotomag. circa perſonas Officialium Abrincenſium jure communi ſi quis caſus emerſiſſet, in quo Archiepiſcopo & Officialibus ejus Rotomag. juriſdictio competeret contra ipſos. Item ſinguli ſubditi Epiſcopi Abrincenſis compelli poſſent ad perhibendum teſtimonium veritati in caſibus delatis ad Archiepiſcopum & Officialem Rotomagenſem, per appellationem, ſeu alias ad eos de jure pertinentibus in Diœceſi Abrincenſi, & non extra; niſi agatur de crimine hæreſis, falſi, ſymoniæ, homicidij, ſeu de promotione vel amotione perſonæ præfectæ, vel præficiendæ per electionem in loco Collegiato, in quibus caſibus poſſent ad Archiepiſcopum & Rotomagenſem curiam evocari, perhibituri ibidem teſtimonia veritati. Perſonæ ſupra exceptæ dictæ Diœceſis Abrincenſis & civitatis tenerentur perhibere teſtimonium, ſcilicet Abbates & Priores Conventuales in ſuis locis, & non alibi, hoc ſalvo quòd in caſibus immediatè exceptis, videlicet de crimine hæreſis &c. ubi teſtes poſſent de jure communi compelli, omnes perſonæ ſupra exceptæ evocari poſſent ad ſedem Rotomagenſem vel ibi propè, ita quòd Archiepiſcopus, ſeu Officiales ejus prædictis perſonis vocatis ad perhibendum teſtimonium expenſas miniſtrarent vel facerent miniſtrari. Si autem aliquis de ſubditis Epiſcopi Abrincenſis diceretur contumax, negligens, vel rebellis in his quæ facere vel exequi tenetur, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum, per Archiepiſcopum, & Officialem, ſeu Officiales ejus Rotomag. Canonicè puniretur. &c.

COMMUTATIO FACTA
Inter S. LUDOVICUM IX. Franciæ Regem, & ODONEM *Rigault* Rotomagenſem Archiepiſcopum, anno 1262.

Ex Archivo Archiepiſcopali

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

LUDOVICUS Dei gratiâ Francorum Rex, notum facimus univerſis tam præſentibus, quàm futuris, quòd nos cum dilecto & fideli noſtro ODONE Rotomagenſi Archiepiſcopo permutationem fecimus ſicut inferiùs continetur: videlicet quòd eidem Archiepiſcopo ſuiſque Succeſſoribus ex cauſa permutationis, ſeu excambij dedimus & conceſſimus tenenda perpetuò, & habenda in puram & liberam eleemoſinam caſtrum noſtrum & villam *de Gaillon*, Turrim & villam *de Noes*, villas *de Douvrent & de Huëmeſnil*, cum omnibus pertinentijs prædictorum infra ſcriptis & juribus, * honoribus & cum omnimoda juriſdictione & juſtitia & pleno jure regaliæ, nihil penitùs retinentes in prædictis, exceptis feodis & membris loricæ, extra villas prædictas Archiepiſcopo traditas conſtitutis, in quibus feodis

*honoribus.

& membris extra villas omnem justitiam magnam & parvam retinemus: hoc etiam adjecto quòd prædicta nobis cedent in regalia, vacante Ecclesiâ Rotomagensi, pro quibus dictus Archiepiscopus dedit nobis quatuor millia librarum Turonensium, & omnia molendina sua, & vivarium apud Rotomagum cum omnibus pertinentijs eorum & juribus, & oneribus earumdem & tota justitia eorumdem; nihil retinens in molta civium Rotomagensium, vel eorum qui in suburbijs commorantur, sibi tamen retinens molturam liberam in dictis molendinis tam pro hospitio suo Rotomagensi, quàm pro se ubicumque Rotomagi fuerit vel apud Deivillam, vel alibi propè Rotomagum in loco æquè distanti. Ita videlicet quòd post bladum quod fuerit in tremuya, veniente nuntio, seu serviente ipsius Archiepiscopi ad molendinum, primò & immediatè sua moltura liberè compleatur: nisi forsan serviens Baillivi nostri vel custodis castri nostri Rotomagensis priùs venisset ad ipsum molendinum, quàm nuntius, seu serviens Archiepiscopi memorati, qui Baillivus vel custos castri nostri aut ejus serviens, tunc scilicet cum priùs venerit in moltura præferetur. Cum prædictis etiam dedit nobis dictus Archiepiscopus quatuor molendina apud Deivillam absque tamen molta qualibet hominum suorum villæ prædictæ, & justitiam in eisdem, quæ pro molta in Normania fieri consuevit: hoc etiam adjecto quòd infra dicta molendina, bladum vel farinam non poterit arrestare, nec aquæ cursum ad dicta molendina poterit impedire. Jus etiam alveum reparandi & purgandi nobis concessit, quoties opus fuerit, absque tamen læsione seu impedimento molendini sui in superiori parte aquæ constituti, nihil omnino nobis in dicta villa ex hujusmodi permutatione concedens præter illa quatuor molendina cum juribus supradictis. Prædicta autem omnia & singula quæ dicto Archiepiscopo suisque successoribus dedimus ex causa prædicta, nos & successores nostri eidem Archiepiscopo suisque successoribus adversus omnes garentisare tenebimur in futurum tali modo; quod si fortè aliqua de prædictis quæ eidem Archiepiscopo ex causa prædicta dedimus, per jus evinci contingeret ab eodem vel ejus successoribus, nos vel successores nostri eidem Archiepiscopo vel ejus successoribus res æquivalentes restituere teneremur in loco competenti. Similiter autem prædicta omnia & singula quæ dictus Archiepiscopus nobis & successoribus nostris dedit ex causa prædicta, idem Archiepiscopus per jus evinci contingeret à nobis vel nostris successoribus, idem Archiepiscopus vel sui successores nobis vel successoribus nostris res æquivalentes restituere tenerentur. Si autem contra nos vel successores nostros (quod absit) aliquoties contigerit in Normania guerram fieri, toties ad magnam vim & parvam, dictum castrum *de Gaillon* & turrim *de Noes* nobis aut successoribus nostris cum munitionibus quæ ibidem fuerint tunc temporis tradere tenebitur Archiepiscopus qui pro tempore fuerit, cum super hoc à nobis vel successoribus nostris per nostras, aut illorum literas patentes fuerit requisitus. Quâ sedatâ guerrâ, pace, vel treugâ, vel alio modo, nos & successores nostri dictum castrum & turrim Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, in æque bono statu quo nobis tradita fuerint, tam in fossatis, muris, ædificijs, armis, victualibus, & omnibus alijs liberè & sine difficultate qua-

libet restituere tenemur. Insuper dictus Archiepiscopus aut successores sui in castro prædicto contra nos vel successores nostros neminem receptabunt. Et ad hoc quod de castro prædicto diximus observandum, Archiepiscopi qui pro tempore fuerint, nobis sub fidelitate quam nobis præstant, cùm eis tradimus Regalia, tenebuntur. Pertinentiæ verò *de Gaillon*, *de Noes*, *de Huëmesnil & de Douvrent* sunt hæc, videlicet: Jus Patronatus Præbendarum quod habebamus apud *Gaillon*, & jus Patronatus Parochiæ *de Douvrent*. Item terræ arabiles, vineæ, modiationes vini, prata, nemora garennæ, Foüagium, redditus in frumento, avena, blado communi, nucibus, denarijs, caponibus, gallinis, anseribus, ovis, panibus, garbis, calcaribus, moutonagijs; Item gardina, campipartes bladorum & nucum, sive terragia, coustumas denarij & oboli, vendæ, furni & molendina, molta sicca, estoublagia, quarragia, messeria, servitia vavassorum, servitia rusticorum, precariæ & corveïæ carrucarum, servitia quadrigandi & tassandi, bannum vini, pasnagium forestæ sancti Albini, releveïa, auxilia feodalia, tractus sagenæ quam habebamus in aqua B. Mariæ de Garenna, piscaria. Item molendinum *de Auteüil* & pratum situm juxta dictum molendinum. Item modiationes de Longavilla, videlicet quadraginta quatuor modij vini rubri, & sex modij vini albi: Prædicti autem redditus omnes & alia superscripta, exceptis dictis molendinis *de Auteüil* & prato sito juxta dictum molendinum & modiatione de Longavilla sunt, & percipiuntur in dictis villis *de Gaillon & de Noes*, *de Huëmesnil & de Douvrent*; & in Mesnilijs & territorijs sitis in Parochijs S. Albini, quæ est matrix Ecclesia sive Parochialis *de Gaillon*, *& de Aubevoye* quæ similiter est de pertinentijs *de Gaillon*, & in Parochia *de Douvrent*. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentem paginam sigilli nostri autoritate ac Regij nominis caractere inferiùs annotato fecimus communiri. Actum Nivernis Anno Dominicæ Incarnationis 1272. Mense Julio. Regni verò nostri 35. Astantibus in Palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Joannis Buticularii. Signum Alfonsi Camerarii. Signum Ægidii Constabularii.

DATA VACANTE [monogram: LODOVICUS] CANCELLARIA.

Anno 1269.

DE JUDÆIS:

Ludovicus &c. Baillivis, Vicecomitibus, Senescallis, Præpositis, & alijs ubique potestatem à nobis habentibus, salutem.

QUONIAM volumus quòd Judæi à Christianis discerni valeant & recognosci, vobis mandamus quatenus ad requisitionem dilecti nobis in Christo fratris Pauli Christini de Ordine Fratrum Prædicatorum

Imponatis omnibus & ſingulis Judæis utriuſque ſexus ſigna ; videlicet unam rotam de Feultro, ſeu Panno croceo in ſuperiori veſte conſutam ante pectus & retro ad eorumdem cognitionem, cujus rotæ latitudo ſit in circumferentia quatuor digitorum, concavitas autem contineat unam palmam ; ſi quis Judæus poſt modum ſine ſigno inventus fuerit, inventori veſtis ejus ſuperior concedatur. Et nihilominus idem Judæus qui ſic inventus fuerit ſine ſigno puniatur uſque ad decem libras, ita tamen quòd pœna ejus ſummam non excedat prædictam, & hujuſmodi emendæ ponatur ad partem per nos, vel de mandato noſtro in uſus pios. Actum Pariſijs die Martis ante Nativitatem Beati Joannis Baptiſtæ. Anno Domini 1269.

DE JUDÆIS.

PHILIPPUS &c. Cùm datum ſit nobis intelligi quòd quædam ordinatio quam condidit inclitæ recordationis cariſſimus Dominus & genitor noſter Ludovicus Francorum Rex ; videlicet de ſignis ſeu rotis croceis à Judæis deferendis, per quas poſſent à Chriſtianis diſcerni pleniùs & recognoſci, minus debito in veſtra Baillivia obſervetur, cujus vobis & diſtrictè præcipimus quòd tam per vos, quàm per præpoſitos ſeu ſervientes in veſtra exiſtentes Baillivia, quantum diſtrictiùs poteritis obſervetis, & ut etiam faciatis prout ad vos pertinet obſervari, ita quòd non debeatis exinde de negligentia reprobari. Datum &c.


BULLA ALEXANDRI IV. PAPÆ Pro Parochia ſanctæ Crucis per Monachum regenda. Anno Domini 1254.

Ex Archivo Abbatiæ ſancti Audoëni.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filijs Abbati & Conventui Monaſterij Sancti Audoëni Rotomagenſis, Ordinis S. Benedicti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CONSUEVIT ſedes Apoſtolica precibus condeſcendere devotorum, eorumque voto favorem benevolum imparrtiri. Eapropter dilecti in Domino filij, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut in Altari Parochiali quod in Monaſterio veſtro conſiſtit, ipſius cedente vel decedente Rectore deſerviri per aliquem de veſtris fratribus faciatis, nec teneamini ad idem altare de cetero ſæcularem Clericum præſentare, autoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri

& Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ 6. Kal. Novembris Pontificatus nostri anno 1.



BULLA EJUSDEM ALEXANDRI PAPÆ Pro Parochia sancti Viviani Rotomagensis anno 1255.

Ex Archivo Abbatiæ sancti Audoëni.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterij sancti Audoëni Rotomagensis, Ordinis S. Benedicti, salutem & Apostolicam benedictionem.

VASTITATEM vestri Monasterij quod graviter combustum dicitur, & debitorum onera quibus idem premitur attendentes, ac volentes ob hoc ipsum paternâ prout convenit diligentiâ relevare; Parochialem Ecclesiam S. Viviani Rotomagensis in qua jus Patronatûs habetis, vobis & per vos eidem Monasterio in perpetuum in proprios usus de gratiâ concedimus liberali; ita ut ejus cedente vel decedente Rectore, possessionem ipsius Ecclesiæ autoritate nostrâ, nullius requisito consensu, ingrediamini corporalem, proviso ut Vicario in eadem Ecclesia perpetuo servituro, congrua de ipsius Ecclesiæ proventibus, ex qua competentem sustentationem habere, jura Episcopalia solvere, ac alia ipsius Ecclesiæ onera supportare valeat, portio assignetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani 3. Idus Maij Pontificatus nostri anno 2.



BULLA EJUSDEM ALEXANDRI PAPÆ Pro Pensione moderanda ad instantiam ODONIS Rotomagensis Archiepiscopi, anno 1256.

Ex Archivo Archiepiscopali.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & Apostolicam benedictionem.


SIcut petitio tua nobis exhibita continebat, dilectis filijs Abbati & Conventui Monasterij S. Audoëni Rotomag. Ordinis S. Benedicti & eidem Monasterio Parochialem Ecclesiam S. Viviani Rotomag. in qua jus obtinent Patronatus, in perpetuum in usus proprios duximus concedendam; ita

ut ejus cedente vel decedente Rectore possessionem ipsius corporalem ingrediatur autoritate nostrâ, nullius requisito consensu, proviso ut Vicario in eadem Ecclesia perpetuo servituro, congrua de ipsius Ecclesiæ proventibus, ex qua competentem sustentationem habere, jura Episcopalia solvere, ac alia ipsius Ecclesiæ onera supportare valeat, portio assignetur. Quare nobis humiliter supplicasti ut cùm dicta Ecclesia latam Parochiam habeat, & ei magna cura immineat animarum; ita quòd per unum Presbyterum salubriter gubernari non possit, & per concessionem huiusmodi tibi præjudicium generetur, super his salubre remedium apponere curaremus. Cùm autem nostræ intentionis non fuerit nec existat, per hoc tua vel alicujus jura lædere, vel eamdem Ecclesiam debitis servitijs defraudare, ut tibi vel Archidiacono Rotomag. quoad deportationes, seu alia tua & ipsius jura per eamdem concessionem nullum præjudicium generetur. Fraternitati tuæ autoritate præsentium indulgemus: statuentes ut tertia pars proventuum dictæ Ecclesiæ cedat Abbatis & Conventûs usibus eorumdem; reliqui verò proventus prædicta concessione nequaquam obstante, assignentur perpetuo Vicario ejusdem Ecclesiæ pro sua * & ministrorum in ea necessaria sustentatione *Nota ac Episcopalibus, Archidiaconalibus & alijs consuetis oneribus supportandis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani 12. Kalend. Martij. Pontificatus nostri anno 3.

---

59. * GUILLELMUS II. DE FLAVACURIA, cognomento I. Guillelmi & Julianæ filius ex pago Velocassino, Canonicus Rotomagensis, electus à duabus ferè partibus Capituli anno Christi 1279. à Nicolao 3 confirmatur 1278. 7. Idus Maij, & consecratur 11. Kal. Junij. Pallium recipit 8. easdem Kal. Cum anno 1304. mense Aprili ingens annonæ caritas plurimos in urbe & locis finitimis supra modum afflixisset, eorum inopiam juvit pijssimus Præsul, qualibet enim die quâ invaluit fames, libras trecentas pauperibus erogavit, ampliora daturus, nisi ejus Officialis multis suasionibus eum abduxisset. Plurima sub eo celebrata fuere Concilia, quæ mox sequentur.

Extat ejus Diploma in gratiam Monasterij Fiscanensis in Neustria pia. Collegium 6. Capellanorum S. Spiritus in Ecclesia Cathedrali instituit anno 1305. moritur 1306. 8. Idus Aprilis. Sepelitur in Capella beatæ Mariæ.



CONCILIUM
APUD PONTEM AUDOMARI,
à GUILLELMO de Flavacuria Archiepiscopo Rotomagensi, cum Suffraganeis anno 1279. celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Ut Clerici excommunicati fructus beneficiorum amittant.*

II. *Ut Capellanis, qui Missas non celebrant, beneficiorum fructus sub-*

trahantur.

III. *Ut serventur Statuta Conciliorum Bituricensis & Lugdunensis.*

IV. *De injectione manuum in Clericos.*

V. *Ut confiteantur & Viaticum recipiant saltem semel in anno.*

VI. *De sæcularibus Clericos capientibus.*

VII. *Ut Clerici non adeant judices sæculares.*

VIII. *Ut qui percipiunt majores decimas, restaurent fabricam.*

IX. *Ut Christiani Judæis non serviant, aut cohabitent, & ut Judæi signo aliquo discernantur.*

X. *Ut vigiliæ & choreæ in sacris locis non fiant.*

XI. *Ne Clerici sint venatores.*

XII. *Ut redintegretur numerus religiosorum: & ne soli prodeant.*

XIII. *De Monachis commorantibus in Prioratibus non Conventualibus.*

XIV. *Ut regulares non morentur cum sæcularibus.*

XV. *Ut religiosi mutuum non contrahant.*

XVI. *Ut Decani rurales non suspendant vel excommunicent, nisi in scriptis.*

XVII. *Ut non desistatur à denunciatis excommunicandis, nisi sint absoluti.*

XVIII. *Ut non excommunicent in generali.*

XIX. *Ut Capellani diligenter examinentur.*

XX. *Ut Clerici à negotijs sæcularibus abstineant, & ferant Tonsuram, & habitum Clericalem.*

XXI. *De Clericis non deferentibus Tonsuram.*

XXII. *De Sacerdotibus excommunicatis.*

XXIII. *Ut Clerici Crucesignati non abutantur literis Apostolicis, aut alijs.*

XXIV. *De Canonicis regularibus, ad curam animarum Episcopo præsentatis.*

PRÆFATIO

ANNO Domini 1279. die Jovis * Ascensionis, apud Pontem Audomari fuerunt salubriter ordinata per Reverendum Patrem Dominum Guillelmum Dei gratiâ Archiepiscopum Rotomagensem & eius Suffraganeos, de totius Concilij providentia unanimi & concordi, quæ inferiùs continentur.

* *al.* ante Ascensionem.

CAPITULA

I



VOlentes Presbyterorum & Clericorum excommunicatorum insolentiam coarctare, sacris Canonibus inhærendo, statuimus: quòd Presbyteri & Clerici beneficiati quamdiu autoritate Ordinariorum suorum justè excommunicati fuerint, beneficiorum suorum stipendia sive fructus non percipiant, & recuperandi eosdem fructus totaliter spem amittant: nisi quàm citiùs commodè potuerint, quod ordinariorum suorum arbitrio duximus relinquendum, procuraverint se absolvi; & nisi ordinarij eorum * super ipsis fructibus gratiam

* ipsis supradictis.

gratiam fecerint ſpecialem. Si verò per annum dictam excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerint indurato: procedatur acriùs contra eos per beneficiorum ſuorum privationem, & alias juxta Canonicas Sanctiones.

II

Item * voluimus & ordinavimus quòd Preſbyteri ordinati, Capellas vel Eccleſias Parochiales obtinentes, qui Miſſas non celebrant ut deberent: ipſas celebrare diutiùs ſine cauſa rationabili negligentes, Canonicè moneantur ut Miſſas celebrent, prout convenit, intra tempus à ſuis ordinarijs præfigendum; alioqui contra ipſos per * ſubtractionem beneficiorum ſuorum, & alias prout juſtum fuerit, procedatur. Adjicientes quòd * quicumque ſuper hoc moniti fuerint, ſi eidem monitioni non paruerint *, pro non reſidentibus habeantur.

*al. volumus & ordinamus.

* fruſtratione fructuum.

*poſtq. acquieverint,

III

Volumus etiam & ordinamus, quòd Statuta * in Bituricenſi Concilio, præſertim edita contra impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam, vel qui impediunt vel imminuunt Eccleſiæ libertatem; vel colligationes, ſtatuta, prohibitiones, vel banna, vel quæcumque alia emolumenta* faciunt contra ipſam, ſingulis menſibus in Parrochialibus Eccleſijs, cùm major aderit populi multitudo, die Dominico vel feſtivo, & ſingulis Synodis, bene & intelligibiliter publicentur: necnon & Conſtitutiones Concilij Lugdunenſis ſuper hoc * editæ, & contra uſurarios manifeſtos. Præcipientes diſtrictè, quòd quilibet Parochialis *Preſbyter tranſcriptum habeat conſtitutionum dictarum. Ut animarum ſaluti provideatur ſalubriùs, adjicimus, ut Pœnitentiarijs atque Confeſſoribus Rotomagenſis Provinciæ ſuggeratur, ut * pœnitentes interrogent, an in pœnam inciderint alicujus Conſtitutionum dictarum, & ut exponant eis pœnam atque pericula earumdem: ipſos ad ſuos Ordinarios remittentes, ſi contrà Conſtitutiones prædictas ipſos repererint deliquiſſe: cùm per ipſos Pœnitentiarios vel Confeſſores abſolvi nequeant in hoc caſu.

*prædicti Concilij Bituricenſis cōtr.

* molimenta.

al. add.

* cōtra ipſos.

al. add.

*Sacerdos ſive

al. omnes ſibi confitētes diligenter

IV.

Statuimus * etiam & ordinamus, quòd excommunicati à Canone propter violentam manuum injectionem in Clericum *, cùm de hoc legitimè conſtiterit, per Parochiales Preſbyteros ad mandatum Ordinariorum ſuorum, excommunicati publicè

* & inſuper

* Clericos

nuntientur, atque tamquam excommunicati ab omnibus acriùs evitentur: & niſi, infra terminum competentem à ſuo Ordinario præfigendum, poſt denuntiationem hujuſmodi procuraverint ſe abſolvi, vel iter arripuerint ad ſedem Apoſtolicam, vel
al. procurãda ejus Legatorum, pro hujuſmodi abſolutione * impetranda juſtitiari mandentur, ſicut in alijs excommunicatis per ſuos Ordina-
al. deeſt *fieri rios in Rotomagenſi Provincia eſt hactenus * fieri conſuetum.

V.

Later.4 Præterea præcipimus, ut ſecundum Statuta Concilij generalis, quilibet Chriſtianus ſingulis annis ad minus ſemel confiteatur proprio Sacerdoti, vel alij poteſtatem habenti audiendi confeſſionem ejuſdem, & ſalutarem ſimul pœnitentiam injungendi: atque quòd Viaticum recipiat in Paſchate, niſi rationabilis cauſa ſubſit quare à recipiendo Viatico debeat abſtinere. Alio-
* *deeſt* tanquã quin contra talem, * tanquam ſuſpectum de hæreſi, procedatur. Adjicientes, quòd nomina talium per ſuos Preſbyteros Ordina-
*Ordinarijs rio * eorum inſinuentur.

VI.

Statuimus quòd poteſtates ſæculares, Clericos capientes cum majori violentia quàm requirit rebellio defendentis, vel detinentes eos ultra vel contra requiſitionem judicis Eccleſiaſtici, denuntientur excommunicati à Canone in generali; in ſpeciali
* poſtquam c * verò, non priuſquam de eo conſtiterit evidenter.

VII.

Diſtrictiùs inhibemus, ne de cauſis ad Eccleſiam pertinentibus, à perſonis Eccleſiaſticis judex ſæcularis, maximè ſuper
* adhibeatur. perſonalibus actionibus, * adeatur.

VIII.

Statuimus etiam ut Abbates, Priores, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ percipiunt majores decimas in Eccleſijs Parochialibus; compellantur ad reſtaurandam fabricam, libros, & or-
*retẽta namenta, pro * rata quam percipiunt in eiſdem.

IX.

Inhibemus, ne aliqui Chriſtiani, ſeu aliquæ Chriſtianæ, Judæis ſervire in hoſpitijs ſuis, ſeu cum ipſis habitare præſumant: & præcipimus, quòd Judæi ſigna patentia deferre cogantur, per quæ à Catholicis diſcernantur.

X.

Firmiter inhibemus ne vigiliæ & choreæ in Cœmeterijs &

ſacris locis fiant : præcipientes quòd tranſgreſſores Canonicè puniantur.

XI.

Prohibemus, ne Clerici beneficiati, ſeu in ſacris Ordinibus conſtituti, venationibus aut aucupijs ſint intenti vel aſſueti.

XII.

Statuimus, ut in Abbatijs atque Prioratibus, in quibus facultates non ſunt diminutæ, reintegretur numerus religioſarum perſonarum : niſi forſan ex ſuperioris expreſſa licentia, atque cauſa rationabili, ſuſtineatur ad tempus. Hoc autem quod à jure ſtatutum eſt, ne Monachus ſolus alicubi commoretur, obſervari volumus & mandamus.

XIII.

Moneantur Monachi commorantes in Prioratibus non Conventualibus, cum * interminatione ſuſpenſionis & excommunicationis, & prout expediens viſum fuerit inducantur, ut ſtatuta Gregorij Papæ, quantum ad eſum carnium, confeſſiones, & jejunia, ſtudeant obſervare. *al. cōminatione.

XIV.

Statuimus quòd regulares cum ſæcularibus non morentur, niſi * de Diœceſani licentia. *per licẽtiam.

XV.

Statutum factum de non contrahendo mutuo * religioſis ultra certam quantitatem, niſi de licentia Abbatis ſui, firmiter obſervetur. *ad Religionẽ.

XVI.

* Præcipimus quòd Decani rurales, exercentes juriſdictionem, non ſuſpendant vel excommunicent, niſi in ſcriptis. *Prohibemus.

XVII.

Item præcipimus, quòd Sacerdotes non deſiſtant ab excommunicatione, vel à denuntiatione excommunicationis, quantumcumque partes pacificent inter ſe : niſi legitimè conſtiterit de excommunicatorum abſolutione. Volumus etiam, quòd abſolutio fiat cum ſolemnitate.

XVIII.

Item inhibemus Sacerdotibus, ne præſumant excommunicare in generali, niſi pro furtis & deperditis, & competenti monitione præmiſſâ.

XIX.

Statuimus, ut Capellani, quibus Eccleſiæ committuntur ad tempus, ſuper literatura, converſatione, atque ordinatione ſua, diligenter examinentur.

XX.

Placuit sancto Concilio promulgare, quatenus in singulis Parochialibus Ecclesijs, & locis publicis, moneantur diebus Dominicis & festivis à se distantibus ter Clerici non uxorati, & etiam uxorati, ut à sæcularibus negotijs abstineant, maximè inhonestis, quodque Tonsuram deferant & habitum * Clerico congruentes. Alioqui si ab hujusmodi, tertiò moniti, non destiterint *: non conjugatos, dum his se implicuerint, quominus de suis facultatibus, statutis & consuetudinibus patriæ subjaceant, Ecclesia non defendet. In conjugatis autem æquanimiter tolerabit, quòd ab ipsis justitias debitas Domini sæculares, velut ab alijs uxoratis, exigant, atque servitia consueta. Denique si post præmissas monitiones Clerici in apostasia Tonsuræ & habitûs Clericalis remanserint, & * se in negotijs sæcularibus permiscuerint, & contingat quòd * à personis atque judicibus sæcularibus in criminibus fuerint comprehensi: non præcipiemus eos per censuram * Ecclesiæ liberari.

*Clericalem congruẽtem, * resipuerint

* sævis enormitatibus. * pro suis excessibus *Ecclesiasticā

XXI.

Statuimus etiam de Clericis non deferentibus Tonsuram quòd ipsi moneantur in Synodis, in Ecclesijs Cathedralibus atque Parochialibus, * & etiam à Decanis ruralibus in suis Kalendis, ut ipsi Tonsuram & habitum deferant Clericis congruentes. Alioqui si post trinam monitionem, per intervalla debita factam eisdem * super prædictis, contempserint Tonsuram & habitum deferre prædictos, & in delictis enormibus fuerint deprehensi per justitiam laïcalem: non defendantur per Ecclesiam quoad hoc, quominus indè à justitia sæculari debitè puniantur.

*deest & etiam

*supradictis,

XXII.

Item statuimus de Sacerdotibus excommunicatis propter defectum solutionis decimæ, ut infra instantem * Nativitatem Domini curent se absolvi, ac secum dispensari super irregularitate, si quam * occasione prædictâ incurrerunt. Alioqui puniemus † eos graviter, etiam per beneficiorum suorum privationem si viderimus expedire.

* Ascensionem

*excommunicatione

† Prælati ipsorum punient ipsos gr. si viderint

XXIII.

Præcipimus etiam ut per singulas Ecclesias moneantur Clerici crucesignati, ne literis Apostolicis, vel Legati sedis Apostolicæ, seu alijs, aliquatenus abutantur: scientes, quòd sollicitudine quâ convenit, contra eos invigilabimus, ut excessus eorum non remaneant impuniti.

XXIV.

Statuimus etiam, quòd Canonici regulares, qui ad curam animarum à ſuis Prælatis, * Epiſcopis præſentantur, non recipiantur ad eas, niſi priùs per inquiſitionem præhabitam conſtiterit eos eſſe bonæ vitæ, honeſtæque converſationis, bonis imbutos moribus, atque etiam de ſufficienti ſcientia eorum, atque natalibus eorumdem : quodque eorum Prælati, poſtquam ipſi ab Epiſcopo recepti fuerint ad curam animarum, eos ſine * conſcientia Epiſcoporum ſuorum ab eis non valeant amovere : & quòd, niſi ſufficientes perſonas, infra quadraginta dies à tempore vacationis Eccleſiarum, præſentaverint, per Epiſcopos Eccleſijs vacantibus provideatur, ponendo ibi Preſbyteros ſæculares, ſi ſibi * videbitur expedire.

* *al.* à ſuis Patronis

* licentia.

* videatur.

His autem ita factis, Concilioque concorditer celebrato, receſſimus, dicendo : *In viam pacis*, & quaſdam orationes multum competentes.

APPENDIX.

In Collectione noſtra Inſtitutionum Synodalium reperiuntur Capitula quædam, quæ in alijs editionibus deſiderantur, ea ſubjicio. Poſt Capitulum V. hæc ſequuntur.

Ad hoc diſtrictiùs duximus injungendum, quòd ſtatuta alia edita in Provincialibus Concilijs prædeceſſorum noſtrorum, obſerventur : & quòd locorum Ordinarij ſuper hoc curam adhibeant efficacem, & quòd ipſa faciant annis ſingulis, in ſuis Synodis, ſolemniter publicari.

Renovantes Statuta Concilij, volumus, & hoc placet ſancto Concilio, quòd circa procurationes ratione viſitationis debitas, accipiendas ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, & circa gravamina inferenda prætextu officiorum ſuorum, ſervetur quod ſtatutum eſt in Concilio Lugdunenſi.

Volumus quòd Statuta Concilij generalis contra eos qui faciunt * colligationes, & ſtatuta contra libertates Eccleſiæ edita, frequenter & ſolemniter in Synodis & Parochialibus Eccleſijs promulgentur, & tranſgreſſores Canonicè puniantur.

* *des ligues*

Tum poſt Capitulum VIII. hoc ſubjicitur.


Volumus, quòd Statutum Synodale Simonis, * quòd perſonæ Eccleſiaſticæ, ad quas veniunt diverſa mandata diverſorum judicum delegatorum, conſervatorum, ſed excommunicatorum, diligenter videant nomina judicum Diœceſis, & locorum ad

* Card. S. Cæciliæ.

quæ citant, & ipsa authentica firmiter observentur, & non citent, nisi videant authenticum, vel transcriptum sub sigillo authentico.

Ac deinde post X.

Moneantur solemniter in Ecclesijs, maximè non uxorati, congruentem deferre Tonsuram; Crucesignati verò, crucem in aperto deferre cogantur. De sellis, calcaribus, pectoralibus, deauratis, & aliam superfluitatem habentibus, quibus Clerico uti prohibitum est, & de clausis desuper indumentis à Sacerdotibus deferendis, volumus observari Statutum Concilij generalis.



CONCILIUM ROTOMAGENSE

* Gal. de Bonnenouville.

IN ECCLESIA B. MARIÆ DE PRATO,* juxta Rotomagum, celebratum per Reverendos Patres ac Dominos, Archiepiscopum Rotomag. & ejus Suffraganeos, anno Domini 1299. die Jovis post octavas Pentecostes.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I



UONIAM, sicut ipsâ facti evidentiâ quotidianâ docente cognovimus, Sacerdotes quidam Curati, atque alij beneficiati Clerici, cucufati, sotularibus consutis laqueis calciati, ensibus accincti, seu gladijs, quorum usus eis interdicitur, super vestem, ad modum militum, impudenter accedunt in locis publicis, vestimenta nimiâ brevitate notanda, minusque congruentem Tonsuram publicè deferentes;

focarias ſeu concubinas, aut alias mulieres, quarum converſatio cum eiſdem Clericis eſt ſuſpecta, in ſuis habent domibus, atque nonnunquam in alienis confovent & frequentant; ac nonnulli juſtitiæ ſæcularis officium, audiendo cauſas, examinando proceſſus ut judices, in curia ſæculari exercent: & quidam fœneratitijs alijſque contractibus illicitis contra * ſe immiſcent; vitam ſuam alias in luxurijs, ebrietatibus, comeſſationibus deducentes, ſupplicium quærunt ſibi perpetuum, ſeminantes in carne, corruptionem meſſuri, perenniter miniſterium ſuum vituperant, proximos ſcandaliſant, atque ſubjectos, & alios populos, quibus benè vivendi lumen & ſpeculum ſine ruga debent per opera ſancta prætendere, in ſeipſis apoſtatare faciunt & errare in invio, ac ex ſuis reprobis actibus & exemplis illos in puteum interitûs ſecum trahunt. Quin obliti penitus Dei ſui, atque homines ſine lege, officij ſui immemores, qui ſunt in ſanctificatione electi, præcepta ſpernunt Canonica atque Divina, prædicatores effecti, proh pudor! ſuæ legis. Nos tantis obviare periculis, & quos timor Divinus à malo non revocat, etiam naturalis ratio non redarguit, & mundana verecundia non refrænat, ſuis dicentes in cordibus: Ubi eſt Deus? pœnarum frænis temporalium quas formidant, perſtringere cupientes: Statuimus, antiquorum Patrum ſalubria Statuta recenſentes, ut ſi Clericus Beneficiatus quilibet, poſt generalem admonitionem de abſtinendo penitus à præmiſſis & quolibet eorumdem, & de vivendo piè, decenter atque juſtè ſecundum Canonicas Sanctiones, aliquem de prædictis exceſſibus præſumpſerit attentare: amiſſionis pœnâ omnium fructuum beneficij ſui, ſeu beneficiorum ſi plura forſitan obtineat, per annum unum abſque miſericordia percellatur. Contra ipſum ad privationem beneficij ipſius ſeu beneficiorum, ſi per annum pertinax in eadem malitia perſeveret, nihilominus procedatur.

* *fortè* contra Canones.

II.

Statuimus ut Baillivi, præpoſiti, majores, atque alij judices ſæculares, quocumque nomine cenſeantur, aſſiſias atque placita diebus Dominicis atque Feſtis Virginis glorioſæ, Sanctorum Joannis Baptiſtæ, Michaëlis Archangeli, Sanctorumque Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac alijs qui cum Clero & populo in Eccleſijs celebrantur, in quibus, ſolùm Divinis eſt laudibus, non terrenis negotijs inſiſtendum, tenere atque exercere deſiſtant, penituſque quieſcant, generaliter moneantur. Qui ſi parere con-

tempſerint, temerè forſan contrarium attentando; incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto.

III.

Pœnâ feriri ſimili ipſo facto autoritate prædicti Concilij ſtatuentes, Clericos, qui ſuper factis perſonalibus, atque ſpecialiter de clamore de Haro, ubi de facto perſonæ quæritur, ſe ſupponunt juſtitiæ ſæculari ſeu ipſi juſtitiæ, ſub prætextu factorum hujuſmodi exhibent emendas, poſt monitionem de contrario generalem.

IV.

Porro quorumdam judicum ſæcularium inconſulta conamina, quibus matris ſuæ videlicet Eccleſiæ, libertates atque jura multifaria moliuntur infringere, memorati autoritate Concilij reprimere cupientes: Statuimus inhibendo ne quoſcumque Clericorum eorum, aliaſve perſonas, occaſione factorum à Clericis commiſſorum, ſuper delictis atque factis perſonalibus quibuſcumque commiſſis, atque ſpecialiter in clamore de Haro, nec de crimine uſurario à Clerico perpetrato, coram ſe, vivente eodem Clerico vel defuncto, reſpondere compellant, ſeu cognitionem factorum hujuſmodi in ſe ſumant. Quòd ſi generaliter contra fecerint: autoritate prædictâ, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

V.

Adhuc noſtrum pulſat animum, ut adverſus varia ſæcularis Juſtitiæ officia tenentium inſenſatam malitiam occurramus: qui quod ſibi ſacræ Scripturæ præconium comminatur, ignorant; qui pro temporalibus moleſtijs quas, cùm præſunt, pauperibus ingerunt, atque qui armis bellicis non utuntur per quos miniſtri Eccleſiæ deſignantur, æterno incendio cremabuntur: quodque ſi pax augeatur, & diſciplina Eccleſiæ per infideles principes eorumque miniſtros quoſlibet, aut ſolvatur; ille tamen exiget ab eis rationem, qui ſuam illorum tradidit Eccleſiam poteſtati: contra matrem Eccleſiam manum ſuam erectis cornibus aggravantes, ipſius juriſdictionem & libertatem ſuis fallacijs uſurpare nituntur, ac judices Eccleſiaſticos in caſibus, in quibus de jure vel antiqua & approbata conſuetudine ad eoſdem cauſarum cognitio noſcitur pertinere, quominus de ipſis cognoſcere valeant, impediunt atque perturbāt: eiſdem cedulas inhibitorias dirigentes, quæ brevia nuncupantur, in caſibus in quibus de ſui natura brevia nulla cadunt: propter quæ novellæ conſtitutionis Domini Bonifacij Pa-

pæ

pæ VIII autoritate, in excommunicationis ſententiam incidunt ipſo facto. Deliberatione habitâ ſuper hoc diligenti, ſtatuimus ordinantes, ut nulla hæc brevia per Eccleſiaſticos judices admittantur, nec eis in aliquo pareant. Quod ſi in hac ſumpta occaſione, Baillivi, præpoſiti, Vicecomites, alijve judices ſæculares, in perſonarum vel bonorum captionem procedant, directè vel indirectè partem ad deſiſtendum vel judicem compellendo: monitione legitimâ præcedente, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, à qua per Prælatos, non niſi parte & judice congruè ſatisfactis, ac ſibi pœnâ ſuper tanto exceſſu indictâ legitimâ, quæ timorem ceteris incutiat, attentandi ſimilia quomodolibet abſolvantur: nolentes ut per Officialem aut Pœnitentiarios Prælatorum, niſi eis ex ſpeciali commiſſione liceat, hujuſmodi ſententiæ relaxentur. Sententiamque excommunicationis latam ab uno judice Eccleſiaſtico, præmiſſorum occaſione ac ſimilium, alij in ſuarum juriſdictionum diſtrictibus exequantur.


VI.

Ceterùm animarum ſaluti conſulere, ac earum periculo obviare volentes, ſtatuimus quòd prælati, fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, alijſve religioſis quibuſlibet poteſtatem abſolvendi ſubditos à peccatis ſuis de cetero non committant in caſibus, qui de jure vel conſuetudine reſervantur eiſdem, niſi certis perſonis & notis dumtaxat, quarum Prælati induſtriam duxerint eligendam in certis caſibus, qui in conceſſione vel commiſſione eis facta ſpecialiter inſerantur: quodque ipſa commiſſio ad caſus, in quibus tenetur Catholicus quilibet confiteri ſemel in anno peccata ſua proprio Sacerdoti, nullatenus extendatur, niſi ipſius Sacerdotis habitâ ſuper hoc voluntate.

VII.

Vobis itaque univerſis Chriſti fidelibus in civitate & Diœceſi Lexovienſi * conſtitutis, atque veſtrum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungimus atque mandamus, quatenus ſupradicta ſalubria & ordinationes, ſecundum tenorem præmiſſum, quantum in vobis conſiſtit, fideliter obſervetis, & eis humiliter pareatis. Statuta ſunt hæc & unanimiter ordinata die, loco, & Concilio memoratis. Anno Domini 1299.

*Lexov Diœceſ. hic fit mẽtio, quia horum ſtatutorum exẽplar excerptum eſt ex Synodalib⁹ præceptis Lexov. Eccleſiæ




Nn



CONCILIUM PROVINCIALE
APUD DEVILLAM PROPE ROTOMAGUM,
Ob ardua negotia totius Cleri Rotomagenſis, à GUILLELMO Rotomagenſi Archiepiſcopo cum Suffraganeis Epiſcopis celebratum anno Domini 1304.

Ejus acta interierunt. De eo vide Neuſtr. piam, pag. 247.




CONCILIUM
PINTARVILLANUM,
à GUILLELMO de Flavacuria Rotomagenſi Archiepiſcopo cum Suffraganeis celebratum, anno incerto.

HUjus Concilij (quod quidem ſciam) non extat memoria, niſi quod infrà habetur in Canone Concilij apud B. Mariam de Prato, ſub Ægidio *Aſſelin* anno 1313. celebrati, ut ſequitur.



STATUIT Concilium omnes & ſingulos judices ſæculares Clericos ratione facti vel obligationis perſonalis etiam habiti vel habitæ coram eis, ſi ipſorum judicum literæ factæ ſuper hoc oſtendantur, qui tamquam non coram ſuo judice pro infectis habeantur; juſtitiantes per ſuorum captionem bonorum & amicorum ſuorum, ſeu alijs quomodolibet directè vel indirectè; necnon omnes & ſingulos religioſos & ſæculares Clericos, & laïcos, cujuſcumque ſtatûs, ordinis, officij, ſeu etiam dignitatis extiterint, hoc publicè vel occultè fieri procurantes, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere.



Ex ſchædis noſtris.

ARRESTA SCACARIJ S. MICHAELIS, de Foreſtis &c. Anno 1277.

DE donis factis Eccleſijs Parochialibus, & emptionibus poſitis deſuper cenſibus & ſuper feodis Domini Regis & aliorum nobilium Normaniæ, concordatum fuit ac etiam ordinatum quòd Dominus Rex non haberet financiam de redditibus inferiùs nominatis, videlicet de cereis

ad Corpus Domini nostri illuminandum. Item de oleo pro lampadibus, item de cereis continuè ardentibus in Ecclesia. Item de vestimentis ad opus Altaris, nec de alijs minutis rebus datis ad opus Monasterij; imo talia Ecclesijs liberè remanebunt &c.

GUILLELMUS de Flavacuria Indulgentias Ecclesiæ Gornacensi concedit anno Christi 1278.

Ex Archivo Archiepiscopali

GUILLELMUS *permissione divinâ Rotomagensis Archiepiscopus, Universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino Iesu Christo.*

CUM sicut accepimus Ecclesia de Gornayo nostræ Diœcesis, in qua Corpus B. Hildeverti requiescit, ita graviter sit oppressa, quòd ad sustentationem pauperum Clericorum ibi deservientium, necnon & ad reædificationem dictæ Ecclesiæ propriæ facultates non suppetant nisi fidelium subventionibus adjuvetur, maximè cùm prædicta Ecclesia amiserit redditus quos in Anglia solebat percipere annuatim. Nos de omnipotentis Dei misericordia & B. Mariæ semper Virginis genitricis ejus, beatorum Petri & Pauli, ac beatorum Confessorum Romani & Audoëni, & omnium Sanctorum meritis & intercessione confisi: Omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad dictam Ecclesiam causâ peregrinationis Dominicâ in qua canitur: *Isti sunt dies*, & die Sabbathi & die Veneris immediatè præcedentibus accesserint, vel prænominatæ Ecclesiæ manum suam porrexerint, adjutorium dictis diebus vel alijs eleemosynas largiendo, 40 dies de injunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Datum Gornaïj anno Domini 1278. die Veneris ante Festum B. Dionysij.

SENTENTIA OFFICIALIS ROTOMAGENSIS data Anno Christi 1279.

Officialis Rotomagensis, Universis Decanis, Ecclesiarum Rectoribus, & Presbyteris in Civitate & Diœcesi Rotomagensi; ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino.

Ex Archivo Archiepiscopali

CUM omnes jurisdictionis Ecclesiasticæ perturbatores sint excommunicati autoritate Concilij, per Reverendum Patrem Dominum Simonem S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum Bituricis celebrati; & prout intelleximus, nonnulli Baillivi & Vicecomites, & alij ministri justitiæ laïcalis, & sæculares aliæ potestates Rotomagensis Diœcesis inhibuerint, & in suis assisijs inhiberi fecerint: Ne laïcus laïcum trahat coram Ecclesiastico judice, vel literas recognitorias, seu alias Curiæ Ecclesiastici judicis à laïco recipiat, vel laïcus alij laïco tribuat vel concedat; quod si verum sit: non est dubium turbatores jurisdictionis Eccle-

ſiaſticæ tales eſſe, ac prædicti autoritate Concilij excommunicationis ſententiâ fore ligatos. Vobis omnibus & ſingulis diſtrictè præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna ſuſpenſionis, quatinus in veſtris Eccleſijs ſingulis diebus Dominicis dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, cùm major aderit populi multitudo, univerſos & ſingulos qui prædictas inhibitiones fecerint vel fieri mandaverint, vel ad id opem vel conſilium præbuerint, & generaliter omnes illos qui aliquos coegerint, vel ſubditos ſuos aliàs compulerint ne coram Eccleſiaſtico judice litigarent, vel literas Curiæ Eccleſiaſtici judicis darent vel reciperent, prædicti autoritate Concilij excommunicatos eſſe ſtudeatis publicè ac intelligibiliter nuntiare. Talium corpora, ſi eoſdem abſolutione ſuper hoc non obtentâ obire contigerit, nullatenus tradendo Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Abſolutionem verò prædictam Presbyteri & Confeſſores alij univerſi, nobis dumtaxat exceptis in hac Diœceſi, præterquam in mortis articulo ſibi noverint interdictam; nec tunc abſolvant, niſi præſtitâ de emendando quàm citiùs potuerint cautione. Et nomina talium perturbantium Eccleſiaſticam juriſdictionem vos prædicti Decani & Presbyteri, cùm de ipſis vobis conſtiterit nobis denuntietis; vel etiam vos Presbyteri per Decanos faciatis intimari, ut contra tales prout juſtum fuerit acriꝰ procedatur, & in ſignum mandati noſtri à vobis diligenter executi, ſigilla veſtra præſentibus apponatis. Datum anno Domini 1279. die Mercurij poſt Octavam Trinitatis.



EPISTOLA GUILLELMI ROTOM. ARCHIEPISCOPI PHILIPPO IV. Regi Francorum. Anno 1295.

Cariſſimo Domino PHILIPPO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, WILLELMUS *dignatione divinâ Rotomagenſis Eccleſiæ Miniſter, ſalutem, gratiam & omnipotentis Dei benedictionem.*

Ex tom. 6. Spicil

NOVERIT Excellentia veſtra ſatisfactum eſſe nobis, & Canonicis noſtris, & ceteris Eccleſiaſticis perſonis omnibus de Provincia noſtra, plenariè ad honorem Dei & Eccleſiæ noſtræ & noſtrum, ſuper univerſis damnis per vos & veſtros, & eos qui ad vos pertinent nobis illatis, & quòd nos, & prædictæ perſonæ omnes, tam Andeliaci * quàm omnium redituum, & aliarum rerum noſtrarum, plenam habemus reſtitutionem. Et ideo interdictum ſub quo terram veſtram in Provincia noſtra concluſeramus, relaxavimus, & quittavimus in perpetuum vos, & veſtros, & univerſos qui ad vos pertinent, de univerſis rebus illis, quas de rebus noſtris & Eccleſiarum de terra D. Regis Anglorum in Provincia noſtra cepiſtis ante vigiliam S. Michaëlis, anno Dominicæ Incarnationis 1295. nec propter hoc aliquid à vobis, aut à veſtris exigemus, nec in querelam vos mittemus ſuper hoc, nec vexari à ſubditis noſtris permittemus. Hoc autem ſcripto præſenti cum appenſione ſigillorum tam noſtri quàm Eccleſiæ Capituli proteſtamur

* *ſive* Andeleij


Charta pro Patronatu S. Mariæ de Duno, Canonicis sancti Quinctini adjudicato Anno Domini 1296.

Ex MS. S. Audoeni.

*Copia * Rotulorum Scacarij Rotomagensis ad festum S. Michaëlis anno Domini 1296. data sub sigillo Scacarij Paschæ anno Domini 1350.*

* Gall. Rouleau ou Parchemin roulé.

HABENDUM est consilium, ut in judicium quod per Baillivum Caleti factum fuerat inter Guillelmum dictum *Chevalier* armigerum ex una parte, & Decanum & Capitulum sancti Quinctini in Vermandua ex altera, super jus Patronatus Ecclesiæ beatæ Mariæ supra Dunum, fuerit bonum viso judicio & auditis rationibus partium, ex speciali mandato Regis per supplicationem judicatum fuit, contra dictum armigerum quòd judicium in assisia factum, erat pravum, videlicet quòd idem Baillivus erraverat in examinatione testium inquestæ super hoc factæ, quia consuetudo antiqua non fuit observata in examinatione prædicta, ut pote quia primò deberent testes interrogari super possessione, & interrogati fuerant super proprietate. Datum ut suprà.



GUILLELMUS de Flavacuria consensum Capituli postulat ad exscindenda nemora pro utilitatibus Ecclesiæ Rotomagensis.

Anno 1298.

Vniversis præsentes literas inspecturis, GUILLELMUS *permissione divinâ Rotomagensis Archiepiscopus, salutem in Domino sempiternam.*

Ex Archivo Capituli.

PRIDEM paulò postquam licet immeriti ad regimen fuimus Ecclesiæ Rot. assumpti circa nostræ promotionis in ejus Pastorem primordia mentis nostræ ad onus quod nostris humeris imminebat prout ejus exigebat, moles animum applicantes quamplura vidimus quæ non minùs utilia quàm necessaria ipsi Ecclesiæ, cominus ingruebant. Ad quorum prosecutionem celerem & felicem, suadente Pastoralis curæ debito consurgentes, quædam apud Deivillam & Fraxinos Archiepiscopi nemora de ejusdem Ecclesiæ bonis, quæ antea cæsa non fuerant pro ipsius Ecclesiæ necessitate & utilitate hujusmodi imminentium evidenti, de consensu Capituli dictæ Ecclesię aliàs non facturi, scindi & distrahi fecimus, ac redactum exinde pretium, atque longè majores pecunias convertimus in prædictas necessitates & utilitates, prout facti ejusmodi evidenter ostendit effectus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum literis fecimus his apponi. Datum apud Gallionem die Lunæ post festum B. Vincentij Martyris anno Domini 1298.

Anno 1298.

CONSENSUS CAPITULI ROTOMAGENSIS.

Universis præsentes literas inspecturis, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Rotomagensis, salutem in Domino sempiternam.

MERUERUNT facta magnifica Reverendi Patris ac Domini GUILLELMI Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopi, quæ paterna ejus prudentia circa nostra & dictæ Ecclesiæ commoda semper invigilans providere curavit, approbationis & commendationis apud nos multiplicem obtinere consensum. Sanè circa suæ promotionis in dictæ Pastorem Ecclesiæ grata primordia, dictus Pater super muros ejus custodem se positum diligenter advertens, & suæ mentis aciem circumquaque convertens ad onus quod suis humeris imminebat, quamplura providit Ecclesiæ memoratæ non minùs utilia quàm necessaria, &c. Prædictam venditionem & nemorum scissionem, & quod exinde factum extitit ut præmittitur approbantes & ratificantes tunc & nunc, nostrum his placidum impertimur assensum, &c. Datum in Capitulo die Mercurij post festum B. Vincentij Martyris anno 1298.

Ex Vidimus Officialis Rotomagensis, die Jovis post festum S. Vincentij eodem anno.

Anno 1303. Ex Archivo Archiepiscopali

Literæ GUILLELMI Rotomagensis Archiepiscopi R. Abrincensi Episcopo, de jure Consecrationis Episcoporum.

NOS GUILLELMUS Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopus, Notum facimus universis quòd cùm venerabili fratri nostro R Constantiensi Episcopo propter infirmitatem nostri proprij corporis quam in præsenti patimur, consecrationem Guidonis electi Lexoviensis hac vice duxerimus committendam, nolumus nec intentionis nostræ existit, quòd per hoc juri venerabilis fratris nostri G. Abrincensis Episcopi & ipsius Abrincensis Ecclesiæ, in consecratione Episcoporum præjudicium aliquod generetur, nec quod per hoc nobis & Ecclesiæ nostræ Rotomagensis jus novum aliquod acquiratur; In quorum testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Rotomagi Anno 1303.



60. BERNARDUS de FARGIJS Clementis 5. Papæ propinquus, infulas init anno Christi 1306. Tansfertur ab eodem Clemente ad Metropolim Narbonensem 1311.

Actus Capitularis Canonicorum Rotomag. quo consentiunt ut BERNARDUS Archiepiscopus nemora succidat, ob causas ibi contentas, & eorum consensûs acceptatio anno 1306. *Ex Archivo Capituli.*

Universis præsentes literas inspecturis, Capitulum Rotomagensis Ecclesiæ, salutem in Domino sempiternam.

CLEMENTISSIMI Patris ac Domini nostri Domni BERNARDI Dei gratiâ Rotomagensis Archiepiscopi nuper nobis porrecta petitio continebat, ut cùm ipse de causis justis, rationalibus & necessarijs plurimorum sarcina debitorum ad summam quadraginta millium florenorum se extendentium & ampliùs, gravatus existat, quæ suis humeris in recenti ejus incubuerunt novæ creationis exordio, & quæ ipsum oportet inevitabiliter supportare, amoris affectibus filialis, manus ad sui levamen hujusmodi oneris apponamus, sibi quantum ad nos pertinet concedentes, quod de suorum & Ecclesiæ nostræ Rotomagensis superficie nemorum detrahere, & quam inde redigi faciet pecuniam, in dictorum acquitationem convertere valeat debitorum. Cùm itaque teneamur innatâ filiorum dilectione præfati Patris onera, prout nobis existit possibile supportare, & ejus necessitatibus subvenire volumus, & eidem quantum in nobis existit de gratia placidum impertimur assensum, ut de superficie nemorum prædictorum solo & stipite salvis, distrahere, seu vendi & distrahi facere valeat quibuscumque personis usque ad summam pecuniæ quam sibi necessariam decreverit, pro dictorum acquitamine debitorum. Super quæ, suam conscientiam oneramus. In cujus rei &c Datum die Mercurij post festum B. Michaëlis in Septembri anno Domini 1306.

NOs autem Archiepiscopus antedictus carissimi nostri Capituli memorati sinceram devotionem & filialem amicitiam in Domino commendantes, concessionem & assensum ejus præscriptum secundum ejus seriem acceptamus, volumus & paternâ benevolentiâ comprobamus, salvo tamen super hoc jure nostro & dicti Capituli in futurum; sigillum nostrum &c. Datum anno & die prædictis.

---

61. ÆGIDIUS AISCELLINI de Bilione, Arvernus, è Sede Narbonensi ad Rotomagensem transfertur anno Christi 1311. 3. Nonas Maij, eodemque anno recipitur in Ecclesia primò per procuratorem pridie Idus Junij, deinde præsens 4 Kal. Septembris. Habuit Concilium apud S. Mariam de Prato anno Christi 1313. circa festum S. Lucæ. Festum Eucharistiæ in Ecclesia Cathedrali instituit anno Christi 1317. Obijt Anno 1318.

ELenchus Conciliorum Rotomagensium unum designat ad annum 1312. cujus acta perijsse credita sunt, licet in veteri codice de quo plura jam in hanc collectionem deprompsimus, habeatur sine ulla temporis nota quod secundum ex tribus illis Concilijs quæ in Monasterio Pratensi coacta sunt putamus: primum sub GUILLELMO de Flavacuria an-

no 1299, quod quidem apud Baillium, reperitur sed ex recensione nova Conciliorum, suo loco dedimus. Nulla ibi mentio de hoc secundo, quod anno 1313. Habitum diximus sub Ægidio *Asselin*, quod illud esse conjicimus, quod ex MS. & ex veteri illa editione damus, quamvis eadem ferè sed alijs verbis expressa in secundo, quæ in primo, unum & idem esse tantum non suadeant, nisi alias compertum haberemus sæpiùs contingere, ut quæ in priori statuta fuere, in subsequenti iterum repetantur per modum ratihabitationis & confirmationis, adde quòd plura in utroque respectivè habeantur quæ in altero desiderantur, quod me ut illud eo loci darem impulit. Tertium quod sub PETRO III. Rogerij habitum est suo tempore adjungemus.



CONCILIUM PROVINCIALE
APUD B. MARIAM DE PRATO,
ab ÆGIDIO *Asselin* cum Suffraganeis anno 1313. celebratum.

CAPITULA.

I



STATUIT Concilium Provinciale celebratum apud Prioratum beatæ Mariæ de Prato juxta Rotomagum, ut Sacerdotes Curati & Clerici beneficiati quicumque, qui generaliter moniti ne de cetero incedant in locis publicis cucufati, seu sotularibus consutitijs calciati, vel ensibus accincti seu gladijs ad modum militum super vestes, & ne minùs congruentem Tonsuram, aut vestimenta deferant nimiâ brevitate notanda. Ne etiam focarias seu concubinas, aut alias mulieres suspectas in suis habeant domibus, vel in alienis foveant aut frequentent: & ne casus audiendo, vel examinando processus in curia sæculari, vel quomodolibet alias exerceant officium justitiæ sæcularis. Ne etiam fœneraticos aliosque contractus illicitos exerceant, neque suam in luxurijs, ebrietatibus & comessationibus vitam ducant: sed piè, decenter atque justè vivant secundum Canonicas sanctiones, sine aliquo crimine præmissorum post generalem monitionem de abstinendo penitus ab eisdem; qui si culpabiles fuerint deprehensi, sint in pœna amissionis omnium fructuum beneficiorum suorum per unum annum absque misericordia, ac contra ipsos ad privationem beneficiorum, si per annum pertinaces in eadem perseverent malitia, procedatur.

II

Item idem Concilium statuit ut Baillivi, Vice-comites præpositi,

positi, & majores, & alij judices sæculares quocumque nomine censeantur, moneantur ut assisias & placita Dominicis diebus & festivis Virginis gloriosæ, Beatorum Joannis Baptistæ & Michaëlis Archangeli, Sanctorumque Apostolorum & Evangelistarum, & alijs qui à clero & populo in Ecclesijs celebrantur. In quibus solum divinis laudibus est, non terrenis negotijs, insistendum, tenere & exercere desistant penitus & quiescant: & si parere contempserint: incurrant excommunicationis sententiam ipso facto. III

Item quòd Clerici qui super factis personalibus ubi clamor de Haro fuerit, & de facto personæ super hoc quærendo supponent justitiæ sæculari, seu ipsi justitiæ prætextu facti hujusmodi exhibebunt emendam, post monitionem de contrario generalem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

IV.

Item statuit idem Concilium inhibendo, ne quisquam sæcularis judex Clericos aliasve personas occasione factorum à Clericis commissorum super delictis & factis personalibus quibuscumque commissis & specialiter in clamore de Haro, nec de crimine usurarum à Clerico perpetrato, vivente eodem Clerico vel defuncto; coram se quomodolibet respondere compellant, seu cognitionem hujusmodi in se sumant; quòd si generaliter moniti contra fecerint: excommunicationi subjaceant ipso facto, à qua per Prælatos non nisi parti & judici congruè satisfacto quomodolibet absolvantur, nec per Officiales aut Pœnitentiarios Prælatorum, nisi eis ex speciali commisso liceat, abhujusmodi sententiâ relaxentur. V.

Item statuit hoc Concilium quòd Brevia quæ judices sæculares ut Ecclesiasticam jurisdictionem impediant & perturbent, de judicijs Ecclesiasticis dirigunt in causis in quibus de sui natura Brevia nulla cadunt, per Ecclesiasticos judices nullatenus admittantur, nec eis in aliquo pareant; quòd si assumptâ forsan occasione Baillivi, Præpositi, Vice-comites, alijve judices sæculares: ad personarum vel bonorum captionem procedant directè vel indirectè, partem ad defendendum vel judicem compellendo, monitione legitimâ præcedente, excommunicationi subjaceant ipso facto, à qua absolvi non valeant: nisi sicut de alijs est præmissum. VI.

Item statuit Provinciale Concilium apud Pintarvillam novis-

Oo

„ sime celebratum, [omnes & singulos judices sæculares Clericos
„ ratione facti vel obligationis personalis etiam habiti vel habitæ
„ coram eis, si ipsorum judicum literæ factæ super hoc ostendan-
„ tur, quæ tamquam non coram suo judice pro infectis habeantur;
„ justitiantes per suorum captionem bonorum & amicorum suo-
„ rum, seu alijs quomodolibet directè vel indirectè; necnon om-
„ nes & singulos religiosos, & sæculares Clericos & laïcos cujus-
„ cumque status, ordinis, officij, seu etiam dignitatis extiterint, hoc
„ publicè vel occultè fieri procurantes, ipso facto excommunicatio-
„ nis sententiæ subjacere.] Ut autem primò dictum Concilium & secundum, & quæ in ipsis sunt statuta & acta pateant universis, ea in Synodis singulis Decanorumque Kalendis ruralium, ac per Parochiales Presbyteros diebus singulis dominicis post lecturam Evangelij publicè divulgentur, quatinus unusquisque pœnas in ipsis insitas Concilijs lucidiùs videat, ac propensiùs valeat declinare: & de ignorantia nequeat contra dicta Concilia se tueri. Habeat itaque Presbyter Parochialis apud se quilibet memorata Statuta: & eadem sicut præmittitur in Ecclesia non negligat publicare. Volumus quoque quòd per Decanos de inobedientibus Presbyteris in hac parte, infra nostram primò venturam Synodum hyemalem reddamur in virtute obedientiæ certiores.

Anno 1315

Ex veteri Breviario MS. Bajocensi, post Commune Sanctorum, ante Servitium B. Mariæ.

INCIPIT Ordinatio Servitij de Commemoratione B. Mariæ Virginis ab Archiepiscopo Rotomagensi & alijs Prælatis ipsius Provinciæ anno Domini 1315. in Rotomagensi * Concilio constituta. In Commemoratione B. Mariæ Virginis, videlicet temporibus in quibus est de dicta Commemoratione fieri consuetum, fiant novem Lectiones excepto tempore Paschali. Notandum est quòd semper extra Octavas quæ fiunt cum festo ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem, vel usque ad Septuagesimam; Si ipsa præcedat dictam Purificationem singulis Sabbathis cantatur de ipsa, nisi proprietas alicujus Sancti evenerit eadem die. Quòd si contingat, alia dies in hebdomada, eligatur ad cantandum de ipsa, &c.

* *De eo Concilio nihil superest.*

DIPLOMA PHILIPPI III. FRANCORUM REGIS,
In gratiam ÆGIDIJ Rotomagensis Archiepiscopi.

Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, dilectis nostris Ludovico de Vil-

la petrosa, *& Gaufrido* le Danois *Magistro Forestarum & Aquarum nostrarum*, *deputatis in Normania ad custodiendum ordinationes Monetarum nostrarum*, *ac super hoc ab eis deputatis*, *vel eorum locum tenentibus*, *salutem.*

Anno 1313.

Ex Cartulario Archiepiscopali

CONQUESTUS est nobis dilectus & fidelis noster ÆGIDIUS Rotomagensis Archiepiscopus, quòd licet gentes ipsius dictas ordinationes nostras apud Dieppam, & in alijs Villis & locis suis in quibus habet omnimodam justitiam dictus Archiepiscopus, diligenter & firmiter fecerit & faciat observari, nec super hoc in negligentia fuerint aut defectu; nihilominus vos vel alter vestrum, quamquam gentes compotorum nostrorum vobis scripserint, dictum Archiepiscopum vel ejus gentes prædictas non debere super hoc impediri, eumdem Archiepiscopum & gentes suas in prædictis impedivistis & adhuc impeditis, faciendo per deputatum à vobis in villa & locis prædictis, observari ordinationes prædictas; non permittentes quòd id fiat per gentes Archiepiscopi supradicti, in ipsius jurisdictionisque suæ præjudicium & gravamen. Quare vobis & cuilibet vestrum præcipimus & mandamus quòd nisi vobis constiterit evidenter, quòd idem Archiepiscopus vel gentes suæ fuerint in negligentia vel defectu faciendi observari dictas observationes in villis & locis suis prædictis, eas circa observationem hujusmodi per eas faciendam in dictis villis & locis non impediatis, & de hoc ibidem vos non intromittatis in præjudicium Archiepiscopi supradicti, quamdiu super hoc negligentes non fuerint aut remissi. Datum Parisijs 17 Janvarij anno Domini 1313.

EPISTOLA LUDOVICI FRANCIÆ REGIS ad ÆGIDIUM *Asselin* Rotomagensem Archiepiscopum.

Anno 1315.


Ex Archivo Archiepiscopali

LUDOVICUS *Dei gratiâ Francorum & Navarræ Rex*, *dilecto & fideli nostro Archiepiscopo Rotomagensi*, *salutem & dilectionem.*

QUIA nostris negotijs fideliter & diligenter vos exhibuistis, & adhuc exhibere continuum non cessatis specialiter in faciendo per gentes villarum vestrarum pro nostra præsenti guerra Flandriæ nobis subveniri, vobis referimus gratiarum actiones; sciturì quòd prædictâ subventione nobis factâ vel faciendâ per vos aut per gentes dictas villarum vestrarum pro dicta præsenti guerra, nostræ intentionis non esse, nec volumus quòd vobis vel gentibus ipsis villarum vestrarum quæ in dicta subventione contribuerint, in futurum, aliquod præjudicium generetur, nec nobis propter hoc jus novum aliquod acquiratur. In cujus rei testimonium præsentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisijs 12 die Octob. 1315.

62. GUILLELMUS III. DE DUROFORTI, ex Ecclesia Lingonensi ad Rotom. A.C 1319. transfertur. Quo anno nova S. Audoëni basilica inchoatur à Joanne *Roussel* Abbate 8. Kal. Jun. Obijt 1330. 8. Kal. Dec. Sepultus est in Ecclesia Cathed. 4 Kal. ejusd. mensis.

59. PETRUS III. ROGERII, de Malmonte, Lemovix, patre Guillelmo, matre Guillelma natus, Monachus Casæ Dei, Prior S. Baudelij Nemausensis, inde Abbas Fiscannensis, tum Atrebatensis Episcopus, postea Senonensis Archiepiscopus, ad Rotomagensem sedem à Joanne 21. transfertur A. C. 1330 16. Kal. Januarij. Creatur Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei tit. Fasciolæ 1338. 16 Kal. Jan. à Benedicto 12. cui successit 1342. electus Avenione Nonis Maij, coronatur 14 Kal. Junij. Collegium 16 Clericorum in Ecclesia Rotomagensi instituit 1349. 8 Kal. Junij. Obijt Avenione 1352. 8. Idus Decembris Sepultus est in Monasterio Casæ Dei anno sequenti.



CONCILIUM PROVINCIALE
HABITUM IN MONAST. B. MARIÆ PRATI, dicto *de Bonne-nouvelle* prope Rotomagum, anno 1335. mense Septembri.

Ex MS. Beccensi.

TITULI CAPITULORUM.

I. *De Divinis Officijs religiosè celebrandis.*
II. *De vita & honestate Clericorum.*
III. *De vita & honestate Monachorum*
IV. *Ut Capellani in beneficijs deservire compellantur.*
V. *Ut Patroni ad beneficia non præsentent pro pecunia.*
VI. *Ut non impediantur Ecclesiastici decimas colligere.*
VII. *Ut Prælati negligentes non sint in promovendo passagio ultramarino.*
VIII. *De instauratione fabricæ, librorum, & ornamentorum.*
IX. *De Parochis institutis per alios, quàm Diœcesanos.*
X. *Ut casus in quibus incurritur excommunicatio, primâ Dominicâ mensis in Ecclesijs publicentur.*
XI. *Ut publicè exponantur casus, sedi Apostolicæ & Diœcesanis reservati.*
XII. *Ut rectores Ecclesiarum sint favorabiles ordinibus Mendicantium.*
XIII. *Ut hæc & alia Provincialia statuta publicentur.*

PRÆFATIO.

In MS. Bigot. * Ascédens.

* AScensurus ad Patrem Pastor æternus Dei filius, gregem proprij sanguinis effusione comparatum, per sanctos Apostolos, quorum in locum succedunt & vice funguntur Pontifices, voluit & decrevit protectione continuâ custodiri : ut Christianus populus ijsdem rectoribus gubernetur & observetur à noxijs, & ad salutaria dirigatur ; & quamvis sancti Patres multa statuerint salubria, quæ pro reformatione morum, in populo & in Clero, suis in temporibus videbantur posse sufficere : dierum tamen crescente malitiâ, nulla viris sanctis ad humanæ naturæ varietates & ejus machinationes inopinabiles, sufficit ad elucidandum ambiguitatem vel attingit,

Hac itaque consideratione, Nos Petrus miseratione divinâ Rotomagensis Archiepiscopus, ac eadem gratiâ Joannes Abrincensis, & G. Sagiensis personaliter; necnon G. Bajocensis, Guydo Lexoviensis, Gaufridus Ebroïcensis, & Guillelmus Constantiensis Episcopi, per procuratores * idoneè constitutos, in Provinciali Concilio, in Prioratu B. Mariæ de Prato juxta Rotomagum convocati & insimul congregati; vocatis etiam ad dictum Concilium tam Ecclesiarum Cathedralium Capitulis, quàm Abbatibus, Conventualibusque & Prioribus ordinum quorumcumque, necnon sæcularium aliquorum Collegiatorum Provinciæ Rotomagensis Capitulis per se & per Procuratores idoneos, præsentibus in Concilio memorato: ipso toto approbante Concilio, pro reformandis moribus præsertim in Clero; & pro relevandis, in quantum est nobis possibile ab oppressionibus, Ecclesijs, salvâ * semper in omnibus sedis Apostolicæ autoritate, infra scripta duximus statuenda.

* al. idoneos

*tamen

CAPITULA.

I



Rimo, quia plerumque Cathedralium Eclesiarum, & Collegiatarum, sæcularium & regularium Ecclesiarum personæ (quæ in puritate conscientiæ & animi devotione sacrificium laudis Altissimo, cujus utpote peculiaris populus sunt mancipati obsequijs, jugiter offerre deberent) sacra Missarum solemnia, aliasque horas Canonicas, transcurrendo & syncopando, variaque & otiosa, interdum inhonesta intermiscendo colloquia, & multipliciter alias indevotè psallere non verentur; tardè quoque ad Ecclesias conveniunt & ad Chorum; & inde absque causa rationabili, sed currendo potiùs post suas voluntates illicitas, non expletis divinis Officijs, discedendo: ideo statuit præsens Concilium, quòd constitutio super his edita in generali Concilio Viennensi, quæ sic incipit: *Gravi nimirum &c.* [idem Concilium præcipit] inviolabiliter observetur; & singula contenta in ea frequenter in Synodis, Capitulis, Kalendis, seu convocationibus, doceantur; & insuper in Cathedralium & Collegiatarum tam sæcularium, quàm regularium Ecclesiarum Capitulis recitentur, & intelligibiliter exponantur; & transgressores ipsius per Ordinarium, & alios superiores, sic rigidè, mediante justitiâ, puniantur, quòd, etsi non * amoris virtutis, saltem pœnæ formidine, inducantur ad impendendum cordis & labiorum suorum Altissimo gratum fructum.

*amore virtutis

II.

Rursus quia personæ Ecclesiasticæ, præsertim curam ani-

marum habentes (quæ ſicut alijs præſunt ; ſic præ illis exemplari vitâ præfulgere deberent operibus * virtuoſis) in multis * hujuſmodi Provinciæ partibus, quod dolenter referimus, in ſtatu, geſtu, & habitu, ſic diſſolutè & inhoneſtè incedunt, quòd non ſolum in Clericali, ſed potiùs ſæculari videntur militia mancipari plerique ; quæ procul dubio Majeſtatem divinam non mediocriter offendunt, qui ſic vitam inhoneſtam ducunt, & ultra modum diſſolutam, quo immaculata Dei ſancta mater Eccleſia contemptibilis redditur, qui tales illo pernicioſo exemplo multos pertrahunt * in ruinam : ideo ſtatuit præſens Concilium, quòd conſtitutio ſuper ijs, in Provinciali Concilio, in eodem Prioratu de Prato, necnon & omnes aliæ conſtitutiones in dicto Provinciali Concilio editæ, quæ incipiunt : *Non debent irreprehenſibiliter judicari*, quas omnes & ſingulas præſens Concilium approbavit & etiam innovavit, & quæ in Synodis, Capitulis, convocationibus Decanatuum frequenter recitentur, & intelligibiliter exponantur ; & tranſgreſſores ipſarum per locorum Diœceſanos & alios ſuperiores ſic rigidè mediante juſtitiâ puniantur, quòd cedat ceteris in exemplum ; & ſi ſe reddant incorrigibiles in præmiſſis, quòd à corpore Cleri tamquam membra inutilia abſcindantur, prout ordo popoſcit rationis, loco eorum viris idoneis & Deum timentibus ſubrogatis.

[Margin: * al. virtutis; * hujus; * ad]

III.

Quia etiam in præſenti Concilio relatum eſt, quòd in pleriſque hujuſmodi Provinciæ partibus conſtitutio generalis Concilij Viennenſis, quæ incipit : *Ne in agro Dominico &c.* contemnitur ; Monachi etiam diſſolutè & inhoneſtè per patriam pervagantur, publicè arma portantes cum habitu * nimium breviato, nodato, ſtricto, & alijs quàm plurimùm indecenter ornato : ideo ſtatuit præſens Concilium quòd dicta conſtitutio generalis Concilij, & omnia contenta in ea, cum diligentia obſerventur ; & tranſgreſſores omnes per illos ad quos pertinebit rigidè puniantur ; & Abbas ac Priores ijs quæ ad eorum pertinebunt officium illos quos * reperient incorrigibiles in præmiſſis, Diœceſanis aut eorum Vicarijs habeant denotare, ut per eorum providentiam malo occurratur.

[Margin: * nimirum; * repererint]

IV.

Præſenti quoque Concilio reprobatum eſt quòd * ij qui inſtituuntur in Capellanijs perpetuis fundatis per teſtatores & alios

[Margin: * ſi]

Chriſti fideles, plerumque in illis non deſerviunt, nec faciunt deſervire; atque perceptis, & frequenter in malis uſibus, conſumptis fructibus & proventibus, earumdem libros & ornamenta diſtrahunt, & conſumunt, illos & eorum domos pro derelictis dimittunt; ex quibus inter cetera illa ſequuntur inconvenientia, quòd & earum fundatores ſuo fraudantur deſiderio, & alij Chriſti fideles à fundatione conſimiliter retrahuntur. Et ideo ſtatuit præſens Concilium, quòd locorum ordinarij & alij ad quos pertinebit ad corrigendum hæc & ſimilia diligenter intendant, & ad impendendum debitum obſequium per ſubminiſtrationem beneficiorum hujuſmodi, & alijs juris remedijs, ipſos compellere non poſtponant.

V.

Ceterùm quia plerumque Eccleſiarum Patroni ad Eccleſias & alia bona Eccleſiaſtica præſentant pro pecunia, vel pro alio illicito commodo vel emolumento, odibile Deo crimen Simoniæ committendo; ideo præſens Concilium conſtitutionem Synodalem in quibuſdam partibus Provinciæ præſentis, ſuper his editam ad totam Provinciam extendendo, ſtatuit quòd hoc de cetero prohibeatur fieri: & qui de cetero contrarium fecerit, tam dans quàm permittens, aut recipiens ſub quovis colore quęſito, poſt monitionem etiam generalem, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto; à qua non poterunt abſolvi præterquam in mortis articulo, niſi per Diœceſanos ſeu illos quibus ſpecialiter id duxerint committendum, & inſuper plenariâ reſtitutione factâ de eo omni, quod occaſione eorum fuerit ante receptum, quod per manus Diœceſanorum in pios uſus decrevit præſens Concilium convertendum.

VI.

Ex frequentibus quoque perſonarum Eccleſiaſticarum querelis ſignificatum eſt præſenti Concilio, quòd plerique qui nomen Domini in vanum recipere non verentur, viris ſæpè Eccleſiaſticis multas inferunt moleſtias, ipſos contra ſacrorum Canonum præcepta impediendo, ac minis & coloribus quæſitis multipliciter perturbando, quominus decimas quas percipere conſueverunt*, poſſint per ſe vel per alios colligere, & ubi voluerint cum quadrigis ſeu animalibus, aut alijs deportare. Ideo præſens Concilium talia de cetero fieri prohibuit, ſtatuendo, ut talia facientes & fieri facientes, niſi requiſiti deſiſtant, & omne

*al. cõſuevimus

impedimentum ſine difficultate amoveant, poſt monitionem etiam generalem, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, à qua non abſolvantur, niſi prout ſuperiùs de alijs eſt expreſſum. Et idem etiam ſtatuit de decimis novalium quæ ad ipſos pertinent, ſeu impoſterum pertinebunt.

VII.

Item quòd Eccleſiarum Prælati, Capitula, & Eccleſiarum Rectores in promotione inſtantis ſancti ultramarini paſſagij, quod Dominus Rex Francorum aſſumpſit, ſe reddant plerique modo negligentes, non celebrando Miſſas pro proſecutione ſancti ejuſdem paſſagij, per ſedem Apoſtolicam ſeptimanis ſingulis ad celebrandum deputatas, neque populum ad orandum & ſubveniendum, prout per Apoſtolicas literas injunctum eſt, exhortando. Ideo præcipit * diſtinctè idem Concilium, quòd in præmiſſis diligenter de cetero curam adhibeant, ſi Dei & ipſius ſedis Apoſtolicæ effugere voluerint ultionem, exponendo pronis * & indulgentias conceſſas ipſo ſancto paſſagio, & ſuper hoc ſæpiùs prædicando per ſe vel per alios, & ad ſubveniendum ſalutaribus monitis exhortando. Legata quoque donata, & alia emolumenta, quæ ex ordinatione Apoſtolica debent dicto ſancto paſſagio applicari, ſollicitè, fideliter & curiosè exigere non poſtponant alia omnia dictum paſſagium *continentia, juxta literarum Apoſtolicarum ſuper hoc directarum continentiam & tenorem.

[Margin: * diſtrictè — * al. pœnas — *f. concernentia]

VIII.

Conſtitutionem ſuper reparatione cancellorum & librorum aliàs in Provinciali Concilio* editam, quæ incipit: Statuimus quòd
,, Abbates, & Priores, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ quæ percipiunt majores decimas in Eccleſijs Parochialibus, compellantur ad reſtaurandam fabricam, libros & ornamenta pro * rata pro qua percipiuntur in eiſdem, juxta tamen conſuetudinem & uſum hactenus obſervatum. Declarando: Statuit præſens Concilium, quòd quotiens alicujus cancelli imminebit reparatio facienda, ſi ſit pecunia vel theſaurus penes Theſaurarios Eccleſiæ vel quoſcumque alios, ante omnia in reparatione hujuſmodi expendantur. Si autem non ſit theſaurus, & ſuper hoc ſit aliqua conſuetudo introducta ſervetur, dummodo ſit debitè & legitimè introducta. Si non ſit pecunia vel theſaurus, nec conſuetudo legitimè introducta: ij qui recipiunt groſſas decimas, pro partibus * quas recipiunt, ad reparationem hujuſmodi teneantur.

[Margin: *p. 274 Can. 8. — *retenta quã percipiũt in eiſdem — * al. quibus]

neantur. Et quia causæ hujusmodi celeritatem desiderant, procedatur summariè & de plano, ac sine strepitu, & judicij figura. Nihilominus statuentes quòd quando cito de cetero imminebit reparatio facienda, ad manus Diœcesanorum ponantur, arrestentur & teneantur; Et quicumque de cetero post hujusmodi arrestum scienter dictas decimas capere, seu de loco ad locum transferre præsumpserint, seu capi & arrestari mandaverint aut procuraverint; nisi infra quindecim dierum spatium bona hujusmodi fuerint restituta, vel satisfactio pro eis impensa: post monitionem generalem, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, à qua non poterunt absolvi, nisi prout de alijs expressum est superiùs, restitutioneque priùs factâ de ablatis.

IX.

Porro quia aliqui plerumque in Parochialibus Ecclesijs instituuntur per alios quàm per Diœcesanos, * seu autoritatem ipsorum: Statuit idem Concilium quòd quotiens aliquem sic de cetero continget institui, idem institutus infra quadraginta dies à tempore corporaliter adeptæ possessionis coram Diœcesano seu ejus Vicario cõparere personaliter tenebitur fidem facturus *debitè de titulo, si quem habet in beneficio sic adepto, ac præstiturus Diœcesano de & super obedientia, fidelitate & residentiâ, & alijs consuetis debitum & solitum juramentum, & ad hoc per locorum Decanos statim elapsis dictis quadraginta diebus, per captionem & detentionem fructuum & proventuum Ecclesiæ compellantur.

*al. sine autoritate

* debitam

X.

Quia verò in multis articulis varijsque de causis excommunicationis sententiæ tam sacrorum Canonum, quàm Provincialium & Synodalium constitutionum autoritate prolatæ sunt, quas plerumque laïci & ignari incurrunt ob hoc quia constitutiones hujusmodi minimè publicantur, non sine multis periculis animarum: Statuit præsens Concilium quòd quilibet Diœcesanus in sua Synodo casus de quibus ipsis videbitur, per quos quis Generalium, Provincialium, vel Synodalium constitutionum autoritate potest excommunicationis sententiam incurrere, quovis modo diligenter exponat, & inter * constitutiones Synodales inseri faciat & conscribi, & Provincialibus Presbyteris injungat ut receptâ earumdem copiâ, hanc diligenter & intelligibiliter linguâ maternâ exponant in suis Ecclesijs primâ Dominicâ cujuslibet mensis, ne populus subditus in causam crass-

* consuetudines

ſæ ignorantiæ & ſupinæ in ſuarum animarum periculum pro-labatur.

XI.

Quia etiam plerique religioſi excommunicatos à Canone, præterquam in caſibus à jure permiſſis, aliqui etiam ſæculares ſicut fide digna tenet aſſertio, à peccatis quæ ſibi in foro pœnitentiæ aperiuntur frequenter abſolvunt, etiam in caſibus ſedi Apoſtolicæ & Diœceſanis ſpecialiter reſervatis, in hoc graviter delinquendo, & confitentes hujuſmodi decipiendo, qui ſe, cùm tamen non ſint, reputant à dictis omnibus abſolutos. Necnon religioſi aliqui excommunicatos à Canone (præterquam in caſibus à jure permiſſis, vel per privilegia eiſdem conceſſa) vel à ſententijs quæ per ſtatuta Provincialia aut Synodalia promulgantur, aut à pœna & culpa abſolvunt excommunicationis, autoritate conſtitutionis generalis Concilij Viennenſis, incurrendo ſententiam ipſo facto, ſeque & decipiendo populum Catholicum, non ſine gravibus periculis animarum. Ideo ſtatuit præſens Concilium quòd ſinguli Diœceſani in ſuis Synodis, & Decani in ſuis Capitulis ſeu Kalendis exponant caſus dictæ ſedi Apoſtolicæ & Diœceſanis ſpecialiter reſervatos, populum inſtruendo quòd de præmiſſis abſolvi non poſſunt, niſi per Diœceſanos aut eorum Pœnitentiarios, vel illos quibus hoc ſpecialiter dicti Diœceſani duxerint concedendum. Et ſi aliqui religioſi vel ſæculares aſſerant ſibi poteſtatem in dictis caſibus per Diœceſanum fuiſſe conceſſam, de ipſa antequam eâ utantur in aliqua Parochia, teneantur Curato illius Parochiæ per literas poteſtatem hujuſmodi continentes facere promptam fidem; quas literas præcipimus gratis eis exhiberi.

XII.

Eoſdem tamen Parochialium Eccleſiarum rectores, aliaſque perſonas Eccleſiaſticas Provinciæ memoratæ in Domino exhortamur, ut Fratres Prædicatores, Minores, & aliorum mendicantium ordinum, cùm ad eorum loca & Monaſteria acceſſerint, ipſis ſe exhibeant favorabiles & benignos.

XIII.

Præcipit quoque idem Concilium, quòd omnes Diœceſani copiam hujuſmodi conſtitutionum & aliorum Provincialium Conciliorum recipiant, & in ſuis Synodis frequenter publicare procurent, & ea in ſuis civitatibus & Diœceſibus faciant firmiter obſervari.

Actum in Provinciali Concilio, loco prædicto, die Lunæ poſt Nativitatem beatæ Mariæ Virginis, cum continuatione dierum aliorum. Anno Domini 1335.

64. AIMERICUS Guenent, ex Ecclesia Altissiodorensi ad Rotomagensem translatus A. C. 1338. 15. Kal. Martij. Possessionem init per Vicarios, Sabbatho sancto Paschæ sequentis. Obijt apud Pintarvillam 1342. 16 Kal. Februarij. Sepultus est in Ecclesia Cathedrali.

65. NICOLAUS Rogerij, Clementis 6. patruus, Abbas Gratiæ, infulas inijt A. C. 1341. Obijt Avenione 1347. Feria 3. infra Octavam Pschæ.

66. JOANNES III. de Marigniaco, Philippi filius, Ingeramni. & Philippi Senonensis Archiepiscopi frater, ex Cantore Parisiensi Episcopus Bellovacensis, inde ad Ecclesiam Rotomagensem translatus A. C. 1347. circa Festum S. Joannis Baptistæ, in ea recipitur 14. Kal. Decemb. Obijt 1351. 7. Kal. Januarij. Jacet in Ecclesia Scojensi.

67. PETRUS IV. de Foresta, Susæ in Cœnomanensi Diœcesi natus, ex Monacho & Abbate S. Dionysij, Tornacensis Episcopus, inde Parisiensis, Joannis primùm Normaniæ Ducis, postea Francorum Regis Cancellarius, tum Archiepiscopus Rotomagensis, postremò creatur Cardinalis ab Innocentio 6. A. C. 1356. mense Decembri. Obijt Avenione 1361. 5. Kal. Julij.

68. GUILLELMUS IV. de Flavacuria, cognomento 2. ex primi familia, patre item Guillelmo, primùm Episcopus Vivariensis, deinde Carcassonensis, tum Archiepiscopus Auscienis, posteà Rotomagensis A. C. 1356. Obijt 1359. Kal. Maij.

DIPLOMA PRO NEMORIBUS DEVILLÆ concessum Guillelmo IV. *de Flavacour*. Anno 1357.

Ex Archivo Archiepiscopali

KAROLUS Regis Franciæ primogenitus & ejus locum tenens, Dux Normaniæ & Delphinus Viennensis. Notum facimus universis præsentibus & futuris, quòd nos vidimus literas inclitæ recordationis Beati Ludovici quondam Francorum Regis, quarum tenor sequitur & est talis. Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex notum facimus quòd pro usuagio &c. quibus quidem literis attentè visis, dilectus & fidelis Consiliarius noster Guillelmus nunc Rotomagensis Archiepiscopus, nobis conquerendo monstravit, quòd licet centum sex acras in literis suprascriptis declaratas, assignatas ut præmittitur pro usagio memorato, quæ fuerunt & sunt reductæ ad modum nemoris, naturam & conditionem ejusdem usagij, capere debet & sortiri. Nihilominus tamen præmissis nonobstantibus, adeo fuerunt & sunt dissipatæ & damnificatæ tempore Regaliarum, quæ novissimè & alijs temporibus præteritis in dicto Archiepiscopatu acciderunt per regaliatores vel dictæ Regaliæ receptores, quòd per expletationem hujusmodi Regaliæ eædem acræ nemoris cito efficerentur inutiles penitus & desertæ, quamquam in eis Regalia minimè debeat exerceri, cùm in loco & pro permutatione dicti usagij, quod tam de jure quàm etiam de ratione & æquitate Regaliam non debebat, fuerint assignatæ, ut præfertur. Supplicans idem Archiepiscopus per nos sibi super hæc de remedio provideri. Nos verò præmissis diligenter attentis, ac jura Ecclesiæ nequaquam diminui volentes, sed potiùs augmentari de nostra speciali gratia ac autoritate Regia quâ fungimur, literas dicti B. Ludovici ampliando, declaramus per præsentes pro dicto Archiepiscopo & ejus successoribus, quòd in dictis centum sex acris nemoris, Regalia de cetero nullatenus exerceatur, nisi idem Archiepiscopus aut ejus successores in dictis acris seu nemore ventam, seu ventas ordinaverint faciendas; quo casu

Regalia levabitur & explectabitur modo & formâ quibus Archiepiſcopus uteretur ſi tunc viveret, ſeu præſens eſſet. inhibendo quibuſcumque regaliatoribus ſeu Regaliæ receptoribus deputandis, temporibus affuturis ne eiſdem acris Regaliam exercere de cetero præſumant quoviſmodo. Quod ut firmum & ſtabile perpetuò preſerveret has præſentes literas ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri, ſalvo in alijs jure noſtro, & in omnibus quolibet alieno. Datum Pariſijs anno Domini 1357. menſe Januarij.

---

69. PHILIPPUS DE ALENTIONE, Caroli 2. Comitis Alentionis, & Mariæ de Lacerda Hiſpanæ filius, Bellovaco Rotomagum tranſlatus A. C. 1359. Eccleſiaſticam libertatem contra ſæculares egregiè propugnavit. Extat ad eum in Archivo Archiepiſcopali Urbani V. Bulla pro confirmatione Statutorum Capituli, quæ incipit: *Ijs quæ pro divini &c.* data anno 1365. Dimiſſo Archiepiſcopatu 1375. Auſcienſis Eccleſiæ adminiſtrationem accepit à Gregorio 11. Fuit Patriarcha Jeroſolymitanus. Creatus eſt Cardinalis Patriarcha Aquileienſis ab Urbano VI. cujus vices geſſit in patrimonio S. Petri. Obijt Romæ Epiſcopus Oſtienſis anno 1397. 18. Kal. Septembris, non ſine ſanctitatis & miraculorum opinione. Jacet ibidem ad S. Mariam trans Tiberim.

70. PETRUS V. INDICIS, Gregorij II. conſobrinus A. C. 1375. è Narbonenſi Eccleſia transfertur ad Rotomagenſem 16 Kal. Septemb. Recipitur in Capitulo per Vicarium 7. Idus Octob. Creatur Cardinalis 13. Kalend. Januarij. Moritur Piſis anno ſequenti 3. Nonas Novembris.

71. GUILLELMUS V. DE LESTRANGIJS, Lemovix, Apoſtolicæ Sedis Nuntius, Metropoli præficitur A. C. 1375. 11. Kal. Januarij. Moritur Gallione 1388. 5. Idus Martij. Jacet in Cartuſia ſuburbana S. Mariæ de Roſa ab eo ædificata 1385.

72 GUILLELMUS VI. DE VIENNA, Monachus, Abbas S. Martini Æduenſis, poſteà Epiſcopus Bellovacenſis, inde à Clemente VII. Pſeudopapa Rotomagum translatus A. C. 1388. 4. Kal. Aprilis, obijt Pariſijs 1408. 12. Kal. Martij.

73. LUDOVICUS I. DE HARICURIA, Joannis III. Comitis Haricuriæ, & Catharinæ Borboniæ filius, poſtulatur in Archiepiſcopum à Capitulo A. C. 1406. Feriâ 6. ante Ramos palmarum, 15. kal. Aprilis. Æmulum patitur Joannem de Armeniaco Auſcienſem Archiepiſcopum. Confirmatur autoritate Concilij Eccleſiæ Gallicanæ, pendente neutralitate 1408. Recipitur per procuratorem eodem anno, 17. Kal. Februarij, ſolemniter verò 1415. 3. Id. Octob. Eo ſedente Henricus 5. Angliæ Rex Rotomagum diuturnâ 6. menſium obſidione domat, 1418. universámque ferè Normaniam occupat. Moritur 1422.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Hi ſunt caſus de quibus Sacerdos Curatus non poteſt abſolvere ſubditos ſuos, & de quibus debet eos remittere ad Domnum Papam, vel ad Archiepiſcopum, vel ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem, aut ad fratres, ſeu ad alios Pœnitentiarios per Diœceſim in Decanatibus conſtitutos, traditi per Magiſtrum Hugonem de Calençone Cantorem, Claromontenſem utriuſque juris Doctorem, in Synodo Pentecoſtes quam ipſe Rotomagi celebravit anno Domini 1415.

CUM nonnulli Curati Diœceſis Rotomagenſis, necnon & alij per ignorantiam interdum pœnitentes abſolvant in caſibus Domino Ar-

chiepiſcopo ac etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, falcem ſuam in alienam meſſem mittentes, ne de cetero iſtud fiat, quod cùm ſit materia cunctorum errorum, in Sacerdotibus maximè evitanda, qui docendi Officium in Dei populo ſuſceperunt onus. Scire volumus univerſos Curatos caſus, de quibus ad Dominum Archiepiſcopum, vel ad ejus Pœnitentiarios, vel ad Sedem Apoſtolicā debent remittere pœnitentes, ut ipſi ſciant de alijs abſolvere poſſe ſubjectos.

Debent igitur remittere ad Dominum Archiepiſcopum, vel ad ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem, de inceſtu majori patris cum filia, non tantùm carnali, ſed etiam ſpirituali: filij cum matre, fratris cum ſorore. Item de homicidio * voluntario, item de gravi injectione manuum in parentes; Item de levi injectione manuum in Clericos & Religioſas perſonas, item de atroci injectione manuum in pueros infra annos puberes conſtitutos, & alias miſerabiles perſonas. Item de violenta fractione Eccleſiarum; Item de tractione violentâ & ſanguinis effuſione in Eccleſijs & Cœmeterijs. Item de incendiarijs, & vaſtatoribus publicis ſegetum. Item de vitio contra naturam majori, item de clandeſtino matrimonio. Item ſi in ſacramento Altaris quid inordinatum acciderit; Item de ſacrilegis Sacramentorum Eccleſiæ, & qui malitioſè procuraverint abortivum; & qui ad conjungendum falſa matrimonia, vel disjungendum, vel exhæredandum aliquem, deponunt ſcienter teſtimonia falſitatis. Si ſint per Dominum Archiepiſcopum in præceptis Synodalibus excommunicati, ad eumdem ſunt remittendi, vel ad ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem, & generaliter omnes qui talia commiſerunt delicta, propter quæ ipſi ſunt Archiepiſcopi ſententijs innodati; Et non poſſunt abſolvi de peccato, donec fuerint ab illis ſententijs abſoluti.

* al. voluntatis,

Item excommunicati à Canone, quorum abſolutio non eſt per Canonem Sedi Apoſtolicæ reſervata. Item falſarij literarum Domini Archiepiſcopi & Curiarum ſuarum Item qui in præſentia Domini Archiepiſcopi, vel Officialis, ſeu Vicariorum ſuorum perjurium incurrerunt. Item fractores votorum. Item irregulares, & quibus ſolemnis & publica pœnitentia eſt injuncta, & qui votum emiſerint, volentes pro hujuſcemodi diſpenſari, ſunt ad Dominum Archiepiſcopum, vel ad ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem remittendi, ut eis in caſu à jure permiſſo diſpenſetur, ſi velint, vel aliter eis provideant ipſos ad ſedem Apoſtolicam remittendo, ſecundum quod eis videbitur expedire. Ubi autem Pœnitentiarius Domini Archiepiſcopi dubitaverit an abſolvere poſſit, ſemper in dubio remittere debet ad Dominum Archiepiſcopum, vel ad ejus Vicarios.

Ad fratres autem & alios Pœnitentiarios per Diœceſim in Decanatibus conſtitutos debent remittere de inceſtu majori ſcilicet in tertio & quarto gradibus. Item de homicidio caſuali. Item de mutatione voti unius diei in aliam diem ex cauſa rationabili. Item de perjurio & fide mentita coram quocumque judice & quacumque ex cauſa, exceptis ſupra nominatis caſibus, ex quibus ad Dominum Archiepiſcopum vel ad ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem dictum eſt quòd eſt remiſſio facienda. Item de ſacrilegis, & blaſphemiis notorijs & publicis. Item de corruptione Monialium & virginum, de vitio contra naturam majori, de abutentibus lite-

ris Apoſtolicis, Domini Archiepiſcopi & curiarum ſuarum. Item de levi injectione manuum in Clericos & religioſas perſonas, ſi injicientes fuerint infra annos puberes conſtituti.

Ad ſedem Apoſtolicam ſunt mittendi qui graviter percutiunt Clericum vel converſum non Clericum, vel eam quamcumque aliam perſonam religioſam cujuſcumque ſexûs exiſtat. Certi tamen caſus excipiuntur ab hac regula, qui continentur in verſibus qui ſequuntur, & quos ponit Hoſtienſis.

Regula, mors, hoſtis, ſexus, puer, officialis,
Delicioſus, inopsque, ſenex, ægerque, ſodalis,
Janitor aſtrictus, dubius cauſæ, levis ictus,
Debiles abſolvi ſine ſumma ſede merentur.

Atroces verò injectiones ſolùm Papæ remittuntur; & ubi Curatus dubitabit an injiciens manum in Clericum, ſit una de perſonis in iſtis verſibus comprehenſis; & per conſequens per Dominum Archiepiſcopum vel ejus Pœnitentiarium in matre Eccleſia reſidentem poſſit abſolvi, remittat ſemper in dubio ad præfatum Dominum Archiepiſcopum vel ejus Vicarios, qui diſcernent an per eos abſolvi poſſit, aut ad Apoſtolicam ſedem mittendus eſt. Et ſciendum quod idem eſt cenſendum pro quolibet peccato, pro quo eſt excommunicatus; & non poteſt, niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvi, quod eſt ſcilicet ad Apoſtolicam Sedem mittendus, cùm de peccato non poſſit abſolvi, quin fuerit ab hujuſmodi ſententijs abſolutus. Item effractores & incendiarij Eccleſiarum, poſtquam fuerint per Eccleſiæ ſententiam publicati. Item qui communicaverunt in divinis ſcienter excommunicato à Domino Papa. Item falſarij literarum Domini Papæ. Item illi qui committunt homicidium in Clericum & aliam perſonam Eccleſiaſticam, vel alia peccata enormia nominanda, & generaliter Curatus debet ubicumque dubitat ſemper ad Dominum Archiepiſcopum vel ejus Pœnitentiarium remittere pœnitentes.

Et de omnibus iſtis & alijs peccatis poteſt ſimplex abſolvere in articulo mortis ſub tali conditione, quòd ſi evadat, petet abſolutionem ſuam ubi debet petere, Et tunc ſi evadat & non petat, abſolutus eſt ab illo gravi peccato, ſed incurrit peccatum inobedientiæ quod eſt gravius. Item difficile eſt exprimere omnes caſus, de quibus hìc magis expedit tacere quàm loqui.

Et ſciendum eſt quòd ſi aliqui accidant qui graviores veriſimiliter videantur quàm illi de quibus ſuprà dictum eſt: de eis eſt Domino Archiepiſcopo remiſſio facienda, & debet diſcretus Sacerdos remittere pœnitentes ad Archiepiſcopum, quamvis caſum hìc non inveniat nominatum expreſsè; & idem eſt cenſendum de alijs, de quibus dictum eſt quòd eſt remiſſio facienda.

Sententia lata per dictum Cantorem in omnes illos qui ad hanc præſentem ſacram Synodum impedimento ceſſante legitimo non venerunt, vel qui ita non venerunt ſicut debuerunt, excommunicationis ſententiam in his ſcriptis incurrerunt. Item illos, qui venerunt & non fuerunt eodem modo quo debuerunt, contumaces reputamus.

74. JOANNES IV. DE RUPE-SCISSA, *de la Roche-taillée*, Patriarcha Constantinopolitanus, postulatur Anno C. 1422. 3. Nonas Febr. Recipitur 1423. per procuratorem 5. Kal. Oct. solenniter. 11 Kal. Novemb. Parisiensem Ecclesiam administrat. Præsidet Nationi Gallicanæ in Concilio Senensi 1423. Creatur à Martino 5. Cardinalis tit. S. Laurentij in Lucina cum facultate retinendi Archiepiscopatum, 1426. repugnante Capitulo. Transfertur ab eodem Martino Vesuntionem 1426. mense Octob. Moritur 1436. 10. Kal. Aprilis

75. HUGO IV. DE ORGIJS, ex Cabilonensi Ecclesia ad Rotomagensem transfertur A. C. 1430. exeunte, 14. Kal. Febr. Recipitur per procuratorem A. C. 1431. pridie Idus Aprilis. Solemnem possessionem inijt 1432. 11. Kal. Septembr. Mortuus Basileæ in Concilio 1436. 14. Kal. Septembris, ibidem sepelitur ad S. Petrum.

EPISTOLA ROTOMAGENSIUM ad Concilium Basileense.

Reverendissimis & honoratissimis ac metuendissimis Patribus sacrosanctam Synodum Ecclesiam universalem repræsentantem Basileæ tenentibus, humiles vestri filiali subjectione subditi Consules & Cives Civitatis Rotomagensis.

REVERENDISSIMI ac honoratissimi, ac in timore Domini sancto Reverendissimi Patres, Considerantes apud nos nihil esse quod adeo indignationem provocet Altissimi sicut ingratitudo; ipsa enim est provocatio malorum, beneficiorum exinanitio, & extinctio meritorum: quapropter miserationum, quas in Ecclesia sancti Audoëni Rotomagensis per literas vestras magnificastis, pro qua vicibus repetitis ausi fuimus sanctitatis vestræ congregationis dudum rescribere, jugem habentes firmamque memoriam; nolentes insuper illud Judaïcum in nobis notari opprobrium: *Non* Psal.77. *fuerunt* (inquit) *memores beneficiorum ejus, & mirabilium quæ ostendit eis*; per præsentes literas nostras, & pro modulo nostro benedicimus Deum cœli, qui per ministerium vestrum faciens misericordiam, de pulvere tribulationis & sordibus litigiosæ captivitatis erigit egenum, ut cum principibus Ecclesiæ suæ sedeat, & solium gloriæ inter vos, Reverendissimi Patres, rejectâ omni confusione teneat. Quinimo eædem literæ vestræ ab ingenti diuturnaque, & difficili narratu præfatæ Ecclesiæ sancti Audoëni ruina, quam pro discordia & concursu guerrarum æstimamus potissimè contigisse, resurgendi primitias præstant non modicas. Namque lapsos erigunt, vagos congregant, & revocant aberrantes. Quamobrem non quas debemus sanctitati vestræ congregationis, sed quas valemus & scimus, gratiarum referimus actiones; nosipsos & quæque nostra sunt, in obsequium vestrarum paternitatum filialiter offerentes. Cumque novella sit hujusmodi plantatio pacis in dicta Ecclesia, & quietis; plantæ verò quæ nondum terræ radicibus adhæserunt, suspectam habent tyrannidem; ac * borealem, & ventorum fortiores nequeunt tolerare excursus, sic ut paci & quieti præfatæ Ecclesiæ vigilantiùs oporteat provideri: idcirco Reverendissimi ac metuendissimi Patres, humiliùs quàm possumus, vestris Reverendissimis paternitatibus sup-

* forté borealium ventorum

plicamus, quatenus hujus Ecclesiæ pacem & quietem, jam per vos plusquam ad medium perductam, dignemini rejectâ omni æmulorum dissensione ad perfectum usque perducere, auxiliante vobis sanctitatis vestræ congregationis autore & conservatore Spiritu sancto, qui cum Patre & Filio vivit unus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Datum Rotomagi die 18. mensis Julij, Anno millesimo trigesimo quarto.

---

76 LUDOVICUS II. DE LUTCEMBURGO, Ioannis ex Margarita *de Enghien* filius, Regni sub Henrico 6. Angliæ Rege Cancellarius, postulatus A. C. 1436. 14. Kal. Novemb. ab Eugenio 4. transfertur ex Ecclesia Morinensi ad Rotomagensem, cujus Canonicus fuerat. Recipitur anno sequenti, per procuratorem 3. Idus Aprilis, præsens 5. Idus Augusti. Creatur Cardinalis ab Eodem Eugenio Florentiæ 1439. 14. Kalend. Januarij. Mortuus in Anglia 1443. 14. Kalend. Octobris, sepelitur in Ecclesia Eliensi, cui Commendæ jure præerat.

77. RADULPHUS ROUSSEL, Ecclesiæ Canonicus & Thesaurarius, eligitur anno Christi 1443. pridie Nonas Decembris. Consecratur in Ecclesia S. Audoëni 1444. 7. Kal. Augusti. Concilium Rotomagi celebrat 1445. mense Novemb. Ejus in primis operâ civitas Carolo 7. legitimo Regi deditur 1449. 14. Kal. Nov. Moritur 1452. pridie Kalend. Januarij. Jacet in Capella beatæ Mariæ.



CONCILIUM ROTOMAGENSE

à Reverendissimo in Christo Patre RADULPHO, Rotomagensium Archiepiscopo, celebratum anno 1445.

PRÆFATIO.

RADULPHUS *miseratione divinâ Rotomagensis Archiepiscopus, Vniversis & singulis Christi fidelibus per totam nostram Provinciam constitutis, præsentes inspecturis, visuris, lecturis, & audituris, salutem & curam in Domino Iesu Christo.*

CUM ad laudem & gloriam omnipotentis semperque viventis Dei, hoc in tempore in unum pro Provinciali Synodo celebrando convenissemus, Primùm ad ea meritò cõversi sumus quæ totius spiritualis nostri ædificij summum fundamentum conspiciunt, Fidem, sine qua impossibile est placere Deo; est enim lumen nostræ peregrinationis, quam qui deserunt per tenebras plurimorum errorum vagantur incerti, salutis obliti & æternæ promissionis immemores, à quibus longè aliena mens omnium Christianorum esse debet, ut intelligat in ea se quisque vivere qui ad perennem vitam cupit pervenire. Ab hac quosdam invenimus per ignorantiam alienos, alios per diversorum erro-

rum anfractus, plurimos per diversarum superstitionum & apostasiarum varia genera, & Diabolicas inventiones, plurimos etiam per corruptos mores & innumera vitia, quibus, proh dolor! totus fermè mundus implicatur. Quo fit ut Religio sancta & immaculata parum sit cultui & honori, ita ut miseri homines deducantur in interitum indeficientibus inferni pœnis cruciandi. Hinc est quòd nos veluti nostri Pastoralis officij exigit ratio, talibus morbis curam adhibere cupientes, quos decet toto mentis intuitu sollicitos fore, ne quid in ipsius nostræ fidei vergat detrimentum. Conformiter ad patrum nostrorum sacros Canones hoc sacro approbante Provinciali Concilio, ordinamus & præcipimus ab omnibus observari quæ sequuntur. Et primò.

CAPITULA.

I


PRÆCIPIT & mandat hæc sancta Synodus, quòd unusquisque fidelis fidem rectam quam sancta confitetur Ecclesia inconcussè teneat.

II.

Item damnat omnem sententiam extollentem se adversus simplicitatem & dignitatem fidei &c.

III.

Præterea damnat omnes libellos, seu quoscumque tractatus artium magicarum & divinaticarum. Et super hoc deinceps sollicitit sint Ordinarij per suas Diœceses inquirere, si qui sint tales libri, & ad se evocare.

IV.

Item statuit, quòd si quis contra Deum vel aliquem sanctorum suorum, & maximè beatam Virginem linguam in blasphemiam abnegando præsumpserit relaxare: per Episcopum suum pœnâ mulctetur annotatâ in Capitulo *Statuimus*, Rubricâ *de maledicis*.

V.

Item prohibet hæc sancta Synodus, ne quis per corpus, caput, sanguinem, aut membra Christi, seu virtutes, aut similia jurare præsumat; quòd si quis in hoc suo Creatore fuerit abusus, puniatur pœnâ arbitrariâ secundum qualitatem delicti, & assuefactionem delinquentis.

VI.

Item quòd si qui inventi fuerint invocatores dæmonum, & de hoc legitimè convicti, quemadmodum fieri solitum est publicè prædicentur cum mitra in signum perpetuæ infamiæ; qui si abjuraverint hujusmodi errorem, post peractam pœnitentiam

ad arbitrium Diœcesani poterunt misericorditer relaxari. Si verò * contumaciter in suo errore perseveraverint, si sint Clerici, degradati priùs perpetuò mancipentur carceribus: si verò laïci, relinquantur curiæ sæculari puniendi. De alijs autem sortilegis & alijs superstitiosis, puta carminatoribus, & brevia ad collum hominum & equorum seu alibi suspendentibus, ordinat hæc sancta Synodus, quòd pœnâ jejunij & carceris unius mensis puniantur pro prima vice; si verò perseveraverint, pœnâ graviori ad arbitrium Episcopi compescantur.

* al. pertinaciter

VII.

Item damnat modos illos qui videntur introducti gratiâ quæstûs, denominando imagines, utpote: *Nôtre-Dame de Recouvrance, Nôtre-Dame de Pitié, de Consolation, & de Grace, &c.* Nam talia sunt occasio superstitionis in multis, quasi sit plus aut minus in una imagine quàm in alia, abusores pœnâ arbitrariâ compescantur.

VIII.

Item ordinat quòd de cetero non admittantur aliqui ad sacros Ordines, nisi sint instructi expressè in articulis Fidei, præceptis Decalogi, Sacramentis Ecclesiæ, & quòd sciant distinguere inter peccata & peccata, & opera misericordiæ corporalia & spiritualia, & alia, prout convenit tanto Ordini; præsertim sæculares beneficiorum Curatorum capaces.

IX.

Item in grande obsequium Fidei, præcepit de cetero non admitti ad prædicandum verbum Dei ad populum regulares vel sæculares, nisi prius districtè examinati, & sufficientes reperti fuerint per Episcopos aut eorum Vicarios.

X.

Item præcipit ipsa Synodus, quòd unusquisque Parochianus habeat semel in anno omnia peccata sua confiteri proprio Sacerdoti, & ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum reverenter suscipere, juxta Decretum: *Omnis utriusque sexus*, & sub pœnis in ea contentis.

XI.

Item & ut honestè ac sanctè Creatori nostro serviatur, prohibet hæc sancta Synodus ludos qui fatuorum vulgariter nuncupantur, cum larvatis faciebus, & aliàs inhonestè fieri in Ecclesijs, aut Cœmeterijs; cùm tales ludi honestatem Ecclesiasticam deturpent, omnes & singulos qui secus habere præsumerent ex-

communicationis ſententiæ ſubjiciens, ac ſtatuens quòd ſi dicti præſumptores diſtributiones aliquas in eiſdem Eccleſijs percipere ſint ſoliti, illas per tres menſes ſequentes perdant, quæ inter alios honeſtos Choriales dividantur.

XII.

Item quòd pro ſacris Ordinibus miniſtrandis & literis inde conficiendis, pro ſacramento Confirmationis, & benedictionibus veſtimentorum & vaſorum Eccleſiaſticorum nihil recipiatur, & pro delatione Corporis Chriſti indigentibus nihil exigat lator ſeu miniſter; ſed piæ & laudabiles patriæ conſuetudines obſerventur.

XIII.

Item collatores ſcholarum ſcholas ipſas perſonis ætate, ſciētiâ & moribus probatis committant, & liberaliter ac ſine exactione concedātur.

XIV.

Item quòd beneficia Eccleſiaſtica perſonis idoneis & bene meritis tam ex parte Patronorum Eccleſiaſticorum & laïcorum, quàm Collatorum & Ordinariorum, liberaliter & abſque ulla illicita pactione conferantur, & ad illa præſentetur.

XV.

Item quòd promovendi ad ſacros Ordines Ordinario, aut ab eo deputandis examinatoribus tali tempore ſe præſentent, quòd ab illis bene & maturè poſſint examinari; Nec recipiant ad Ordines ipſos, niſi per examinationem ſufficientem & debitè factam reperiantur ætatis, & qualitatum aliarum, quas ſacri definiunt Canones.

XVI.

Item quòd ipſi promovendi habeant beneficium ſeu patrimonium, vel titulum verum, & non fictum à ſuis parentibus & propinquis ſine fraude, in quo ſi qui ſuos datores aut promotores circumvenerint, ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi.

XVII.

Item inhibet ipſa Synodus, quibuſcumque Sacerdotibus: ne pro Miſſis per eos celebrandis turpes aliquas pactiones faciant.

XVIII.

Item ordinat ipſa Synodus, quòd omnes Clerici in ſuis beneficijs juxta eorum fundationem habitibus decentibus reſideant; & præcipit Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, quòd ſaltem Dominicis diebus & alijs ſolemnibus Parochianos ſuos in fide & moribus inſtruant.

XIX.

Item monet eadem Synodus Archidiaconos ſuos Archidiaconatus perſonaliter viſitare : volentes quòd in Eccleſijs quas viſitabunt præſenti cum populo verbum Dei explicent, ſaltem in Parochijs ſolemnibus & magis populatis, ac cetera quæ ſuo incumbunt officio abſque dolo & fraude exequantur, & ſi fortè de licentia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ per procuratorem viſitare poſſint : pro ſuis viſitationibus faciendis tales deputent perſonas, quæ in omnibus & per omnia ipſorum Archidiaconorum vices debitè ſuppleant, ut in Cap. *Ad hæc*, de officijs Archidiaconorum ſpecialiùs declaratur.

XX.

Item cùm ebrietas ſit fomentum multorum malorum, & potiſſimè incentivum libidinis, quòd omnes & præſertim Eccleſiaſtici à crapula & ebrietate, mutuaque conſuetudine bibendi ad potus æquales abſtineant, ſub pœna per ſuos Ordinarios arbitranda : & quòd tabernas publicas & alia loca inhoneſta non frequentent, nec in domibus proprijs tabernas ſimiles faciant.

XXI.

Item ordinat ipſa Synodns, quòd ſi quis Clericus beneficiatus per menſem poſt publicationem præſentis ordinationis publicus concubinarius repertus fuerit, rigorosè per ſuum Ordinarium corripiatur ; & ſi poſt alium terminum qui ſibi pro ea abjicienda ſtatuetur non repulerit : ipſo facto fructus beneficiorum ſuorum perdat per tres menſes, qui ad utilitatem ipſorum beneficiorum applicabuntur ; quam ſi abundè retinuerit, omnibus ſuis beneficijs privetur, & aliàs Canonicè puniatur : ceteri autem tam Clerici, quàm laïci fornicatores & adulteri moneantur ut deinceps contineant, alioquin contra ipſos procedetur prout ipſorum exegerit culpa.

XXII.

Item inhibet ipſa Synodus omnibus in ſacris conſtitutis Ordinibus, ne mulieres aliquas, niſi de illis ſint, in quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari, ſecum teneant ; & quòd ipſi ſuos filios aut filias illegitimos in domo ſua non habeant, nec eis per eoſdem filios in Eccleſia ſerviatur.

XXIII.

Item ſtatuit eadem Synodus quòd locorum ordinarij ſuos moneant officiarios, ne nimium faciles ſint in conveniendis perſo-

nis ſuper exceſſibus eis impoſitis, & ne eos in pecuniarum exactione ultra condignum gravent.

XXIV.

Item quòd nullus citetur ex officio, niſi prius aliqualis præceſſerit informatio quæ Officiali loci oſtenſa fuerit, nec excommunicetur aliquis propter contumaciam, niſi in ſcriptis, aut aliàs legitimè conſtiterit quòd fuerit citatus, & literæ excommunicatoriæ Rectoribus Eccleſiarum infra menſem ad tardius præſententur.

XXV.

Item quòd ſine periculo animæ cum excommunicatis communicari non poteſt: prohibet ipſa Synodus omnibus ſuis ſubditis, ne cum excommunicatis quoquo modo participent in cibo, potu, colloquio, aut alijs commercijs; & in Eccleſijs Parochialibus Rectores in principio Miſſarum injungant publicè, quòd ſi ibi ſint excommunicati recedant.

XXVI.

Item prohibet ipſa Synodus quibuſcumque perſonis Catholicis, ne crimen uſurarum ſub quacumque palliatione aut colore, ſub pœnis in jure conceptis exerceant aut permittant, ac ſingulis perſonis Eccleſiaſticis etiam religioſis, ne mercatibus & negotijs ſæcularibus ſe implicent, & ne firmarum aut Dominorum temporalium ſint receptores, niſi aliqua juſta cauſa per ſuos Ordinarios cum eis diſpenſetur; & ulteriùs Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, qui in ſuis Eccleſijs reſidere, ac de eorum fructibus ſuſtentari poſſunt, ne alias Eccleſias aut decimas ad firmam recipiant.

XXVII.

Item inhibet omnibus Preſbyteris & Clericis, ne ſuos contractus in merè perſonalibus coram tabellione aut ſæculari judice paſſent ſeu paſſari procurent, & ne ſua corpora ſæculari poteſtati ſubmittant.

XXVIII.

Item ſtatuit Synodus quòd omnes voluntarij homicidæ, mutilatores, latrones publici, agricolarum & peregrinorum ſpoliatores, viarum inſidiatores, violatores, & incendiarij Eccleſiarum ipſo facto excommunicationem incurrant; qui ſi abſque pœnitentia & emenda debita (ſi potuerint) deceſſerint, Eccleſiaſticâ careant ſepulturâ: præcipiens omnibus Curatis & eorum Capellanis, quòd denuntient in ſuis Eccleſijs hujuſmodi Decretum primâ Dominicâ cujuſlibet menſis, & alijs diebus ſolemnibus.

XXIX.

Item cùm in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, ac pijs locis sæpe & sæpiùs nonnulli pro suis negotijs & causis prophanis tractandis, consulendis & decidendis, & aliàs otiosè inutiliter & vacabundè conveniant & discurrant, propter quod Servitium divinum, & Sermones qui inibi fieri soliti sunt in salutem animarum, in detrimentum quamplurimum impediuntur: hortatur, monet, & præcipit ipsa Synodus omnibus & singulis, quatinus de cetero à talibus abstineant, aliàs contra ipsos procedetur prout juris fuerit & rationis.

XXX.

Item cùm in sacratissima nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, qui pro nobis miseris peccatoribus venit in mundum ut nos proprio sanguine redimeret, maximè deceat viros Christianos salutaribus insistere, ac devotos esse, & ab his abstinere quæ minus abducunt à reverentia Creatoris: hortatur & monet hæc sancta Synodus omnes & singulos, quatinus ob reverentiam nostri Salvatoris à ludis taxillorum & alijs inhonestis abstineant, sub pœna arbitraria.

XXXI.

Item præcipit ipsa Synodus omnibus Ecclesiarum Rectoribus, & eorum Vicarijs, & alijs quorum interfuerit, quatinus dum religiosi ad suas Ecclesias cum literis Ordinariorum causâ prædicandi accesserint, eos diebus à jure statutis requirant, ut tam in suis Prædicationibus quàm Confessionibus de licentia prædicta audiendis; exhortentur populum ad decimas & alia jura Ecclesiastica fideliter persolvenda, & similiter ipsis religiosis, ut ita faciant sub pœnis ab ipso jure statutis.

XXXII.

Item inhibet, ne Clerici præsertim in sacris Ordinibus constituti longas & amplas cornetas in suis capucijs deferant; sed breves & decentes, nec fimbrias foderaturæ habeant superiùs in suis tunicis, quæ nimiâ longitudine aut brevitate notari possint.

XXXIII.

Item ordinat ipsa Synodus, quòd expleto Servitio divino ponantur Reliquiæ in locis honestis, & firmentur Ecclesiæ. Insuper inhibetur quòd Cœmeteria à terra prophana distinguantur.

XXXIV.

Item ut universorum ordinum, quos devota Augustini &

Benedicti, ac aliorum ſanctorum Patrum adinvenit conſideratio, & quos humanæ ſalutis æmulus in plures vulneravit partes, ſalutaris reparetur inſtitutio; ſingulique illorum profeſſores qui ſub paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ votis, alijſque ſalutaribus inſtitutis ſe Domino famulaturos perpetuò ultroneè devoverunt, illorum æternorum fructuum quos jugis eorum conſequetur obedientia dulcedine recreentur, ac per devotas ipſorum preces (quæ profectò plurimùm exauditione non carent) ſubveniatur indigentibus.

XXXV.

Præcipit & ordinat eadem Synodus, quòd in omnibus & ſingulis hujus provinciæ tam virorum quàm mulierum Conventualibus locis, in aliquo loco ad hoc idoneo ſit una tabula, in qua vulgariter & ad longum annotetur regula, quæ per profeſſores ipſorum Conventuum profiteri conſuevit.

XXXVI.

Item ultra Capitula quotidiana in ipſis Conventualibus locis fieri & celebrari ſolita, ſingulis diebus mercurijs quatuor temporum, Abbates, Priores, aut Superiores ipſorum locorum omnes ſuos fratres abſentes in hac tunc degentes Provincia convocent, quibus & alijs in locis, ipſis tunc præſentibus per aliquem ex provectioribus illius legatur dicta regula, & ſi opus ſit declaretur & exponatur extenſiùs.

XXXVII.

Item quòd Abbates & Priores, aut alij Superiores hujuſmodi omnes ſuos ſubditos, & religioſos ad omnia & ſingula in ſua regula contenta obſervanda per bonas & ſanctas exhortationes inducant; rebelles autem per debitas correctiones emendent.

XXXVIII

Item quòd ipſi regulares omnia ſua Concilia & Capitula juxta eorum regulam ſtudeant firmiter tenere, celebrare & obſervare.

XXXIX.

Item quòd Viſitatores & reformatores eorum prædictorum in ſuarum Viſitationum diſcurſu ſuper ſtatu & regimine Monaſteriorum & locorum quæ viſitabunt, ac religioſorum in illis degentium moribus & vita, ſuæque regulæ debita obſervantia curioſè, prudenter & fideliter inquirant; ac illos quos ſuæ regulæ contemptores eſſe repererint, per ordinatas in eorum ſtatutis pœnas aut graviores, ſi eorum exegerit contumacia, puniant.

XL.

Item quòd ubi Abbates, Priores, ſuperiores ſeu reformatores hujuſmodi in præmiſſis forent negligentes, aut à ſua regulari forſan obſervantia deviarent: Statuit, præcipit, & ordinat eadem Synodus, quòd per locorum Ordinariorum providentiam atque ſollicitudinem provideatur.

XLI.

Poſtremò cùm occaſione guerrarum quæ diutiùs viguerunt in hac Rotomagenſi Provincia, inter ceteras maximè paſſa fuerint & acta, pro quarum ſedatione nunc inter Principes tractatum ſeduliùs. Hortatur igitur ipſa Synodus in Domino cunctos Chriſti fideles, ut pro complemento pacis & fœderis inter Reges & Principes pacem ipſam tractantes, ac etiam proſpero ſtatu univerſalis Eccleſiæ, Domini noſtri Regis, totiuſque populi Chriſtiani, tam per Proceſſiones, quàm alias juges & devotas apud Deum velint preces effundere.

Actum & datum in Seſſione publica in Capella Manerij noſtri Archiepiſcopalis Rotomagenſis, Suffragantibus noſtris, & Capitulis noſtræ & Eccleſiarum ſuarum per procuratores ibidem cum pluribus Archidiaconis, Abbatibus, & Prioribus in magno numero congregatis anno Domini 1445. Indictione 9. Menſis verò Decembris die 15. Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Eugenij divinâ providentiâ Papæ IV. anno 15.

---

78. GUILLELMUS VII. DE ESTOLDIVILLA, ſeu STOTAVILLA, *d'Eſtouteville*, Ludovici & Margaritæ de Haricuria filius, Cardinalis tit. ſancti Martini in montibus, Maurianenſis Epiſcopus, à Nicolao V. Rotomagum tranſlatus, recipitur per procuratorem A. C. 1453. 7. Idus Julij, præſens verò 1454. 5. Kal. Auguſti. Palatium Archiepiſcopale inchoat circa A. C. 1461. Pontiſarenſem domum inſtaurat 1477. Eccleſiam Cathedralem duabus campanis, vario ſacrarum veſtium apparatu, alijſque muneribus ornat. Multa Baſilicæ ſanctæ Mariæ majoris, & Monaſterijs S. Audoëni & S. Michaëlis in periculo maris, quibus præerat, impertitur. Fit Camerarius S. R.E. 1477. Moritur Romæ 1482. 10. Kal. Febr. Corpus ibidem in Eccleſia Eremitarum Sancti Auguſtini ab eo ædificata ſepelitur. Cor Rotomagum illatum in Navi Eccleſiæ conditur 1483. pridie Idus Aprilis.

****

Anno 1458. Ex Archivo Archiepiſcopali

BULLA CALLIXTI III. PAPÆ pro Primatia Rotomagenſis Eccleſiæ.

CALLISTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referendas, non ſolùm ſacrorum Canonum inſtituta, ſed veteris Teſtamenti exempla declarant: Moyſi ſiquidem ſummi Sacerdotis Chriſti Vicarij typum gerenti,

renti, qui consilio Jethro Sacerdotis Madian viros timentes Deum populo judicando præfecerat, dictum est; *Quidquid majus fuerit ad te referent, ipsi vero tantum minora dijudicent.* Deuteronomij quoque lex præcepit ut *si difficile & ambiguum inter sanguinem & sanguinem, causam vel causam, lepram & lepram, judicium videatur, ad Sacerdotem Levitici generis & Pontificem qui præsit loco quem Dominus elegerit, recurratur.* Quod de Romano Pontifice & fratribus illius, qui jure Levitico in executione Sacerdotalis officij ei coadjutores existunt, intelligi debere Canonica sanctio declaravit. Horum igitur consideratione inducti, dudum exortas controversias super Primatiali jure, quod Lugdunensis Archiepiscopus in Rotom. Coarchiepiscopum suum habere prætendebat, graves & ambiguas, cùm de autoritate sedium, & de vi Apostolicorum privilegiorum, & de interesse Apostolicæ Sedis agi videatur meritò existimantes, & divinæ legis præcepta sequentes, alicui ex Levitico ordine demandandas, & apud Sedem Apostolicam examinandas terminandasque censuimus, & dilecto filio nostro Dominico sanctæ Crucis in Jerusalem Presbytero Cardinali commisimus fine debito terminandas, qui in eisdem ritè & rectè procedens per diffinitivam sententiam Rotomagensem Ecclesiam ejusque Suffraganeos atque suppositos Romanæ Ecclesiæ immediatè, & nulli alteri Primatiali jure perpetuum silentium imponendo pronuntiavit. Quæ quidem sententia nullâ saltem legitimâ procuratione suspensa, in rem transivit judicatam; verùm sicut accepimus quidam Ecclesiastici atque sæculares Magistratus Regni Franciæ, veterum traditionum & sacrorum Canonum immemores, vel ut veriùs dixerimus contemptores, prætextu improbatæ consuetudinis vel cujuslibet privilegij, denuo prædictas controversias extinctas suscitare, & earum sibi cognitionem vendicare, & quod graviùs est, in præjudicium rei apud Sedem Apostolicam judicatæ atque finitæ, procurantibus etiam ut asseritur Archiepiscopo, seu Commendatario & administratore, Officialibus, Syndicis ac procuratoribus dictæ Lugdunensis Ecclesiæ, qui legitimo spreto judicio, in opprobrium matris suæ Apostolicæ Sedis ac sacrorum Canonum contemptum ad peregrina ac sæcularia judicia audent convolare, inhibitiones & mandata pœnalia decernere, ac fulminare & decerni facere, ac procurare præsumunt, & executionem dictæ sententiæ, ac libertatem Rotomagensis Ecclesiæ, imo jus & autoritatem Romanæ & Apostolicæ Sedis persequentes, Rotomagensem Archiepiscopum ac ejus Suffraganeos, Officiales, & procuratores eorumdem exquisitis artibus molestant atque perturbant, non intelligentes se sine crimine sacrilegij, huic Sedi concessa usurpare, aut illius privilegia ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite tradita non posse perfringere, quod procul dubio faciunt, cùm de Primatu Metropolitanarum Cathedralium seu Patriarchalium Sedium sibi cognitionem usurpant, in illius Sedis præjudicium, quæ omnium Sedium sive Metropolitanarum sive Primatialium aut Episcopatuum jura ac dignitates instituit, quæ etiam singulis Ecclesijs sicut terminos ac Diœceses, sic præeminentiæ ac jurisdictionis legem imposuit, attendentes quoque de vi privilegiorum Apostolicorum, præsertim ubi Romanæ Ecclesiæ vertitur interesse, juxta Canonicas sanctiones à nemine in-

Exod. 18 v. 22. Deuter. 17 v. 8.

feriori posse judicari, sed ejus esse interpretari cujus & condere; admirantes quoque hujusmodi judicum insolentiam, cùm & lex eorum quam sub nomine pragmaticæ sanctionis licet minùs legitimè præscripserunt, dum causas Ecclesiasticas in partibus terminari vult, majores causas nominatim excipit, nec volentes tantam Apostolicæ Sedis injuriam sub dissimulatione transire. Autoritate Apostolicâ sub interminatione divini judicij ac sub excommunitionis pœna, quam contravenientes incurrere volumus ipso facto, omnibus & singulis tam Ecclasiasticis quàm sæcularibus judicibus quocumque nomine censeantur; Regijs quoque consiliarijs, Curijs judicialibus, Collegijs, Consilijs, Universitatibus, sed & ipsis Archiepiscopo, seu Commendatario atque administratori, Capitulo quoque, Officialibus, procuratoribus, & Syndicis ejusdem Lugdunensis Ecclesiæ, tam præsentibus quàm futuris, sub pœna excommunicationis in singulos & interdicti in ipsas Universitates, Consilia, sive Collegia, quàm similiter ipso facto incurrere volumus; districtè inhibemus ne de ipso prætenso Primatiali jure, aut de causis prædictis in præjudicium præsertim rei judicatæ se directè vel indirectè quovis quæsito colore intromittant, aut impediri seu intromitti procurent, vel prosequentes executionem dictæ sententiæ, videlicet Rotomagensem Archiepiscopum, Suffraganeos ipsius, aut procuratores, vel subditos eorumdem realiter aut personaliter molestent, seu quomodolibet inquietent; eadem autoritate, & sub pœna simili præcipientes ut inhibitiones, citationes & quæcumque mandata, sive arresta ab ipsis vel ad eorum instantiam forsitan decreta, & emanata tollant, cassent & revocent, ac prorsus aboleant, quæ etiam nos tenore præsentium cassamus, irritamus, & nulla, cassa, irrita, temerè & de facto præsumpta decernimus & declaramus, nihilque sibi in causis hujusmodi in petitorio, sive possessorio autoritatis, coercitionis aut jurisdictionis vendicent vel usurpent: processuri nihilominus contra inobedientes atque rebelles mandatorum nostrorum hujusmodi ad graviores pœnas, prout secundum Deum & justitiam viderimus expedire. Et quia difficile esset has originales literas nostras ad diversa loca transferri, volumus & eadem autoritate decernimus, quòd eorum transsumpto sive transsumptis per Notarium publicum subscripto, sive subscriptis, sigillo alicujus Episcopi roborato seu roboratis, plena fides adhibeatur. Ad obviandum quoque malitiæ plurimorum qui denunciationem & publicationem harum literarum nostrarum forsitan impedirent; volumus quòd præsentes literæ sive earum transsumpta per Notarium coram testibus valvis Cathedralium Ecclesiarum affixæ, omnes & singulos Prælatos, Capitula, Collegia, Universitates, Consilia, Magistratus, judices, atque habitatores Civitatis & Diœcesis in qua affixæ fuerint ita arctent, tamquam si illis personaliter intimatæ, aut aliàs publicatæ fuissent; decernentes nihilominus irritum & inane quidquid contra inhibitionem, mandatum & debitum nostrum hujusmodi à quoquam, quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1458. 5. Idus Julij. Pontificatûs nostri anno 4.



STATUTUM FACTUM A VENERABILIBUS VIRIS, Magiſtro JOANNE *de Gonnis* & Magiſtro GUILLELMO *Mezard*, Vicarijs Generalibus Domini GUILLELMI Rotomagenſis Archiepiſcopi.

Vicarij in ſpiritualibus & temporalibus Generales Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini GUILLELMI *miſeratione divinâ Hoſtienſis Epiſcopi, ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalis de Etoutevilla, & Archiepiſcopi Rotomagenſis nunc abſentis; Univerſis & ſingulis Preſbyteris Curatis & non Curatis, ceteriſque perſonis Eccleſiaſticis in Civitate & Diœceſi Rotomagenſi conſtitutis, ſalutem in Domino.*


CUM ipſo ſacro divinæ eruditionis inſtituto, & juxta Apoſtoli ſententiam præcipiatur Eccleſiaſticos viros, qui ad ſortem Domini vocati ſunt, *ut ſint ipſi Domino vaſa in ſanctificationem, & honorem*; *ſe in omnibus ut Dei miniſtros exhibere, nemini dantes ullam offenſionem ut ipſum Dei miniſterium, non vituperetur*, & eo magis ipſos Eccleſiaſticos viros, qui ut idem vult Apoſtolus *ſi bene præſint duplici honore digni ſunt*, vitæ religionem & innocentiam, in omni denique ſui actione ipſius Chriſti exemplo ſanctimoniam & dignitatem ſectari & ſervari deceat; quo ad id pro ſui ſtatûs qualitate præ ceteris vocati ſunt, & tamquam ſignum ad ſagittam in populo conſtituti, quinimo hujuſmodi Sacerdotalis ſeu Eccleſiaſticæ profeſſionis ſtatum tam divino quàm humano ſanctificatum & dignificatum juribus, ab ſcandalis & quibuſlibet illicitis alienum prorſus & immunem eſſe oporteat, ut ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus in ſuis miniſtris honoratus & excultus, magnuſque & mirabilis appareat, Eccleſia Chriſti decore fulgeat, & plebs Dominica ambulare valeat in ſalutem. Veruntamen quod miſerabile dictu & fœdum auditu, ac nobis ipſis ad gravem animi diſplicentiam exiſtit ut ipſo populi gravi clamore & famæ clamoſâ inſinuatione, aliaſque fide dignorum relatu accepimus, & ut cum Propheta dixerimus ab ipſo Dei ſanctuario egreſſum eſſe nefas, ac ipſius Eccleſiæ dignitatem & decorem ludibrio & opprobrio haberi: quamplures Eccleſiaſtici viri ſuæ vocationis obliti, & ſeipſos ſeu quales eſſe debeant non attendentes, contra ſanctorum decreta Patrum omnia denique tam divina quàm humana inſtituta in Dei & ſui ſtatûs offenſam rebus fœdiſſimis, execrabilibus, illicitis & prohibitis operam dantes, concubinas, focarias, & alias ſuſpectas & infamatas mulieres palam, notoriè & inverecundè habere ſecum & tenere, ac cum illis morari, converſari & reſidere non verentur, ex quibus ad omne nefas ipſis Eccleſiaſticis laxata licentia videtur; cùm plura mala & ſcandala nedum ipſis perſonis, ſed & toti Eccleſiæ ſtatui in dies proveniunt & naſcuntur, unde ipſius Eccleſiæ pulchritudo, inno-

2. Cor. c. 6. v. 3. & 4.

1. Tim. 5. v. 17.

centia & decor fœdantur, ipſum ſanctum Dei miniſterium vilipenditur, & Dominico gregi pro continentia, ſanctimonia & virtute; luxuria, pernicies & immunditia, omneque malum exemplificantur. Nos igitur prout ad nos incumbit pro vice ipſius Reverendiſſimi Patris nobis credita, tanto morbi incendio mederi & de idoneo remedio conſulere cupientes, illud Canonicum attendentes, quòd viliſſimus computandus eſt qui gradûs dignitate & honore præſtat, ſi non fuerit virtute & ſanctitate præſtantior, hoc ſolemni & generali edicto palam & publicè vos omnes & ſingulos Eccleſiaſticos viros, ſaltem in ſacris Ordinibus, & in Civitate & Diœceſi Rotomagenſi conſtitutos, aut etiam ad quæcumque beneficia Eccleſiaſtica promotos, eidem Reverendiſſimo patri ſubditos, cujuſcumque gradûs aut conditionis autoritate dicti Reverendiſſimi patris quâ fungimur, in hac parte tenore præſentium ſuademus, monemus & exhortamur; quatinus exemplo ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti, & tamquam illius actionum imitatores quæque juſta & honeſta ſunt, & vocationis veſtræ dignitatem & virtutem reſpiciunt, colere, ſectari & obſervare, & à quibuſlibet illicitis declinare ſtudeatis: Nos nihilominus ex parte Reverendiſſimi Domini monentes ad pœnam Canonicam, quatinus à præmiſſis ſcandalis & illicitis abſtinentes, infra quindecim dierum ſpatium à præſentium publicatione computandorum dictas concubinas & quomodolibet ſuſpectas mulieres abjiciatis, & expellatis, nec eas vobiſcum frequentare aut converſari amplius conſentiatis ſeu permittatis. Et ſi fortè (quod abſit) Dei timor & reverentia, & hæc monitio à malo vos non revocaverint, quinimo oſtenderitis vos in præmiſſis induratos, noſtræ monitioni minimè obtemperantes; attendentes in gravioribus morbis acrioribus remedijs plerumque uti oportere, utque Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, vosque ad obediendum præmiſſis eo procliviores efficiamini, quo ad id aſperioribus pœnis vos ſenſeritis coactos. Monemus vos per præſentes vobis & veſtrum cuilibet, nihilominus autoritate quâ ſupra diſtrictiùs injungentes ad pœnam videlicet, in beneficiatos privationis à ſuis beneficijs; & in non beneficiatos ſuſpenſionis ab adminiſtratione & executione ſui officij ſeu ordinis, ut infra alios quindecim dies immediatè ſequentes ſatisfaciatis præmiſſis, ipſas concubinas ſuſpectas, & infamatas mulieres realiter & cum effectu expellentes, & eas nullatenus vobiſcum frequentare aut converſari de cetero permittentes. Datum Rotomagi ſub ſigillo magno Curiæ Rotomagenſis una cum ſignetis noſtris. Anno Domini 1476. die 4. menſis Novembris. Sic ſignata LAMBERT.

ET fuit publicata in Eccleſia Rotomagenſi in Synodo die Martis 5. Idus menſis Novembris 1476. celebrata in præſentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Yponenſis Epiſcopi, & venerabilium circumſpectorumque virorum magiſtrorum Joannis *de Gonnis* & Guillelmi Mezardi generalium Vicariorum; necnon Dominorum Abbatum, Priorum, Canonicorum, ac Rectorum, & Curatorum Parochialium multitudine copioſa; & lecta de verbo ad verbum per me Notarium infra ſcriptum.



LAMBERT.

EXtat in Archivo Archiepiſcopali Bulla Nicolai V. quâ decernit Decano & Capitulo Rotom. poſt obitum Cardinalis *d'Eſtouteville*, ad electionem novi Antiſtitis licere procedere, ipſamque electionem per ipſos faciendam firmam permanſuram. Incipit: *Nicolaus &c. conſtitutus in ſpecula &c.* Anno 1455.

Epiſtola Caliſti III. ad Guillelmum *d'Eſtouteville* poſt ſuam creationem, varia committit, & ut redeat hortatur &c. Anno 1455.

Anno 1480. 14. Kalend. Junij Sixtus Papa IV. literis datis ad ſupplicationem Guillelmi Card. Arch. Rotom. Officium Pœnitentiariæ Eccleſiæ Rotom. quod hactenus ad Archiepiſcoporum nutum amovibile fuerat, ut in ipſa Eccleſia perpetuum eſſet inſtituit ac erexit, ac illi ſic erecto Canonicatum & Præbendam primò vacaturas annexuit; ita ut Præbenda ipſa Theologalis exiſteret, & in locum Theologalis cederet.

---

79 ROBERTUS III. DE CRUCIS-MARA, *de Croiſmare*, Guillelmi filius, Canonicus Rotomagenſis, & Archidiaconus majoris Caleti, electus A. C. 1482. 13 Kal. Aprilis, recipitur anno ſequenti per procuratorem 3. Nonas Maij, præſens 8. Idus Septembris. Ejus admirãdum opus ſunt organa pneumatica Eccleſiæ Cathedralis, quæ tentari cœperunt 1493. Obijt Rotomagi eodem anno 15. Kal. Aug. Jacet in Capella B. Mariæ.


INnocentius VIII. Pontif. anno 6. literis apud S. Petrum Romæ datis anno 1489. ceremoniâ levat Canonicos, quâ hebdomadâ peractâ ſeſe proſternebant in medio Chori, ut ſatisfacerent &c.

---

80 GEORGIUS I. DE AMBASIA, Petri & Annæ *de Bueil* filius, ex Epiſcopo Montis-albani Narbonenſis Archiepiſcopus, inde ad Rotomagenſem Metropolim poſtulatus A. C. 1493. 12 Kal. Septembris ab Alexandro 6. transfertur 1494 Kal. Iunij, quo anno recipitur per procuratorem 7. Idus Auguſti, & ſolenniter ipſemet 11. Kal. Octob. Creatur ab eodem Alexãd. Cardinalis 1498. Ab eo, & Julio 2. S. A. Legatus in Gallia conſtituitur. Normaniæ & Mediolano præficitur à Ludovico 12. Rege, qui Scacarium Rotom. perpetuum ejus precibus inſtituit 1499. Palatium Archiepiſcopale à Guillelmo 7. inchoatum ipſe perfecit. Gallionis arcem mirificè ſtruxit. Campanam Eccleſiæ maximam multáque alia largitus eſt. Obijt Lugduni 1510. 8. Kalend. Junij. Inteſtina ibidem in æde Celeſtinorum condita: corpus regio funere Rotomagum relatum, in Capella beatæ Mariæ 12. Kal. Julij humatum eſt.

81. GEORGIUS II. DE AMBASIA, Joannis & Catharinæ *de S. Belin* filius, Eccleſiæ Canonicus, inde Theſaurarius, tum magnus Archidiaconus, poſt patrui mortem à Capitulo A. C. 1510. 3. Kal. Auguſti poſtulatus, à Julio 2. admittitur 1511. 6. Idus item Auguſti. Poſſeſſionem per procuratorem nanciſcitur eodem anno 10. Kal. Decembris. Conſecratur Gallione 1513. 3. Idus item Decembris, & octavo pòſt die in Eccleſia ſolenniter excipitur. Summum Eccleſiæ campanile unà cum odeij tecto 1514. 4. Nonas Octobris, fortuito incendio abſumptum in auguſtiorem pyramidis formam reſtituit. Creatur Cardinalis 1545. menſe Decembri. Obijt Vigniaci 1550. 7. Kalend. Septembris. Mortui inteſtina ibidem jacent in æde Parœciali, Cor Pontiſaræ in FF. Minorum Conventu: corpus Rotomagũ in exquiſiti operis ſepulchrum, quo patrui cineres texerat, illatum eſt 13. Kalend. Octobris.

ANno 1522. duo Concilia Provincialia celebrata ſunt Rotomagi in Palatio Archiepiſcopali. Primum 5. Maij, die Lunæ poſt Dominicam quâ cantatur *Miſericordia.* Secundum die 20 Februarij pro quibuſdam negotijs Eccleſiæ libertatem ſpectantibus. Ad primum referenda crediderim acta quæ ſine die & Conſule extant hoc initio: *Adhortatur tuba &c.*



CONCILIUM ROTOMAGENSE
A GEORGIO II. CUM SUFFRAGANEIS celebratum Anno Domini 1522.

Ex MS. codice D. Joannis le Prevoſt *Canonici Rotomagenſis.*

In prima Seſſione Concilij Provincialis Neuſtriæ hæc acta ſunt.

CAPITULA.

I



ADHORTATUR tuba illa in ſpiritu Dei Apoſtolus Epiſcopos Dei vicibus fungentes, quorum fidei theſaurus ille Evangelicæ doctrinæ, veluti ſelectis diſpenſatoribus à Chriſto ſpeciatim concreditus eſt, unde quoque inculpatos eſſe primùm oportere, longeque ſemotos à vitijs illorum qui vulgo magiſtratus ----. Evangelij, Chriſtique titulis ad quæſtum ipſis turpiter imputetur. Proinde ut & morum integritas, & vitæ ſanctimonia, & boni fama nominis, Chriſti Eccleſiæ Paſtoribus præſertim hujus inclitæ Provinciæ (quam Neuſtriam dicunt) Archiepiſcopo & Epiſcopis illabefactata, ſemper (Chriſto auſpice) & ſit ſubditis exemplo & coram omnibus luceat, ſtatutum & ordinatum eſt in hunc qui ſequitur modũ.

II.

In primis, cùm veri Chriſti Paſtores ſuper gregem vigilare, vultuſque ſibi commiſſi pecoris diligenter agnoſcere debeant, utpote ſalutaris doctrinæ pabulo, verbo & opere ipſum refocillando populum; amodo noctis vigilias ſummâ curâ continuent, reſideantque perſonaliter Archiepiſcopus ceterique Suffraganei quilibet in ſua Diœceſi, aſtringantque cum effectu Curatos, Decanos, Abbates, & Priores Conventuales, ceteroſque ſibi ſubditos, maximè curam animarum habentes ad reſidentiam in ſuis beneficijs reſpectivè faciendam perſonalem; nec cum aliquo diſpenſent, niſi cauſa diſpenſandi legitima priùs judicetur, quæ etiam in diſpenſationis literis ad tollendum omnem ſcrupulum inſeratur.

III.

Ceterùm attendentes quod ſcriptum eſt: *Beatus qui excutit* Iſa. 33. *manus ſuas ab omni munere*, poteſtaſque ordinandi & Ordines verſ. 1. miniſtrandi, ſeu manus imponendi, beneficia conferendi, ele-

ctiones confirmandi, ſpiritualia ſint, & gratis conferri debeant, dicente Chriſto : *Gratis accepiſtis, gratis date* : pro hujuſmodi Matth. igitur Ordinum tum minorum, tum ſacrorum, beneficiorum 10 v. 8. inſuper ſimplicium, vel curam animarum etiam habentium collationibus, dimiſſorijs dandis, manuum impoſitionibus, electionum confirmationibus, officiorum denique in Eccleſijs ac Officiariorum commiſſionibus, nulla penitus per Archiepiſcopum Epiſcopos, ſeu quoſcumque alios Prælatos, vel etiam pro præſentationibus ad beneficia à Patronis ſeu Collatoribus pecunia recipiatur, vel exigatur in poſterum.

IV.

Cumque etiam Epiſcopi, & alij juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes procuratores ſint animarum; & defunctorum voluntates, * elogia ſeu teſtamenta exequi, ſeu executioni demandare teneantur, ne pium defunctorum propoſitum improbâ calliditate extinguatur ac defraudetur. De cetero inquiratur ſollicitè per Prælatos ſeu eorum officiarios aut eos, quibus de jure vel conſuetudine de executione teſtamentorum competit juriſdictio de teſtamentis, codicillis, eulogijs ſeu ultimis voluntatibus defunctorum, coganturque executores (ſi qui ſint) alioquin illi qui de dictis executionibus ſeſe onerabunt, ad implendum pias & ultimas defunctorum voluntates, necnon ad reddendas compoti rationes in fine anni Magiſtris teſtatorum. Quòd ſi quid reliqui in pios uſus (legatis perſolutis) ſuperſit exponendum; ſecundum juris diſpoſitionem fiat proclama generale ad convocandum creditores cum inſinuationibus ſeu ſecluſionibus, fiatque proceſſus contra creditores abſentes, & feratur ſententia ſuper inventario dictorum bonorum conficiendo, per quem declaretur dictum reſiduum juxta piam defunctorum voluntatem impendendum eſſe; nec ultra anni unius curriculum ad id explendum induciæ dentur, niſi rationabilis cauſa jure ipſo ſancita ſit. Et ut ſine diſpendio omnia circa præmiſſa fiant, neve humanitatis obtentu relictæ pecuniæ judiciorum diſpendijs præter æquum inſumantur, Archiepiſcopus ceterique Prælati pro quolibet teſtamento non recipiant ultra ſummam 7 ſolidorum 6 denariorum Turonenſium, ſalvo jure minus recipiendi ſecundum qualitatem teſtatorum & teſtamentorum, codicillorum, ſeu elogiorum.

* al. eulogia

V.

Sed nec ſatis eſt Prælatis ipſis circa præmiſſa bene verſari,

etiam docere & orare, niſi adſit eleemoſinæ largitio, quorum
Luc 16. auribus vox illa inſonat divina: *Facite vobis amicos de mammo-*
verſ. 9. *na iniquitatis.* Emendæ itaque ſeu mulctæ pecuniariæ, quæ in futurum pro ſceleribus & commiſſis in Curijs Eccleſiaſticis taxabuntur, in pios uſus per Prælatos Eccleſiaſticos convertantur, ſeu per eorum eleemoſinarios vel commiſſos converti jubeant atque erogari.

VI.

Porro cùm quilibet Chriſtianus in Fonte Baptiſmali annulo Fidei ſubarratus, ſatanæ ac pompis ejus renuntiaverit, humilitatem Chriſti induendo, qui & ſuos mollibus veſtiri noluit, ſed ſimplicibus uti judicavit; nihilque in Epiſcopali cervice ſplendidius fulgeat quàm humilitas, veſteſque miniſtrorum nec perlucidæ, nec ſordidæ eſſe debeant: poſthac Archiepiſcopus, Epiſcopi, ceterique Eccleſiarum Prælati veſtibus honeſtis ſecundum conſonantiam ſtatûs induantur, ut in hoc à laïco ſaltem diſcriminari poſſint. Nullæque perſonæ Eccleſiaſticæ cujuſcumque ſtatûs vel præeminentiæ, etiam ſi Archiepiſcopali, Epiſcopali vel aliâ fungatur dignitate, aut domeſticis eorumdem Clericis veſtibus ſericeis cujuſvis generis (quæ magis ad pompam quàm neceſſitatem à pluribus aſſumuntur) in Eccleſijs vel locis publicis coram populo aut deferre, aut uti liceat, verùm alijs honeſtis indumentis eorum ſtatui congruentibus ſint contenti, abjiciantque ac prorſus ſuis domibus eliminent aſſeclas iſtos ſeu famulos varjis veſtimentorum coloribus (ut paſſim videre licet) diſſectos, quæ mentis ſectionem magis quàm doctrinæ integritatem aut ſoliditatem, omnibus etiam plebeijs in magnum ſtatûs Eccleſiaſtici dedecus palam oſtendunt.

Sequuntur ea quæ fuerunt propoſita ſuper Capitula.

TITULI CAPITULORUM.

I. *Numquid peccent Canonici confabulantes in Choro de rebus prophanis durante Servitio divino, aut aliàs vagantes ſeu deambulantes in Eccleſia, dicto durante ſervitio, & nonne teneantur continuare Servitium?*

II. *An reſidentia Canonicorum in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata excuſet Canonicum beneficiarium à reſidentia in ſuo beneficio curam animarum habente?*

III. *An valeat conſuetudo Eccleſiæ Cathedralis, quâ Canonici volentes viſitare ſuos Parochianos arctantur ad*

ad residentiam in Ecclesia Cathedrali die Pascha dimissis ovibus proprijs?

IV. *Utrum liceat eisdem aliquid recipere pro receptione Canonicorum de novo venientium?*

V. *Numquid Prælati teneantur includere Moniales, extirpare proprietatem Abbatum & Monachorum, ac eos reducere; & si fuerint defectus, an excusentur per visitationem, vel alios inquirere teneantur?*

VI. *An valeat consuetudo ut Monachi lautiùs vivant quàm contineat eorum regula.*

VII. *Numquid in quolibet Monasterio teneantur habere præceptorem ad docendum Religiosos juvenes, vel eos mittere ad studium?*

VIII. *An Monachi possint esse compatres, frequentare nuptias; & an pretextu officij sui sint à regulis Monasterij absoluti, & possint passim divagari?*

IX. *An liceat Monasterio, Abbati, vel Monachis aliquid recipere ab ingrediente seu recipiendo in Monasterio, & an excuset consuetudo?*

X. *An Monachi cujuscumque ordinis vel conditionis existant, possint sine consensu Episcopi nova construere ædificia, vel antiqua sumptuosiori modo quàm erant reficere?*

XI. *An Monachi exempti delinquentes in territorio ordinariorũ Episcoporum possint coerceri ab Episcopo vel laico, non obstante exemptione seu privilegio, etiam derogante Capitulo:* Volentes, deponite, *in sexto; & an subditi Episcoporum teneantur exire Provinciam seu Episcopatum pro justitia habenda contra exemptum corã conservatore privilegiorum suorum?*

ADVISAMENTUM FACTUM
PER DOMINOS DE DIOECESI ROTOMAGENSI
super articulis eisdem traditis per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Archiepiscopum Rotom. & ejus Reverendos Dominos Suffraganeos.

DE CANONICIS.



RIMÒ laudant & approbant statuta per Reverendissimum & Reverendos Patres oblata; quibus supplicant addi quæ sequuntur: videlicet super tertio articulo addatur, si placet, hoc verbum [Tonsuram] placeat etiam addi [& Officiorum tam Ecclesiasticorum quàm temporalium.]

Placeat insuper superaddi ad quintum articulum [quòd pro parvis delictis excommunicationis sententia non feratur; sed si opus sit correctione, satisfactio corporalis, aut cùm visum fuerit expedire, salutaris pœnitentia imponatur; ac circa miserabiles personas quæ unde satisfaciant pro pecuniarijs emendis, ad quas sunt taxatæ respectus habeatur, sic quòd ad cessionem recipiantur, vel aliàs corporaliter puniantur.]

Secundò ſuper articulis per modum quæſtionum oblatis.

1° Super primo articulo de confabulationibus: dicunt quòd ſic.

Super ſecunda parte ejuſdem articuli dicunt, quòd vagantes ſeu ambulantes per Eccleſiam tempore Servitij divini, niſi cauſa rationabilis id expoſcat, etiam peccant.

Quoad continuationem verò & aſſiſtentiam Servitij, dicunt quòd ceſſante legitimo impedimento debent intereſſe horis Canonicis, & in Anniverſarijs debent intereſſe ſecundum formam fundationum deſuper editarum.

SEQVITVR RESPONSIO SECVNDI ARTICVLI.

II. *Vtrum reſidentia Canonicorum in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata excuſet Canonicum Beneficiarium à reſidentia in ſuo beneficio curam animarum habente?*

Deliberaverunt præfati Domini, quòd Canonici Eccleſiarum Cathedralium excuſantur. Debent tamen ſingulis annis ex debito aliquibus diebus ſolemnibus viſitare ſuos Parochianos. De Canonicis Collegiatis ſubeſt cauſa eos diſpenſandi.

III. *An valeat conſuetudo Eccleſiæ Cathedralis, quâ Canonici volentes viſitare ſuos Parochianos, arctantur ad reſidentiam in Eccleſia Cathedrali in die Paſchæ, dimiſſis ovibus proprijs?*

Deliberaverunt præfati Domini quòd articulus ille ſupponit falſum, & quòd præciſè non arctantur; habet enim Eccleſia ſuas conſtitutiones & ordinationes

IV. *Vtrum liceat eiſdem aliquid recipere pro receptione Canonicorum de novo venientium?*

Videlicet quòd ſic; dummodo id quod recipitur non tendat ad repletionem ventris vel burſæ, & quod etiam poteſt peti aliquod paramentum, vel aliud tendens ad cultum divinum.

DE MONACHIS.

V. *Numquid Prælati teneantur includere Moniales, extirpare proprietatem Abbatum & Monachorũ, ac eos reducere; & ſi fuerint defectus, an excuſentur per viſitationem, vel alios inquirere teneantur?*

Reſponderunt præfati Domini quòd de jure Moniales debent includi, & proprietas ab Abbatibus & Monachis abdicari ſecundum eorum regulas. Super reſiduo articuli, propter confuſionem ipſius non poteſt reſponſio certa dari.

VI. *An valeat consuetudo ut Monachi lautiùs vivant, quàm contineat eorum regula?*

Deliberaverunt quòd dicti Monachi debent vivere secundum regulas suorum ordinum, salvis tamen suis privilegijs.

VII. *Numquid in quolibet Monasterio teneantur habere Præceptorem ad docendum religiosos juvenes, vel eos mittere ad studium?*

Dicunt quòd sic.

VIII. *An Monachi possint esse compatres, frequentare nuptias, & an prætextu sui officij sint à regulis Monasterij absoluti, & possint passim divagari?*

Dicunt quòd non.

IX. *An liceat Monasterio, Abbati vel Monachis aliquid recipere ab ingrediente in Monasterium, & an excuset consuetudo?*

Dicunt quòd possunt gratis & sine pacto oblata recipere, non autem petere, aut exigere.

X. *An Monachi cujuscumque ordinis vel conditionis existant possint sine consensu Episcopi nova construere ædificia, vel antiqua sumptuosiora modo, quàm erant reficere?*

Possunt construere & reædificare ædificia, non tamen sumptuosiora & ad pompam.

XI. *An Monachi exempti delinquentes in territorio Episcoporum possint coerceri ab Episcopo vel laico, non obstante exemptione seu privilegio, etiam derogante Capitulo*: Volentes, *in sexto? & an subditi Episcoporum teneantur exire Provinciam seu Episcopatum pro justitia habenda contra exemptum coram conservatore privilegiorum suorum?*

Deliberaverunt Domini quòd possunt per Episcopum coarctari & puniri, donec requirantur à suis Prælatis, & quòd non debent exire Provinciam pro justitia habenda.

DE DEPORTIBUS.

Super materia Deportuum proposita in cœtu Congregationis visum fuit, quòd ad tollendum & evitandum scandala, & subveniendum indigentijs virorum Ecclesiasticorum qui de novo assumuntur ad regimen animarum; Rationabile judicaverunt quòd Reverendissimus Dominus Archiepiscopus & ejus Suffraganei, ceterique Domini Prælati qui jus deportuum se habere dicunt, omnino ab hujusmodi deportibus se abstineant; & si noluerint omnino se ab eis abstinere, aliqua portio rationabilis fructuum eisdem Dominis assignetur, ac residuum

relaxetur pro victu & habitu ipſorum Beneficiatorum, juxta diſpoſitionem extravagantis: *Suſcepti regiminis*, aut quòd ipſis Dominis certa ſumma moderata ſecundum æſtimationem fructuum hujuſmodi beneficiorum annuatim ſolvatur, & eâ mediante nulli de cetero deportus ſolvantur; ſed beneficia ipſa curata penitus libera ab omni deportuum ſolutione exiſtant & remaneant.

Quòd Reverendiſſimus Dominus & ejus Suffraganei pro non reſidentia Curatorum nihil exigant aut habeant, ac etiam quòd Curati exiſtentes in ſtudio non valeant aut poſſint arctari ad comparendum perſonaliter in Synodis.

Auferantur & profanentur Conventus nuper erecti de tertio Ordine ſancti Franciſci; & ſi (ut Synagoga eorum cum honore ſepeliatur) bonum videatur eos reduci ad unicum Conventum, amodo nullum recipiant, aut veſtiant ſine licentia Epiſcopi, & in omnibus ſubſint viſitationi Epiſcoporum.

Videtur eſſe prohibendum omnibus viris Eccleſiaſticis, mendicantibus, ac ceteris, ne præſumant quaſdam ſectas cōtra veram & Catholicam doctrinam per quoſdam curioſè adinventas prædicare, publicare & dogmatiſare: quoniam errores ex hoc in ſancta Eccleſia, quæ ſemper ſine monſtris hæreſum perſeveravit uſque ad præſens, oriri non ſine cauſa formidandum eſt.

Ne etiam impreſſoriæ artis quicumque ſine licentia Epiſcoporum libros aut tractatus quoſcumque imprimere, & venditioni publicè audeant proſtituere, præcipuè qui fidem & mores continere & tangere poſſunt, & niſi per Doctores Theologiæ videantur & approbentur, priùs autoritate Epiſcoporum ut prædicentur interveniente.

Hæc ſunt Feſta quæ Reverendiſſimus Archiepiſcopus Rotomagenſis tempore ſuo & in Diœceſi ſua ſupprimi fecit anno 1522. non tamen Servitium divinum voluit dimitti, ſed fieri ut priùs, ſed ut mechanici ſuas operas exercere poſſent; & primò.

Feſtum Cathedræ S. Petri.
Feſt. Inventionis ſanctæ Crucis.
Feſt. S. J. ante Portam latinam.
Feſt. SS. Gervaſij & Protaſij.
Tranſlatio S. Eligij in Junio.
Feſtum S. Martialis in Julio.
Tranſlatio S. Martini in Julio.
Feſt. S. Petri ad vincula in Aug.
Inventio S. Stephani in Auguſt.
Dies mortuorum, poſt Servitium divinum.
Feſtum Sancti Clementis.
Feſtum S. Thomæ Martyris.
Feria 4 poſt Feſtum Pentec.

82 CAROLUS I. DE BORBONIO, Caroli I. Ducis Vindocini, & Franciscæ de Alentione filius, primùm Nivernensis Episcopus A. C. 1536. inde Santonēsis 1544 tum Cardinalis à Paulo 3. creatus 1547. 6. Kal. Augusti, in Rotomagensem tandem Archiepiscopum primus ad Regis nominationem à Julio 3. assumptus 1550. possessionem per procuratorem eodem anno 7. Idus Octobris & 14. Kal. Decembris, præsens autem sub finem sequentis anni 3. Idus Aprilis adeptus est. Eo sedente novatores Rotom. templa omnia, ipsumque adeò Cathedrale 1562. 5. Nonas Maij impiè occuparunt, in quæ biduo sævitum est, pessumdata sacra, direptæ opes, Catholicæ Religionis cultus in urbe per sesquiannum abolitus. Habuit Concilium Rotomagi 1581. 9. Kal. Maij. Obijt Fontaneti in Pictonibus 1590. 7. Idus Maij. Funus Gallionem in Chartusiam S. Mariæ Bonæ Spei, cujus fundamenta jecerat, illatum est

EPISTOLA CAROLI A BORBONIO AD SUFFRAGANEOS EPISCOPOS, De congregando Rotomagi Concilio.

CAROLUS S. R. E. tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis à Borbonio, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Rotomagensis, Primas Normaniæ; Reverendissimis Fratribus nostris Episcopis nostræ Provinciæ Rotomagensis, & universo ejusdem Clero & populo, salutem in Domino.

CUM ex malis moribus bonæ leges oriantur, quæ pœnam vitijs, præmium virtutibus, arctissima duo societatis humanæ vincula constituunt, earum servi simus oportet, ut liberi esse possimus. Est enim libertas ubi spiritus Domini, qui populum Israëliticum in sacerdotale regnum & gentem sanctam sibi deligens, ejusque Rempublicam è Pharaonis servitute in libertatem asserens, non alijs quàm sanctissimarum legum præsidijs septam, vallatam, ac munitam esse voluit. Priusquam autem eas Mosi de vertice Synaï montis ederet, ecce cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, nubes densissima operire terram, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepere: ut inde nobis esset exploratum mandata Dei, penes quæ vitæ & necis est arbitrium, bonorum animos excitare, inflammare, & tanto amore virtutis incendere, ut quando amanti nihil est difficile; suavia illis & levia esse videantur, quibus etiam solent terrorem incutere. *Ad quem enim respiciam*, ait Dominus per Prophetam, *nisi ad trementem sermones meos*? At verò quoniam sumus quasi duabus à natura personis induti: una quæ communis est, ex quo sumus omnes participes rationis, altera quæ propriè singulis est tributa: non solùm leges illæ sancitæ sunt nobis & irrogatæ, quæ omnibus unâ & eadem voce loquuntur: sed etiam ut impositam quisque sibi personam induat, debet certam ejus agendæ normam & regulam habere semper ob oculos, ad quam omnia officij sui momenta diligentissimè perpendat, & tamquam sagittarius scopum intuens facilè propositum sibi finem assequatur. Quamobrem ubi Deus Levitas pro primogenitis filiorum Israël sibi consecrasset, & super cultum Sacerdotij constituisset, eorum ritus &

Isa. 66. a. 2.

officia juxta cujusque familiam distribuit, jussitque solum Aaronem cum filijs sancta sanctorum ingredi, & disponere opera singulorum. Atque quanto ad altiorem dignitatis gradum eos evexit, tanto graviùs ubi peccarunt in ipsos animadvertit. Nadab & Abiud in quadam divini cultus ceremonia deliquerunt, prosilijt ignis repentè à Domino, quo ipsi conflagrati sunt.
Lev.10. v. 3. *Sanctificabor enim* (inquit Dominus) *in ijs qui appropinquant mihi , & in conspectu omnis populi glorificabor.* Plures in ipso cœtu alijs in rebus peccaverant, sed à domo Domini judicium incipit. Et quantum differt pastor ab ovibus, tantum Sacerdotes debent ceteris virtutum gloriâ prælucere. Hinc tot sanctissimorum Patrum Canones & Decreta, quæ nobis eam ob rem muneris obeundi nostri rationem præscribunt, severis legibus vitia coërcent, impiorum comprimunt libidinem, frangunt ac retundunt audaciam. In illis autem constituendis Imperatores & Reges Christiani liberam semper Ecclesiasticis potestatem reliquerunt, ea tutati sunt, & suâ autoritate exequi mandarunt. Sic Constantinum, Valentinum, Theodosium, Arcadium, Honorium ac alios fecisse legimus. Quare præclara illa vox, & primi Imperatoris Christiani majestate digna: Mihi homini peccatis obnoxio nefas esse videtur Ecclesiasticorum virorum accusationes recipere & audire, earumque libellos combussit. Nam ut D. Ambrosius ait Valentiniano: Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ: aliud Paulus in Ecclesia, aliud Papinianus in foro. Quæ cùm ita sint, feliciter & præclarè nobiscum agitur, quòd tanta pietate Regem Christianissimum habeamus, qui ubi intellexit ex Synodis generalibus, & Tridentina maximè petenda esse remedia quæ ægrotæ mederentur Ecclesiæ, & quæ in illis sanctissimè statuta temporum injuriâ exaruerunt, Provincialibus Concilijs revirescere, nobis de Concilio in nostra Provincia ineundo cogitantibus non solùm addidit animum, sed ut ceteri idem in alijs sui Regni Provincijs agerent pro incredibili suo religionis amore & studio sibi gratissimum fore demonstravit. Illud igitur indiximus, convocavimus, convenimus, & cœptis à Deo opt. maximo tantæ rei agendæ primordijs nudata sunt palam, quæ sananda essent vulnera, medicinæ faciendæ locus liberis singulorum suffragijs datus est: unde vobis unum & idem sentientibus, atque pro sanctissimi istius operis felici successu plaudentibus, quæ communi calamitate & nostrûm omnium vitijs Ecclesia nostræ Provinciæ perdiderat ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ, ea sacrosanctis Canonibus & Decretis divini spiritûs auxilio freti restituenda curavimus. Quæ omnia, quâ debemus obedientiâ, autoritati ac judicio S. R. E. omnium Ecclesiarum matris & magistræ emendanda & corrigenda subjecimus, atque à sua sanctitate confirmata, & ex ejus etiam mandato in lucem edita ad vos mittimus: hortamúrque; atque præcipimus in Domino & per viscera misericordiæ Dei rogamus omnes & singulos volumen legis hujus habeant, non modò ante oculos Pharisæorum more, sed in animo penitus insitum. De cujus spatio & curriculo deflectere nostrûm nemo poterit, quin sit ei pœna ab ira Dei, & ab ipsis legibus expectanda, atque maxima levitatis & inconstantiæ fama subeunda. Quamobrem si honori nostro, & saluti consulere, si Ecclesiæ utilitati prospicere,

si dignitatis nostræ ornamento, & ceteris qui in nos oculos habent conjectos exemplo esse velimus, in hujus sacrosanctæ Synodi amplectendæ, tuendæ, & exequendæ studium incumbamus, de quod coram Deo & Angelis magna lectissimorum virorum frequentia sacris solemnibusque verbis promisimus, id ultro & sponte, omni studio, curâ, labore & diligentiâ reipsa cumulatissimè expleamus. Vos autem qui estis oves Domini, populus Dei dilectus, si quid in vobis Christianum redolet, illud etiam suscipite: & quantum distant oves ab hircis, lupis & leonibus, tantum efficite ne ulla cupiditatis, malevolentiæ, & arrogantiæ in animis vestris macula resideat. Vos inquam, quorum est legem Dei de labijs Sacerdotis requirere, nolite extinguere spiritum Domini, sed ut estis oves, ita humilitate & obedientiâ mitem & innocentem ovium naturam quoad fieri poterit imitemini. *Valete in Domino.* Datum Lutetiæ primo Kalend. Septemb. 1582.

BREVE APOSTOLICUM.


De Synodo Provinciali Rotomagi indicenda & celebranda.

GREGORIUS *Papa* XIII. *Dilecto filio nostro Carolo tit.* S. *Chrysogoni Presbytero Cardinali Borbonio nuncupato.*

DILECTE fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex frequenti Conciliorum Provincialium celebratione quantas superioribus temporibus Provinciæ ipsæ perceperint utilitates, satis docent ea, quæ ob eorum intermissionem & Clero & populis orta sunt, & quotidie oriuntur detrimenta: ea igitur ex Concilij Tridentini præscripto ubique, maximè verò in Galliæ Regno nobis multis nominibus carissimo, pro moderatione morum, excessuum correctione,& compositione controversiarum renovari, à prædictoque Concilio Statuta juxta formam ab eo traditam palam recipi cupientes, plurimum lætamur, te Ecclesiæ Rotomagensis ex dispensatione Apostolica Præsulem talem, tali pietate, generis nobilitate atque autoritate præditum in ista tua Provincia atque adeo in dicto Regno habere, per quem sanctum hoc opus in usum & lucem revocari posse speramus, conjicientes fore ut quod ipse feceris, multi alij & pietatis & nominis tui splendore adducti imitentur, tuoque exemplo excitati Dei causam spiritualiaque Provincialiũ suorum commoda libenter amplectantur. Quare nos paternæ in te nostræ caritatis affectu (quod satis fore arbitramur) dilectionem tuam etiam atque etiam hortamur, ut quamprimùm Provincialem Synodum in dicta tua Provincia indicas, & congreges, in eaque, quo decet religionis zelo, de ijs quæ in Provincialibus hujusmodi Conventibus agi eadem sancta Tridentina Synodus demonstrat seriò pertractes, & communi consilio exequi mandes: ut Christianæ Religionis rebus summo tuo in Catholicam fidem studio ibidem optimè constitutis, exemplóque alijs hujus sancti instituti renovandi proposito, & nos non frustrà lætatos esse in Domino gloriari possimus, & tu hujusmodi pietatis atque obedientiæ meritis promissam à Deo fidelibus

ſervis retributionem in futuro ſæculo conſequaris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 25 Aprilis, 1580. Pontificatûs noſtri anno octavo.

M. Datz.



LITERÆ INDICTIONIS.

CAROLUS *miſeratione divinâ tituli S. Chryſogoni ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyter Cardinalis à Borbonio nuncupatus, Rotomagenſis Archiepiſcopus, ac Normaniæ Primas; Reverendis Fratribus Epiſcopis, Decanis, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, Prioribus ceteriſque Eccleſiaſticis perſonis, quæ de jure vel conſuetudine Concilio Provinciali intereſſe debent, ſalutem in Domino.*

NEMINEM veſtrûm latere arbitramur, Fratres dilectiſſimi, Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ, morumque abuſibus corrigendis, priſcos illos patres, qui à primis Chriſtianorum temporibus Eccleſiam rexerunt: ſacrum generale Concilium Tridentinum, Regemque noſtrum Chriſtianiſſimum, ad cunctos hujus Regni ſtatus & ordines nihil magis congruum & neceſſarium, quàm frequentem in unaquaque Provincia Synodorum celebrationem, exiſtimaſſe, in quibus attrita reſarciantur, & collapſa reſtituantur; maculæ, quibus facies ſponſæ Chriſti fœdata eſt, abluantur: & ſtatuantur denique quæ ſuo reddendo Eccleſiæ ſplendori duce Spiritu ſancto judicantur neceſſaria. Quæ cùm mentem noſtram pro injuncto nobis munere ſæpiſſime ſollicitarent, optavimus ſanè nobis cœleſti favore donari, ut tempus convocandi Concilij Provincialis opportunum ſuccederet: quo aliqua ex parte noſtræ Eccleſiæ collabenti mederi poſſemus, ac manus præberemus adjutrices. Verùm huic noſtro deſiderio turbulentiſſimas procellas quibus Gallia noſtra turbata eſt, quæ animum noſtrum varijs anxietatibus publicè & privatim diſtorſerunt, vidimus adverſari. Quarum & ſi aliquando fluctus ceſſaturos Deo propitio ſperandum, tamen verentes ne dum malorum finem & publicam quietem expectamus, videamur potiùs deplorandis calamitatibus tempus terere, quàm adhibendis remedijs inhiare: exiſtimavimus noſtri officij eſſe convocationem ipſius Concilij non diutiùs protrahere. Ad quam noſtram intentionem acceſſit graviſſimum quidem, ſed nobis gratiſſimum, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Gregorij Pontificis maximi judicium, qui nos ad illius Synodi celebrationem non ita dudum ſuis literis excitavit, & currentibus (ut dicitur) calcar addidit. Quapropter quod univerſo Clero populóque nobis ſubjecto felix fauſtúmque ſit, Concilium Provinciale in noſtra Metropolitana Eccleſia Rotomagenſi, Dominicâ primâ Adventûs proximi inchoandum, & ſequentibus diebus celebrandum & terminandum indiximus, ac præſentibus literis indicimus & conſtituimus, ſperantes ea quæ in noſtro illo conventu Deo autore pro bono Eccleſiæ ſumus tractaturi, optandum finem conſecutura. Itaque hortamur

tamur vos fratres dilectissimi, & sub divini obtestatione judicij monemus atque injungimus, ut posito omni excusationis (nisi quæ legitima fuerit, & per ipsum Concilium approbanda) obtentu, die præstitutâ Rotomagum nobiscum conveniatis: ubi conjunctis animis communibusque studijs & precibus à Spiritu sancto consilium impetremus, eoque ductore & moderatore constituamus & decernamus salubria pro Dei cultu, populorum nobis commissorum utilitate, & Ecclesiarum nostrarum splendore & regula, ut sit illud futuris norma, & præsentibus vitæ veteris emendatio, sedulitate nostrâ in pristinum statum revocantes quicquid ab antiquis patribus fuit statutum: Sed quod incuriâ nostrâ & corruptorum temporum licentiâ, modò cernimus imminutum vel potiùs obliteratum, ut vigore disciplinæ recepto possint mala corrigi, & non admittenda damnari. Ceterùm quo paratiores, & eorum, de quibus certius fieri Concilium voluerit, rationem reddere possitis, rogamus ac præcipimus in Domino, ut diligenter inquiratis, si quid per vestras Ecclesias temporum injuriâ, & hæresium labe, animadversione & censurâ dignum obrepserit, maximè circa ritus & observationes Monasteriorum Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, quarum statuta per deputandos ab eisdē volumus, in dictonostro Concilio exhiberi, cognituro si quid fuerit neglectum, vel additum, aut pro ratione temporis expedierit immutandum vel innovandum. In quorum fidem & testimonium præsentibus literis manu propriâ subscriptis sigillum nostri Archiepiscopatûs apponi madavimus & jussimus. Datum in Castro Regio Fontis-Blaaldi, anno Domini 1580. die vigesimâ septimâ Septembris.

CAROLUS Cardinalis à Borbonio.

Per Illustrissimum & Reverendissimum D. meum D. Cardinalem.

TESTU.



LITERÆ PROROGATIONIS.

CAROLUS *miseratione divinâ tituli S. Chrysogoni sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis à Borbonio nuncupatus, Archiepiscopus Rotomagensis, Normaniæ Primas; Reverendis Fratribus Episcopis, Decanis, Capitulis, Abbatibus, Conventibus, Prioribus ceterisque Provinciæ nostræ personis, quæ de jure vel consuetudine Concilio Provinciali debent interesse, salutem in Domino.*


SYNODUM Provincialem in Metropolitana Ecclesia nostra Rotomagensi Dominicâ primâ Adventûs proximi inchoandam, & quoad terminaretur celebrandam vobis indiximus, & pro officij nostri ratione præcepimus, eò omnes nullum excusationi locum relinquentes conveniretis. Sed quoniam paucis abhinc diebus in adversam incidimus valetudinem, quâ nos levari quando Deo placebit incertum est, cogimur in aliud tempus magis idoneum, Dominicam scilicet quæ dicitur *Quasimodo*, proximam post

Resurrectionem Domini, Synodum illam differre & prorogare. Quamobrem vos iterum rogamus, hortamur, & in Domino præcipimus, ut in hac dicta die eamdem Ecclesiam nostram omnes ad Ecclesiarum nostrarum disciplinam & morum nostrorum integritatem restituendam mente, voluntate, studio, virtute, voce consentientes: & ad ea quæ superiori nostræ convocationis edicto continentur, agenda omnia ac statuenda conveniatis. In cujus rei fidem & testimonium, præsentes literas manu nostrâ subsignatas per Secretarium nostrum signari, sigillique nostri appositione muniri jussimus. Datum Casto nostro de Gallione, anno Domini 1580. die verò 28. mensis Octobris.

CAROLUS Cardinalis à Borbonio.

Per Illustriss. & Reverendiss. D. meum D. Cardinalem.

DE MAINTETERNES.



ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARDINALIS ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSIS Ad Synodum Provincialem cohortatio.

TANDEM aliquando, F. R. diuturni desiderij nostri finem hodiernus dies attulit, seriùs omnino quàm optabamus, sed oportuniùs quàm sperare potuissemus. Graves enim reip. nostræ Christianæ casus, ut ex Regis Christianissimi literis facilè perspexistis, alias semper ex alijs remorandi causas attulerunt, quæ me ab hoc jucundissimo conspectu consessúque vestro invitum avocarunt. Quamobrem magna Deo habenda est gratia, cujus singulari beneficio ne diutiùs suspensa expectatio vestra teneatur, licet vos ijsdem verbis affari, quibus Judas Machabæus fratres suos hortabatur. *Ascendamus mundare sancta, & renovare.* Nam quemadmodum fortissimus ille dux populi Dei victis hostibus ascendit suo cum exercitu in loca sancta, ubi cùm sanctificationem desertam, & altare profanatum viderent, sciderunt vestimenta sua, planxerunt planctu magno, & id sibi negotij crediderunt solum dari, instaurarent eversum Dei templum, & quod pollutum fuerat mundarent: *Sic nos existimet homo ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*, ut convocato & coacto hoc nostræ Provinciæ Concilio hùc nos paremus, hæc cogitemus, hæc moliamur: ut divini spiritûs auxilio labentem Ecclesiæ nostræ statum, cujus splendor omnis in disciplina & moribus nostrâ omnium culpâ penitus obsolevit, in integrum quoad fieri possit restituamus. Quamvis autem clarissimus hic ordinis Ecclesiastici consessus, juxta sanctorum Conciliorum Decreta convocatus, unica istius curandæ & agendæ rei ratio atque via esse possit: tamen existimare debemus Provinciale Concilium esse instar probaticæ piscinæ, ut malis nostris mederi nequeat, nisi descendat Angelus de cœlo qui moveat aquam, & sanctificationem nostram desertam sanctificet. Tunc enim descendit Angelus cùm in nomine Dei sumus congregati, id est, quando

1. Cor. 1. v. 1.

quærimus non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Et aquam movet, ut ſani ſimus; ſi, quoniam omnes de recto curſu deflexerunt, quiſque noſtrum culpam ſuam liberè fateatur, contentionem omnem hac ſancta Synonodo prorſus indignam fugiat, nec ex alienis peccatis ſuis quærat excuſationem. *Juſtus enim*, ut ait Sapiens, *eſt accuſator ſui: atque ſi nos ipſos judicaremus non utique dijudicaremur.* Quare ſi Moïſi, & poſtea Joſue dictum fuerit, *locus ubi ſtas, terra ſancta eſt: Solve calceamentum de pedibus tuis:* quid agere nos oportet? nos inquam qui non ſolùm pedibus terram ſanctam premimus, ſed quem cœli & terra non capiunt, manibus ipſis attrectamus, non calceamenta tantùm, verùm etiam pallium Ægyptiacæ mulieri, id eſt, omnia quæ nos ab hoc ſanctiſſimo opere & inſtituto avocant, debemus miſſa facere. At verò ſi honoris & ſalutis noſtræ negligentes adeò fuerimus, ut nos non moveat hujus noſtri ratio officij, moveat ſaltem animarum ſalus, quas cùm Chriſtus non auro, non argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine redemerit, de manibus noſtris quibus commiſit, eſt repetiturus. Moveat nos omnium expectatio, qui in nos oculos habent conjectos, & quicquid in hac ſancta Synodo pro communi Eccleſiæ noſtræ bono ſtatuerimus, ad idem agendum occaſionem ſibi datam fore putabunt. Plura dicere non eſt opus. Tria ſunt enim in rebus omnibus peragendis neceſſaria, ſcire, poſſe, & velle. Scimus omnes quæ ſit noſtri cauſa, & medicina mali. Poſſumus ei divino freti numine mederi. Reſtat igitur velimus. Itaque vos Reverendiſſ. & omnes amantiſſimi Fratres per viſcera miſericordiæ Dei oro, obſecro & moneo, ut conjunctiſſimis animis, quod ait Apoſtolus idem ſentiamus, idem loquamur, idem agamus omnes, in ſpiritu humilitatis & manſuetudinis, ne tempus hoc nobis divinitus oblatum & conceſſum ſine optato & expectato ſtudiorum ac laborum noſtrorum fructu dilabi ac prætermitti patiamur. *Aſcendamus igitur mundare ſancta & renovare.* Sed tu Domine qui dixiſti, quoties duo aut tres congregati fuerint in nomine tuo, te fore in medio eorum, memor eſto congregationis hujus quam poſſediſti ab initio. In illam ſpiritus tui gratiam effunde, in cujus lumine videamus lumen. Tu qui via, veritas es, & vita, viam quâ nobis ingrediendum & incedendum ſit, facilem & rectiſſimam aperi, ut quâ fide invictiſſimi populi tui Duces Machabæi aſcenderunt in montem ſanctum Sion, ubi loca ſancta everſa ædificarunt, polluta mundarunt, & renovarunt: Nos qui jam aſcendimus in hunc habitationis tuæ locum, poſſimus eodem animo, curâ, ſtudio & virtute neglectam & intermiſſam in domo tua fidei noſtræ commiſſa diſciplinam repetere ac revocare, & quod noſtris corruptis moribus dilapſum eſt, corrigere, firmiſſimiſque conſtitutionibus & Decretis vincire, ut quam optamus hujuſce Concilii vim & effectum feliciſſimè conſequamur.

1. Cor. c. 11. v. 31.





CONCILIUM PROVINCIALE ROTOMAGENSE

Anno Domini 1581. habitum Rotomagi ſub illuſtriſſimo Principe & Cardinale à Borbonio, Archiepiſcopo Rotomagenſi, Primate Normaniæ

Omnia à ſanctiſſimo D. N. Papa probata & confirmata.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

CAROLUS *miſeratione divinâ tituli ſancti Chryſogoni ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis à Borbonio nuncupatus, Rotomagenſis Archiepiſcopus, ac Neuſtriæ Primas, omnibus præſentibus & futuris ſalutem.*

NOtum facimus, quòd anno Domini 1581, Pontificatûs ſanctiſſimi D. N. Papæ Gregorij decimi tertij anno nono, necnon & Regni Chriſtianiſſimi Regis noſtri Henrici tertij anno ſeptimo. Cùm ex omnibus partibus noſtræ Provinciæ Rotomagenſis plures Epiſcopi, abſentium procuratores, Eccleſiarum Cathedralium & Capitulorum delegati, Abbates, Priores, alijque viri Eccleſiaſtici in noſtram Eccleſiam Metropolitanam veniſſent, in qua Deo auſpice Concilium noſtrum Provinciale die Dominicâ vigeſimâ tertiâ Aprilis apertum & inchoatum eſt, nihil omnibus potius fuit, quàm cum ſummo affectu, ut ſancti Concilij Tridentini Decreta hoc in Regno

promulgata essent, exoptare. Cujus rei causa nostra hæc Synodus unanimi consensu ipsum Christianissimum Regem nostrum, ut pro sua singulari pietate illud Tridentinum Concilium (quo labenti Reip. Christianæ accurratissimè subvenitur) sicut non ita pridem hujus Regni ordines sive Status Blesijs, & Clerus nuper Meloduni congregatus factitarunt, promulgari juberet humillimis precibus sollicitare decrevit. Verùm quoniam multa visa sunt, quæ dilatione non indigent, ordinanda de fratrum nostrorum Coëpiscoporum consensu, eorumque qui huic Synodo interfuerunt consilio, dum hujusmodi promulgationem speramus & expectamus, quæ sequuntur pro temporum necessitate & Provinciæ nostræ statu, sub ejusdem Domini nostri beneplacito ad Dei laudem, & Ecclesiæ amplificationem, in nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, statuere duximus.

CAPITVLA.

DE FIDE ET RELIGIONE.

1. MPRIMIS vetera Concilia tam generalia quàm Provincialia imitati, ut profiteamur unius sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fidem & religionem, excommunicamus & anathematizamus juxta Lateranense Concilium, omnem hæresim extollentem se adversus orthodoxam & Catholicam Ecclesiam; universos insuper, qui aliter quàm Catholica, Apostolica, & Romana credit & prædicat Ecclesia, credere & pertinaciter asserere attentant, ejusdem Concilij autoritate velut hæreticos & pertinaces, atque à communione fidelium separatos declaramus. Ecclesia quippe universa errare non potest, quæ regitur spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi: quæ etsi diversa ac nonnunquam pugnantia proposuisse videatur Decreta de morum disciplina, nihil tamen est in tanta Decretorum multitudine, quod fidei orthodoxæ adversetur, sed ab uno eodemque spiritu edocta pro conditione temporum statuit quod videbatur commodius. Ejus itaque doctrinæ & fidei inhærentes, quam postremò pro necessitate hæreseon & temporum edidit veritatis confessionem in generali Synodo amplectimur, & profitemur: & ex ea tamquam ex fidei regula, probari & internosci in nostris Ecclesijs statuimus veros fideles à quibuscumque hæreticis, atque à fictis & simulatis in Fide Catholica & Religione Christianis.

2. Propterea eamdem Confessionem statuimus exigi & signari ab omnibus promovendis ad sacros Ordines, & ad quæcum-

que beneficia, officia atque onera Ecclesiastica antequam de illis provideantur, seu ad illa recipiantur, juxta formam præscriptam in Bulla fe: re: Pij Papæ IV. super forma professionis fidei. Inter ipsos autem volumus comprehendi scholarum, fabricarum, hospitalium, fraternitatum, & quarumcumque communitatum piarum, Magistros, Rectores, Sodales & Administratores: & singulis annis in Synodis Episcopalibus sive Kalendis eamdem Confessionem à Curatis seu Vicarijs repeti, sicut ab omnibus Canonicis, Capellanis ac Religiosis in Capitulis suis generalibus, quæ quotannis celebrantur. Idem decernimus fieri à redeuntibus à quacumque hæresi ad Catholicam Ecclesiam, ut ad ipsam quasi ad Lydium lapidem examinentur. Ad eum igitur finem illius confessionis formulam hìc transcribi ad verbum & inseri curavimus.

FORMULA PROFESSIONIS FIDEI.

1. EGo *N. firmâ fide credo & profiteor omnia & singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum patrem omnipotentem, Factorem cœli, & terræ, Visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem. Qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector.*

2. *Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi juxta*

unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis (licet non omnia singulis) necessaria. Scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine sacrilegio reïterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali & justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem unà cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem. Quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes venerandos & invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre. Atque eorum Reliquias esse venerandas firmissimè assero. Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem esse impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco: Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cetera item omnia à sacris Canonibus & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc verò Catholicam fidem extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo: eamdem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo juvante, retinere & confiteri, at-

que à meis ſubditis vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, & juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

DE CULTU DIVINO IN GENERE.

1. PRIMA ac præcipua pars cultûs divini in animo conſiſtit, ut priùs diligamus & veneremur Deum in veritate ac corde perfecto: deinde verbo atque opere, ut de nobis non dicatur: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*: ita ut Chriſti atque ejus ſponſæ Eccleſiæ mandata obſervemus, nec diabolicæ fraudis figmenta, nec humanæ rationis inventa, nec privatas quorumcumque locorum conſuetudines, ac plerumque potiùs corruptelas, præceptis ejuſdem Chriſti, & Eccleſiæ anteponamus, aut ex illis iſta irrita faciamus.

2. Quocirca hortamur noſtræ Provinciæ Epiſcopos, ut diligenter inſpiciant & examinent ſuarum Diœceſeum Preculas horarias, Breviaria, Miſſalia, Agendas ſeu Manualia Curatorum, atque alios libros Eccleſiaſticos ac cæremonias, ne quid contineant contrarium doctrinæ Catholicæ, aut veris hiſtorijs Sanctorum, aut ſortilegijs affine, aut aliquid quod ad ædificationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & morum pietatem non pertineat: ſed libros emendatos quoad fieri poteſt, ſervato uſu Diœceſeum: juxta tamen conſtitutiones ſanctæ memoriæ Pij V. ſuper Breviario Romano & Miſſali, ex Decreto ſacroſancti Concilij Tridentini reſtituto & edito, procurent imprimi, & provideant ut in omnibus Monaſterijs, Parochijs & alijs Eccleſijs, atque ab omnibus ad ſacros Ordines promovendis, libri ad divinum officium neceſſarij habeantur. Promoti verò ſciant ſe ad Breviarium obligari, ac Romanum trium quotidiè lectionum à Cadinali S. Crucis compoſitum, à ſacroſancta ſede Apoſtolica ſublatum ſibi omnino prohiberi. Sciant inſuper beneficiati, qui Breviarium recitare neglexerint abſque legitima excuſatione, graviter peccare, & ſuorum beneficiorum fructus pro rata omiſſi officij & temporis ſuos non facere, ſed eos tamquam injuſtè perceptos, in fabricas hujuſmodi beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneri, ex proximi Lateranenſis Concilij Decreto per ſanctæ memoriæ Pium V. declarato. In Breviarijs, quæ Epiſcopi curabunt imprimi, videant ut feſta novem lectionum, ſe-

miduplicia

miduplicia & minora quæ diebus Dominicis occurrerint, transferantur in proximam feriam ſimili feſto carentem, & fiat de Dominica. Invigilent etiam Epiſcopi, ut cæremoniæ cordis & religionis indices, fidei, veritati, puritati cordis & devotioni decenter reſpondeant, atque alios ædificent & excitent.

2. Admoneri per omnes Dominicas jubemus populum, nemini licere libros ſortilegorum, libertinorum, quorumcumque hæreticorum, aut alios damnatos à ſede Romana apud ſe ſcienter retinere aut legere ſine licentia Sanctiſſimi D. N. Papæ: ſed retinentes aut legentes, excommunicationi ſubjacere. Et pro excommunicatis, in eodem Pronao, per eoſdem dies inter ſortilegos & uſurarios volumus denuntiari: à confeſſarijs quoque de hoc pœnitentes interrogari. Idem fieri ſtatuimus de retinentibus apud ſe, & fidem adhibentibus Aſtrologorum libris, & prognoſticis de occulta Dei providentia. Nam à Dei metu & cultu avertunt, atque ad idololatriam inducunt, ad ſerviendum creaturæ potiùs quàm Creatori, tribuentes cœlo quod debetur ipſi Deo, & quod eo permittente poſſunt homines aliquando reſcire ex diabolo, ad noſtram propter peccata deceptionem & pœnam.

3. Sicut omnes hæreſes ferè deſierunt in Magiam, ac regnum Sathanæ: ita dolendum nobis in hoc regno pleriſque in locis ab hæreſeum licentia, maleficia paſſim invaleſcere, & Matrimonijs atque vitæ hominum ac fortunis inſidiari: quibus quâ ratione poſſumus ut occurramus, præter excommunicationem per omnes Dominicas iterandam, volumus in noſtris Diœceſibus contra maleficos, atheiſtas, & libertinos inquiri, eóſque ſecundum Canonicas ſanctiones invocato (ſi opus fuerit) brachij ſæcularis auxilio puniri.

4. Novimus & experimur aſtutias diaboli ad derogandum cultui Dei, ac Sanctorum, & ad ſuum ſubſtituendum in illius locum. In noſtris enim Diœceſibus nundinas publicas & mercatus per omnia feſta ſolemnia Apoſtolorum & aliorum Sanctorum ferè deprehenditur diſpoſuiſſe: in quibus non ſolùm avertit populum ab Eccleſijs frequentandis, & officio divino ac ſacris concionibus audiendis, necnon ad negotia ſæcularia diligentiùs quàm alijs diebus exercenda provocat contra feſtorum inſtitutionem ſed inſuper ad augendum ſacrilegium, fallacias, fraudes, perjuria, blaſphemias, contumelias, proximorum offenſiones & in-

jurias, atque impudica & obſcœna ludicra in his admiſcet, ut totum hominem perdat in Sabbatho, ac ſibi ſubjiciat. Dies Dominicos verò videbatur ab illis nundinis eximere, ſed eos non diſſimili ſacrilegio fœdavit ac profanavit. In ipſis enim ab antiquo, maximè per æſtatem, ſicut in peculiaribus Parœciarum feſtis, conventus & proceſſiones vicinorum populorum ad certas Eccleſias indicebantur, ad audiendum verbum Dei, orationem & ſacrum publicum faciendum, atque ad eleemoſynas pauperibus impartiendas, quas à Græca dictione χάριτας, id eſt, gratias per vocis corruptionem Caroncas vocabant: Sed diabolus eleemoſynas vertit in crapulas, orationem in choreas, & concionem in ſcurrilitatem.

5. Ad has feſtorum profanationes mundandas decernimus nundinas omnes ac negotiationes à quibuſcumque feſtis in alios dies rejici: dominos verò locorum eorúmque procuratores & actores ſeu judices excommunicari, ſi Dei mandatis & Eccleſiæ de obſervatione feſtorum parere noluerint, & ad ſuas nundinas alios deligere. Diebus autem Dominicis, atque alijs feſtis ſub eadem pœna, & alijs à ſacris Canonibus & Eccleſiaſticis conſtitutionibus ſancitis vetamus vecturas, atque omnia alia opera ſervilia fieri; approbantes & renovantes conventus & proceſſiones populorum ad devotionem; & in quibus locis convenerint præcipimus Curatis, ut paratum habeant concionatorem, qui verbum Dei prædicet bis in die, ſi fieri poſſit, ut contineatur populus in pietate, manè ſcilicet & à prandio, & hortamur antiquas eleemoſynas eiſdem in locis reſtitui.

6. Comeſſationes, ebrietates, ſumptus, lites, luſus improbos & inhoneſtos, choreas plenas inſanijs, cantilenas turpes, breviter omnem luxum & laſciviam, atque omnem feſtorum profanationem damnamus & reprobamus. Denuntiari autem volumus à Curatis ſeu Vicarijs eorumdem locorum in Pronao, eo die quo conventus fiet, omnes ex hujus Synodi Decreto excommunicandos, qui per contemptum feſtorum & Eccleſiæ, aut per contumaciam, prædictis rebus & non ſervitio divino vacaverint, dominóſque locorum, aut eorum procuratores, actores ac judices, ſi permiſerint, nec pro viribus impedierint.

7. Ut in urbibus & pagis omnes eodem die vacent ab operibus manuum, & ab illis ceſſent, eodem quoque die in omnibus Parœcijs unius Diœceſis feſta Dedicationis Eccleſiæ placuit cele-

brari, quem prout expeditiùs videbitur, Episcopus in Synodo Diœcesana assignabit. Quòd si die pro dedicatione constituto inciderit festum Patroni in aliqua Ecclesia, in proximam Dominicam ipsum transferetur.

8. Cùm deceat domum Dei sanctitudo, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus: sit ad Ecclesiam humilis & devotus ingressus, sit in ea quieta conversatio Deo grata, inspicientibus devota: quæ considerantes non solùm instruat, sed reficiat. Cessent in Ecclesijs fraternitatum & societatum quarumlibet concilia & negotia: cessent confabulationes quælibet: cessent vana, & multò potiùs fœda & profana colloquia. Eò nec libri nisi orationis & pietatis, nec alia nisi sancta inferantur. Cessent postremò quæcumque divinum possunt perturbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere: ne ubi peccatorum est venia petenda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendatur peccata committi. De quibus singulis Curati monebunt gregem suum, & per Censuras Ecclesiasticas auctoritate præsentis Synodi ferendas ad obedientiam cogent. Prohibemus insuper ne in Ecclesijs Cathedralibus aut alijs, pueri, aut alij quicumque, in festo SS. Innocentium theatralia aut ridicula exerceant.

9. Atque cùm nihil magis ornet Ecclesiam, quàm rerum omnium in ea ordo, sacrarium seu chorus Presbyteris sacra facientibus semper fuit assignatus. Eò tamen progreditur quorumdam laïcorum arrogantia, ut vix relinquant altare Sacerdotibus. Hos monemus in Domino, ut potiùs Publicanum imitentur in imo loco templi pro peccatis supplicem, & per humilitatem justificatum, quàm Pharisæum præ superbia ad inferos usque dejectum: Pro sua verò dignitate, statu & gradu, locum sibi unusquisque in Ecclesia capiat, sed sacrarium ad obeunda sacra sciat esse Sacerdotibus destinatum. Quisquis hac in re Ecclesiam per suos ministros monentem & rogantem non audierit, per hanc Synodum excommunicetur.

DE SACRAMENTIS.

1. UT populus fidelis ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipitur Curatis, cùm erunt administranda, ut potiùs illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent, ex doctrina in Catechismo Roma-

no tradita, ac ſtudeant ex digna, decenti & devota eorumdem Sacramentorum adminiſtratione, populum excitare ad ipſorum ſalutarem perceptionem. Prohibemus autem Curatis ac quibuſcumque Preſbyteris, ne ullum Sacramentum conferant, ac ne quidem confeſſiones audiant, niſi in ſuperpellicio, ſtola ac habitu Sacerdotali, ſed maximè in conſcientiæ puritate.

2. Antea in pleriſque noſtrarum Diœceſeum locis baptizati ab hæreticis, præſertim à Calviniſtis, redeuntes ad Eccleſiam catholicam, iterum tingebantur, hac ſub verborum forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, quia dubitabant nonnulli de valore baptiſmi, ab hujuſmodi hæreticis collati, eo quòd non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. Verùm quoniam illa formula baptizandi ſub conditione fuit introducta propter baptiſmata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri ſeu alteri privatim baptizanti credi debebat. Contrà verò conſtabat Calviniſtas in cœtu publico baptizare in forma verborum & materia à Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat: vetamus ablutionem repeti cum quibuſcumque verbis, à Calviniſmo aut alijs hæreſibus ſimiliter baptizantibus ad noſtras Eccleſias tranſeuntibus, ne de Anabaptiſmo redarguamur.

3. Ex antiquorum Chriſtianorum more & traditione præcipimus, quamprimùm commodè fieri poterit, natos pueros ad baptiſmum deferri propter ejus neceſſitatem: nec niſi ad eorum ſalutem ſpectantia, & quæ pietatem Chriſtianam fidémque de Sacramentis ſapiant, adhiberi. Aliter ſine juſta cauſa agentes, cum Curatis ſeu Vicarijs id fieri non improbantibus, excommunicatione & ſuſpenſione dignos judicamus, ſicut & Sacerdotes privatis in domibus vel noctu (citra neceſſitatem) baptizantes.

4. Parœcus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab ijs ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem virum aut quam mulierem elegerint, ad baptizandum de ſacro fonte ſuſcipiendum, & videat an ad minus ſint quatuordecim annorum, aut alterius competentis ætatis, ut religionis & ſalutis alterius ſint fidejuſſores & ſponſores: nec ſinat paganorum aut alia ridicula nomina infanti imponi.

5. Nomina verò parentum atque baptizati, necnòn ſuſcipientium, cum die & anno Parœcus deſcribat, ac doceat eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excuſari valeant.

6. Ceterùm cùm ex ſacro Concilio Tridentino unus tantùm, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter eos & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm ſpiritualem cognationem contrahi declaramus.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1. IMPERFECTUM, nec omnibus ſuis armis inſtructum militaturum Chriſtianum majores noſtri judicarunt eum, quem non corroboraſſet Confirmationis Sacramentum, ſed neſcimus quâ negligentiâ in noſtris Diœceſibus accidit, ut ne quidem à pleriſque ſciatur, an ullum ſit Confirmationis Sacramentum, & pauci de illo ſuſcipiendo ſint ſolliciti. Qua de cauſa monemus omnes Parœcos, Vicarios & Concionatores, ut initio Quadrageſimæ, & quoties occaſio ſe obtulerit, de ejus virtute & utilitate doceant populum.

2. Epiſcopi ad levamen populi per oppida ſuæ Diœceſis frequentiùs ad hoc Sacramentum Confirmationis gratis conferendum obambulent: Adultis non niſi confeſſis & profitentibus Symbolum Apoſtolicum tradant. Jubeant verò ut mundâ & nitidâ fronte accedant, & nomina confirmatorum in libro deſcribi, ne fortè contingat ipſum Sacramentum iterari.

3. Caveant autem pater & mater, ne liberos ad Sacramentum Confirmationis teneant, propter cognationem quæ in hujuſmodi Sacramento inter confirmatum & tenentem, quem patrinum appellant, contrahitur.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

1. EX indigna adminiſtratione & perceptione ſacroſanctæ Euchariſtiæ Apoſtolus non ſolùm mortem æternam & judicium imminere teſtatur, ſed & morborum popularium cauſam & originem procedere: quod noſtris ſæculis & Eccleſijs terrorem maximum incutere debet, propter Sacerdotum in celebratione Miſſarum ſummam & quotidianam ferè irreverentiam. Quàm enim illotâ conſcientiâ ac pollutâ accedant ad ſacrificandum, aut quàm parùm ſtudioſè ac piè dijudicent corpus Domini, ſatis arguunt ſordes Calicum, Corporalium, Mapparum, atque omnium ornamentorum, quibus decet venerari tantum religio-

nis Christianæ Sacramentum & sacrificium.

2. Ad medendum itaque huic indignitati, præcipimus ut Sacerdotes sibi conscij alicujus mortalis peccati, non nisi confessi, quoties copia alterius Sacerdotis illis fuerit, nec nisi mundo corde & jejuni audeant ad altare accedere. Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.

3. Suos Calices stanneos (ut toti niteant) omnibus septimanis linteo atque etiam sabulo cum aqua ne negligant detergere, quod in piscinam aut alium sacratum locum effundant. Corporalia quoque à se aut ab honestiori quopiam Sacerdote aut etiam tantùm Subdiacono ablui de trimestri in trimestre curent, sed albas & mappas frequentiùs: ita ut nitor & mundities maxima in illis, & decor in alijs ornamentis reluceat.

4. Porrò venerabunda ac devota ad altare eorum actio & pronunciatio præ se ferat & ostendat fidem & intentionem, quam habere debent de Christi & Angelorum in sacrificio præsentia.

5. Ad excitandam & intercipiendam quorumdam in hac re socordiam & incuriam, Episcopi per se aut per suos Officiarios sicut per alios qui de jure vel consuetudine possunt, quoties voluerint (etiam si illo anno Archidiaconus visitaverit) gratis visitent Ecclesias, & Presbyterorum sacram suppellectilem, necnon de ipsorum officio inquirant. Compertos verò negligentes graviter coërceant aut carcere aut aliâ pœnâ: quin etiam Curatos puniant, qui suis in Parœcijs abominandos illos Presbyteros admittunt aut ferunt. Archidiaconi & Decani rurales, si in his exequendis negligentes fuerint, sciant se quoque pœnis Canonicis coërcendos.

6. Neminem præterea, qui publicè & notoriè criminosus sit, præsertim per sententiam declaratus, altari ministrare permittant: néve patiantur Parœci privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, aut ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem quoque Ordinarijs visitanda, sanctum hoc Sacrificium Missæ à quovis Sacerdote peragi.

DE MATRIMONIO.

1. OPTAREMUS sanè publicatum esse in hoc regno primum decretum Concilij Tridentini de reformatione Matrimonij, ut nobis liceret ex eodem Matrimonia irrita & nulla declarare

& decernere, quæcumque contrahuntur ſine Parœci aut alterius Sacerdotis (de ipſius Parœci ſeu ordinarij licentia) & duorum vel trium teſtium præſentia, atque inde gravibus peccatis occurrere, quæ de conjugijs clandeſtinis ortum habent : præſertim eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore cum qua clàm contraxerint, relicta cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Quibus malis nullum efficacius quàm quod à Patribus Tridentini congregatis remedium adferri poteſt.

2. Attamen ne omnino noſtro officio hac in re deeſſe videamur, moneri in concionibus fideles jubemus de hoc peccato & decreto Concilij Tridentini : Clandeſtinas verò conjugationes antiquis ſanctionibus Eccleſiaſticis excommunicationi & alijs pœnis ſubjici : Preſbyteros inſuper qui contra formam illius decreti clandeſtinè alios copularint, ſuſpenſos à divinis ipſo facto pronunciamus.

3. Antequam contrahatur Matrimonium, ter à proprio utriuſque contrahentium Parœco tribus continuis diebus Dominicis, aut feſtis ſolemnioribus, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium ſit celebrandum. Quòd ſi nullum denuntiationibus factis, opponatur legitimum impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Eccleſiæ procedatur : ubi Parœcus viro & muliere interrogatis, & amborum conſenſu intellecto, vel dicat : *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti :* vel alijs utatur verbis, juxta receptum Provinciæ noſtræ ritum.

4. At quando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitiosè impeditum iri, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parœco cum duobus vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur : Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, faciliùs detegantur.

5. Denuntiationes autem vel omnino vel ex parte remitti poſſunt pro ſolius Ordinarij judicio, non tamen abſque cauſa legitima & rationi conſentanea, præſertim ſi qua ſit juſtarum oppoſitionum ſuſpicio. Petitur verò frequentiùs denuntiationum remiſſio ad cavenda maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam exercentur, vel ad declinandam populi inſultantis diu noctúque, nuptijs maximè ſecundò aut tertiò repetitis, laſciviam.

6. Contra maleficia, & ut dignè Sacramentum recipiant hortamur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduò ante Matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedant. Sacerdos verò ne ullum det maleficijs locum, cautiùs & circumſpectiùs in nuptiarum benedictione ſe gerat. Nec omittant Parœciarum Rectores, populi circa nuptias petulantiam, ſub interminatione excommunicationis, advocato etiam (ſi opus fuerit) brachij ſæcularis auxilio compeſcere.

7. Nuptias ſolemniter fieri omnibus temporibus præterquàm ab Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum, uſque ad octavas Paſchatis incluſivè permittitur. Contra quos dies non eſt poteſtas Epiſcopis diſpenſandi, ſicut nec contra Concilium univerſale, quod illos dies ad nuptias illicitos eſſe conſtituit.

8. Pervenit ad hanc ſanctam Synodum, nonnullos, ut in gradibus prohibitis ſcienter contrahant, vel ut oppoſitiones juſtáque nuptiarum impedimenta devitent, vel ut extra tempora à jure ſtatuta ſine diſpenſatione conjugia ineant, alienas Parœcias adire, ut in ipſis benedictionem accipiant nuptialem. Quibus fraudibus ut occurratur, opportunum exiſtimamus quædam ſuper hoc negotio ſtatuere.

9. Si quis igitur Parœcus, vel alius Sacerdos ſive regularis ſive ſæcularis (etiamſi id ex privilegio vel immemorabili conſuetudine licere contendat) alterius Parœciæ ſponſos, ſine ſuorum Parœcorum licentia Matrimonio conjungere aut benedicere auſus fuerit: pœnis à ſacris Canonibus & generalibus Concilijs impoſitis puniatur.

10. Plerique ſcientes vel ignorantes in gradibus prohibitis & juſtis impedimentis, Matrimonium nihilominus contraxerunt, & in contracto perſeverare non erubeſcunt, non obſtante quacumque ſeparatione illis indictâ, ſententiâ excommunicationis in eos latâ. In tales nihil ſupereſt quod agere poſſimus, niſi quòd ſub anathemate ab omnibus vitari, & ab Eccleſijs repelli, atque contra eos brachium ſæculare per Promotores Epiſcoporum ex officij debito invocari præcipimus. Alios verò in divortio ita obſtinatos cernimus, ut nullâ ratione conciliari queant, aut reconciliationem ad paucos dies in Paſchate ſimulant, contra quos procedi ſimiliter jubemus.

Cùm

13 Cùm nefarium ſit Matrimonij libertatem violare, & à quibus jura expectanda ſunt, injurias naſci, omnibus cujuſcumque gradûs, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, in quam ipſo facto incurrunt, ſedis Apoſtolicæ & Conciliorum generalium autoritate præcipitur, ne quovis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos vel alios quoſcumque cogant, quominus libera Matrimonia contrahant. Parœcis tamen mandamus, ne facilè ad Matrimonia liberos invitis parentibus contrahentes, aut vagos recipiant & ignotos homines, qui plerumque relictâ uxore aliam, & nonnulli plures, diverſis in locis ducunt: ſed priùs diligentiùs inquirant de re, & eâ ad Ordinarium delatâ, ab eo quod decebit faciendi licentiam obtineant.

14 Grave peccatum eſt, homines uxore ſolutos concubinas habere: graviſſimum verò & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum, uxoratos in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere & retinere. Quare ut huic tanto malo opportunis remedijs provideatur, Decreta ſanctorum Conciliorum inſequendo, ſtatuimus concubinarios, tam ſolutos quàm uxoratos, cujuſcumque ſtatûs, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti concubinas non ejecerint, ſéque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe: à qua non abſolvantur, donec reipſa & cum effectu admonitioni paruerint. Quòd ſi in concubinatu per annum neglectis cenſuris permanſerint, contra eos ab Ordinario pro qualitate criminis ſeverè procedatur.

15 Mulieres, ſive conjugatæ ſive ſolutæ, quæ cum concubinarijs ſeu adulteris publicè vivunt, ſi ter monitæ obedire noluerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ punientur: & ab Eccleſia ejectas, per brachium ſæculare extra oppidum, atque etiam extra Diœceſim, ſi expedire videbitur, ijdem Ordinarij procurent ejici, alijs pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

DE EPISCOPIS ET CAPITULIS

1. EPiſcopi in ſpecula conſtituti, & ſupra montem poſitis ſicut debent omnium inferiorum actiones inſpicere, ita meminerint ſe omnium aſpectui exponi, nec poſſe abſcondi: propterea & in ſuis promotionibus, & in converſatione vitæ, oportet ipſos eſſe

irreprehenſibiles, ut de aliorum proviſionibus & geſtis poſſint efficaciùs cenſuram agere, omnibus prælucere, ac bonorum operum exemplum præbere.

2. Optamus omnes à Deo, atque à Chriſtianiſſimo noſtro Rege ſupplices precamur, electiones reſtitui cum veteri & ſincera eligendi forma. Sed quoniam impetrandi ſpes nondum oſtenditur, cùm contigerit ſedem vacare, preces & ſolemnes ſupplicationes ad Deum, ut gregi paſtorem det idoneum, fieri mandamus,

3. Præter inquiſitionem atque elogium, de fide, moribus atque ſufficientia ad Epiſcopatum provehendi, quod ad ſedem Apoſtolicam mittitur, ſupplicandum duximus ſanctiſſimo D. N Papæ, & ad dictam ſedem nomine hujus Synodi ſcribendum, ne ulli ad Epiſcopatum in noſtra Provincia proviſio expediatur, priuſquam noſter Metropolitanus conſultus reſcripſerit, de ratione & modis, quibus providendus perveniat ad Epiſcopatum, de ætate & ejus natalibus, ſi ſit de legitimo matrimonio procreatus, fide, vitâ, & doctrinâ ſufficienti. De quibus antequam reſcribat, conſulere debebit Suffraganeos ſi fortè aliquid reſciverint, quod ignoret, ut omni modo obſtruatur via ſimulatis Catholicis, Simoniacis, alieni ſacrilegij cuſtodibus & fautoribus, aut aliter indignè Epiſcopatus ambientibus & * occupantibus.

* fortè aucupátibus.

4. Poſtquam obtenta fuerit proviſio, niſi Epiſcopus intra tres menſes conſecrationis munus ſuſceperit, fructus quos ex Conciliorum definitionibus, ſuos non facit, ſeminarijs, atque alijs pauperum familijs, necnon fabricis Eccleſiæ applicandos judicamus, ſicut eos quos Epiſcopi ex Conciliorum Decretis, ſine debita licentia non reſidentes, amittere debent.

5. Obſervet Capitulum abſentiæ ſpatium, & ad D. Metropolitanum, (aut ejus ſede Metropolitanâ vacante) ad antiquiorem Provinciæ Epiſcopum, vel ad Concilium Provinciale, tempore quo celebrabitur referat, vt fructus quibus debentur locis aſſignentur.

6. Epiſcopus non recipiatur à Capitulo, niſi fidei profeſſionem, quæ ante promotionem ad Epiſcopatum requiritur, juxta formam in hoc Concilio Provinciali ſupra inſertam repetierit, & ſolemne juramentum præſtiterit, quòd per nec Simoniam, nec alijs illicitis modis intraverit in ovile.

7. Non recipiatur etiam Epiſcopus, niſi in Tonſura, & totius corporis habitu convenienti, ac rogetur, ut in ea decentia permaneat, & fiat forma gregis ex animo.

8. Suscepti ad Episcopale ministerium intelligant se non ad propria commoda, non ad divitias, non ad luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse.

9. Nec enim dubitandum reliquos fideles ad religionem innocentiámque faciliùs inflammandos, si præpositos suos viderint, non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, & cœlestem patriam cogitare. Imprimis ergo quod est præcipuum prædicandi genus, ita mores suos componant, ut ceteri ab eis, pietatis, frugalitatis, modestiæ, continentiæ, & humilitatis (quæ nos tantopere commendat Deo) exempla petere possint.

10. Quoniam omnis Pontifex ex hominibus assumitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia, Episcopi si non quotidie, studeant tamen omnibus diebus Dominicis ac festivis Missam celebrare, Ecclesiæ suæ Cathedralis quàm frequentissimè officijs interesse & præesse, prædicationíque verbi Dei, quoad poterunt, insistere, ac cetera pastoralia munera exequi.

11. Sint Episcopi modesto cum dignitate vestitu, mensâ, familiâ, ac frugali victu contenti, atque in toto vitæ genere ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quod non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum præ se ferat.

12. De ordine Cleri aliquos sibi retineant Episcopi ad suum ministerium, qui ad eorum mensam, libros ad pietatem & ædificationem spectantes legant, atque alijs de eorum conversatione fidele testimonium præbeant: nec mulieres alant, de quibus ipsi aut eorum familia infamari queat.

13. Episcopi videant, ne de reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésve ditent. Sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus distribuant, nec eorum causâ bona Ecclesiæ distrahant & dissipent: sed ut boni dispensatores sicut animarum, ita rerum Ecclesiasticarum parati sint Deo, & omni poscenti reddere rationem.

14. Non patientur Episcopi in suis familijs ullos de hæresi, aut alio crimine, aut scandalo notatos, aut suspectos. Decet enim Episcopum suæ domui benè præesse, & eam non solùm criminibus, sed etiam criminum suspicione carere.

15. Canonici Cathedralium Ecclesiarum, eâ sint morum integritate ornati, ut nomen suum tueri & retinere possint, ac præ alijs Clericis Canonici seu regulares ex observata Ecclesiasticæ disciplinæ perfectiùs regula nominari mereantur, à quibus cete-

ros ſtudium & amorem, ac tamquam regulam cultûs divini non pigeat accipere.

16. Propter Simoniacos aliáſque illicitas pactiones hoc tempore magno noſtro dolore frequentiores, nemini provideatur de dignitate, aut præbenda, aut Canonicatu, nec per Capitulum aliquis admittatur aut recipiatur, niſi prius inquiſitum fuerit de cauſis & modis quibus ad tale beneficium pervenitur.

17. Quòd ſi vehemens aut apparens mali ſuſpicio acceſſerit, nec tamen ſatis probari poteſt, ille cui proviſum fuerit, ad purgationem Canonicam ab Innocentio III. Pontifice Maximo in capite *Quoties*, & cap. *Inter ſollicitudines*, titul. *de purgatione Canonica*, in antiquis præſcriptam teneatur.

18. Inquiratur etiam de ejus cui proviſum eſt fide & anteacta vita ac conditione, ne ſit de quo poſteà Capitulum pudeat aut pœniteat. Idem fiat de his, quibus à ſede Romana provideatur in forma: *Dignum*.

19. Omnes in ſua proviſione & receptione coram Epiſcopo, ac etiam in Capitulo, fidei confeſſionem ex forma in hoc Provinciali Concilio recepta Canonici emittant, ac quotannis in ſuis Capitulis generalibus repetant, alioqui fructus non facient ſuos, nec illis aliqua poſſeſſio ſuffragetur.

20. Canonici ad ſacros Ordines intra ætatis tempus à jure præſcriptũ promoveantur: & cùm honorem Sacerdotalem adepti fuerint, ante ſemeſtre miniſterio Altaris inſervire incipiant, ac deinceps omnibus Dominicis & feſtivis diebus, atque etiam frequentiùs celebrent, niſi juſtum ab Epiſcopo & Capitulo probandum interveniat impedimentum.

21. Modeſto, & abſque ſericis in Eccleſia togis, & extra eam decenti veſtitu utantur, ac coronam in vertice capitis, morem antiquum inſequendo deferant: vitam & familiam ad præſcriptam Epiſcopis normam componant, atque à cohabitatione & ſcandalo mulierum maximè caveant: deprehenſi verò concubinariorum pœnis ſubjaceant.

22. Quòd ſi præterquam ex legitimo Matrimonio filios ſuſceperint, ſpurij ex ipſis nati, non in eadem Eccleſia, in qua pater Canonicus extitit, beneficium ullum, aut penſiones ſuper fructibus beneficiorum obtinere valeant. Quod etiam ad Epiſcopos & alios omnes Provinciæ beneficiarios extenditur.

23. Omnes Canonici, & qui dignitatem in Eccleſijs Cathedralibus

obtinent, ad reſidentiam actualem obligari decernimus, ſub pœna amiſſionis fructuum, niſi ex legitima cauſa explicanda & ſcriptis tradenda abſentes fuerint: ita tamen ut contra dignitatum, Canonicatuum, & præbendarum fundationes & inſtitutiones, non poſſit Capitulum judicare.

14. Inter juſtas abſentiæ cauſas habeatur, ſi unum aut duos de dignitatibus vel Canonicis Epiſcopus mittat, aut ſecum pro conſilio deducat, ad viſitandam Diœceſim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro religione vel Diœceſi urgens negotium, non tamen diutiùs excuſabuntur, quàm duraverit negotij neceſſitas.

15. Cùm dignitates in Cathedralibus Eccleſijs ad conſervandam augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtitutæ, ut qui eas obtinerent, præcellerent pietate, alijſque eſſent exemplo, meritò qui ad eas vocantur tales eſſe debent, qui ſuo muneri poſſint reſpondere. Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus cura animarum ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit, & Clericali in Ordine verſatus doctrinâ ad ſuum munus neceſſariâ ac morum integritate commendetur.

16. Decani ſeu præpoſiti, Archidiaconi, & Pœnitentiarij ſint in omnibus Eccleſijs, ubi fieri poterit, Magiſtri in Theologia ſeu Doctores, aut Licentiati in jure Canonico, non tamen per ſaltum promoti, & in quibus Eccleſijs non eſt præbenda annexa Pœnitentiariæ, nec Pœnitentiarius Canonicales diſtributiones percipit, annectatur. Non liceat autem Pœnitentiario beneficium Curatum aut aliud onus ſuſcipere, quod ab aſſidua reſidentia & quotidiano officio poſſit eum divertere.

17. Archidiaconi quotannis per ſe viſitent, & diarium ſuæ viſitationis ad Epiſcopum referant. Quòd ſi neglexerint, aut alia de cauſa per Epiſcopum dijudicanda fuerint impediti, per Epiſcopum aliquis Doctor in Theologia, aut alius idoneus repertus, & ab ipſo approbatus ad viſitandum deputetur. *Journal*

18. Cùm certum ſit Eccleſiam Cathedralem ab Epiſcopi cathedra denominari, ac Epiſcopum ad eam inſtitui, & de ea poſſeſſionem capere, ſatis abſurdam quorumdam opinionem exiſtimamus aſſerentium, omnem in Cathedralibus Eccleſijs autoritatem penes Capitulum & Decanos permanere. Proinde declarat hæc ſancta Synodus, præcipuam in ipſis Eccleſijs autoritatem, & rerum gerendarum poteſtatem ad Epiſcopos pertinere, eoſque cõ-

ſilio & operâ Capitulorum & dignitatum juvari debere, ut membrorum capiti cohærentium, & obſequentium, & ut omnia in domo Dei ordinatè & cum reverentia tractentur. Ceteris autem in rebus, Capituli, dignitatum, & Canonicorum juriſdictio & poteſtas, ſi qua eis competit, ſalva & intacta omnino relinquatur. Quod autem de Epiſcopo hac in re dictum eſt, perſonam Epiſcopi non excedat, nec ad ejus Vicarium extendatur.

29. Cùm itaque maximè ſit congruum rationi, ut Epiſcopis hic honos tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, illorum arbitrio relinquatur, primam ſedem in Choro eligere, in qua nemini liceat ſedere. In his verò Eccleſijs, in quibus ab antiquo non eſt illis qui dignitates obtinent, certus ſedendi deſignatus locus, Epiſcopus aut Capitula eiſdem ſedem dignitati convenientem, in qua alijs Canonicis ſedere non liceat, aſſignari curabunt.

30. Ceterùm cùm de ratione celebrandi officij divini accuratè in Concilio Baſileenſi fuerit ordinatum, præcipit hæc ſancta Synodus in illo Decreta: Quomodo divinum officium ſit ordinandum, & quo tempore quiſque debet eſſe in choro, ſtatuant renovari, ac diligenter & ſine fraude ab omnibus obſervari.

31. Tempore Miſſæ majoris, maximè diebus feſtivis, Capitula, ſeu actus Capitulares, aut alij tractatus per Canonicos non celebrentur, niſi fortè urgens & evidens ingruerit neceſſitas. Qui verò ad talem horam Capitulum indixerit, à diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neque ipſi Canonici pro illa hora diſtributiones ipſas lucrentur, & præterea liceat Epiſcopis poſt trinam admonitionem præſentis Decreti contemptores excommunicatione ferire.

Ex Concil. Baſil. enſi.

32. Quòd non ſit licitum ulli, quàm Epiſcopo, dignitatibus & Canonicis ad majus altare Miſſam celebrare: quam ipſi Decani & qui dignitates obtinent, ſuo ordine per hebdomadas, ſicut & alia divina officia perſolvere, ſuáque munera per ſe & non per ſubſtitutos adimplere, atque Epiſcopo Epiſcopalia officia exercenti inſervire teneantur. Multa ſanè pro Eccleſiæ decore ſtatuenda viſa ſunt, quæ tamen certis de cauſis ad futurum Concilium Provinciale remittenda exiſtimamus: & interim hæc ſancta Synodus Eccleſiarum Capitula hortatur, ut his in rebus morem Eccleſiæ Metropolitanæ quoad fieri poterit, inſequantur.

Præcipimus Capitulis, ut intra tres menſes omnia ſua ſtatuta bonâ fide ſuis Epiſcopis communicent, quæ ad hanc Synodum de-

buerant adferre. Curent autem Epiſcopi de ſtatutorum illorum obſervatione, in quibus cum ipſorum Capitulorum conſilio, aut immutent aut addant quæ videbuntur expedire, dummodo juri communi & ſacris Canonibus non adverſentur.

Si quis ejuſmodi ſtatuta aut alia inſtrumenta fundationum, bonorum, redituum, privilegiorum & jurium ad Epiſcopatum, aut ad Capitulum, aut ad aliquam dignitatem, aut Præbendam, aut Capellaniam, vel etiam ad quamcumque Eccleſiam & Monaſterium ſpectantium, apud ſe celaverit, nec intra ſpatium trium menſium à die publicationis hujus Synodi reſtituerit Epiſcopo, aut Capitulo, vel ipſarum Eccleſiarum & Monaſteriorum præpoſitis, maneat per hanc Synodum ipſo facto excommunicatus, nec ab Epiſcopo abſoluatur, donec juramento affirmaverit omnia à ſe reſtituta. Quod præſens Decretum volumus quotannis in Synodis Diœceſanis & Capitulis generalibus publicari.

Cetera quæ ad vitam & honeſtatem Canonicorum ſpectant, diligenter obſerventur: nec ſinantur ſæcularium hominum, aut litium aut negotiorum procuratores eſſe, aut actores, aut in laïcorum domibus habitare, & quas habent de Capitulis turpis lucri gratiâ laïcis locare, aut mercaturam exercere, aut ad uſuram dare, aut alium inhoneſtum quæſtum ſectari, aut illicitis luſibus, cibis & epulis, aut alijs rebus vetitis deditos eſſe, aut cum ſuſpectis & ſcandalo notatis viris & mulieribus verſari: ne propter illos Dei & Eccleſiæ nomen blaſphemetur, & Capitula ipſa infamentur.

Sicut non licet Epiſcopo res Eccleſiæ alienare ſine conſenſu Capituli vel ſuperiorum autoritate: ita viciſſim, nec Capitulo ſine cognitione, & licentia Epiſcopi, atque aliorum ſuperiorum. Propterea declaramus ſingulos de Capitulis excommunicationis ſententiâ innodari, nec eorum contractum valere, qui res mobiles miniſterio Eccleſiæ deſtinatas, ſive fundos & alias res immobiles Capituli aut dignitatis alicujus, aut præbendæ, aut Capellaniæ in Eccleſia conſtitutæ, aut fabricæ, inconſultis Epiſcopis, aut ſine eorum & ſuperiorum permiſſione, ac prætermiſſis alijs ſolemnitatibus, à ſacris Canonibus requiſitis diſtraxerint, & in ſua commoda verterint, ſed de ſacrilegio commiſſo teneri ad reſtitutionem. Quod idem de Epiſcopis ſentiendum eſt. Idcirco jubemus diligenter hinc inde inquiri, juxta Decretum Concilij Tridentini, ſi fortè iniquè alienata poſſint in inte-

grum restitui, aut ex vendentium bonis compensari: & deinceps si quid hac in re peccatum fuerit, volumus ad Dominum Metropolitanum aut Synodum Provincialem referri, ut de sacrilegorum pœnis statuatur.

37 Quæ de Cathedralibus Ecclesijs & Canonicis dicta sunt, placet ad Collegiatas & earum Canonicos, quoad fieri poterit extendi. In quibus si extra civitatem, in qua sedes Episcopalis existit, consistunt, optamus & decernimus, si fuerint saltem sex Præbendæ, unam Doctori Theologiæ seu Bacchalaureo, viro bono, exponendi & interpretandi sacram Scripturam perito, juxta Decretum Concilij Tridentini: eâ tamen lege & conditione, ut ipse non desinat extra prædicationis & lectionis tempora, Ecclesiæ cum alijs Canonicis deservire: alios verò Canonicos, ut favore studiorum aliquid de summo jure & horis ordinarijs remittant & indulgeant, hortamur. Patronos autem, & illos ad quos illarum præbendarum dispositio pertinet, rogamus in Domino, ut suæ & subditorum saluti & necessitati consulentes, nostræ propter Deum constitutioni obediant. Ecclesiæ verò, in quibus sacræ Scripturæ lectio commodè haberi non potest, saltem Magistrum habeant, qui Clericos aliósque pauperes scholares grammaticam gratis doceat, cui de congrua aliqua mercede juxta ejusdem Concilij Decretum provideatur.

DE EPISCOPORUM OFFICIJS.

1. EPiscopo creato, atque sibi & Ecclesiæ Cathedrali tamquam domui suæ bene præsidenti incumbit, alios inferiores ex sua consecratione ordinare, & super populum sibi commissum constituere, Ecclesias atque alia necessaria consecrare: ordinata verò, constituta & sacrata ex sua jurisdictione visitare, explorare ac judicare. De quibus per ordinem in nostris Ecclesiijs providendum.

2. Episcopus ante mensem quàm ordines conferat, per Decanos rurales in tota Diœcesi significet, ut qui ad Subdiaconatum admitti desiderabunt mandatum ab eodem Episcopo accipiant, quo ordinandorum Parœcus, aut alter cui magis expedire videbitur, committatur, qui nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, per tres dies Dominicos aut festivos publicè in Ecclesia proclamatis, sicut fit in matrimonijs, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inqui-

rat,

rat, & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittat.

3. Ordinationes ſacrorum ordinum ſtatutis à jure temporibus ac in Cathedrali Eccleſia vocatis, præſentibúſque ad id Eccleſiæ Canonicis, etiam ad majus altare, & inter Miſſarum ſolemnia publicè celebrentur. Si autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur.

4 Primâ Tonſurâ non initientur, niſi qui attulerint in ſcriptis fidele teſtimonium à Parœco quòd nati ſint de legitimo Matrimonio; & quòd Confirmationis Sacramentum ſuſceperint, quíque fidei rudimenta, & imprimis Symbolum Apoſtolorum noverint recitare, & de quibus fuerit probabile, eos non ſæcularis judicij fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

5. Promovendi ad ſacros Ordines duobus ſaltem diebus ante ordinationem, ad locum ab Epiſcopo deſignatum veniant, in habitu & tonſura decenti, alioqui non recipiantur.

6 Epiſcopus, aut illi quibus examinis committet negotium, ordinandorum genus, perſonam ac membrorum integritatem, ætatem, inſtitutionem, mores, anteactam vitam, doctrinam & fidem diligenter inveſtigabunt, & utrum in his quæ ad exercendum ordinem pertinent, ſint inſtructi: ſed ante omnia, ſi poſſint expeditè & diſtinctè legere in Eccleſia ac cantare atque etiam ſcribere, ne poſtea ſit omnibus manifeſta eorum inſcitia: Deinde ſi provectioris ſint ætatis, rogabunt de bigamia, de titulo patrimoniali, aut beneficiali, & quibus in Eccleſijs intendant inſervíre, ad eáſque ordinari: nec ullus ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate judicio ſui Epiſcopi aſſumitur, non aſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus. Ut poſtea in omnibus literis ordinum ſuſceptorum apponatur, ordinatos ad talem Eccleſiam, à qua ſine Epiſcopi licentia in ſcriptis tradenda, non liceat ad alienam etiam ejuſdem Diœceſis tranſire.

7. In examine Archidiaconi præſentes, aut Canonicus Theologalis, ab admiſſis & probatis fidei confeſſionem ex forma in hoc Concilio Provinciali recepta exquirant, & Pœnitentiarius interroget, an aliquâ irregularitate, vel excommunicatione obſtricti teneantur, unde à ſuſcipiendis ordinibus impediantur. Eoſdem verò ipſe, vel alius idoneus per ipſum commiſſus in confeſſione

audiat, antequam ab Epiſcopo conſecrentur.

8. Si Epiſcopus ægritudine vel aliquo juſto impedimento ab ordinibus conferendis avocatur, non aliter ſubditos ſuos, quàm hoc modo jam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittat.

9 Ex ſacri Concilij generalis præſcripto, nullus ad Subdiaconatûs ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Preſbyteratûs ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveri debet.

10. Moneantur in ſua promotione Subdiaconi, ut intelligant deinceps Deo autore ſe obligari ad continentiam, & ſaltem diebus Dominicis & ſolemnibus, cum altari miniſtraverint, ad ſacram Communionem percipiendam, ſicut & Diaconi, & utroſque ad Breviarium recitandum teneri declaramus. Qui verò ad Preſbyteratûs ordinem aſſumuntur, diligentiori examine comprobentur, an ſint periti & idonei ad docendum populum, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, necnon ad Sacramenta adminiſtranda, diſcernendúmque inter lepram, & lepram & peccatorum differentiam, ac caſus Parœcis conceſſos, & Epiſcopis atque Pontifici Romano in foro conſcientiæ reſervatos. Sint verò ita pietate & caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum omnium exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari.

11. Moneantur inſuper, ut intra ſemeſtre ſine alterius cujuſcumque licentia, Miſſam primam celebrent, & deinceps repetant ſaltem omnibus diebus Dominicis & feſtivis ſolemnibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant. Sin contra hoc negligentes aut contumaces deprehenſi fuerint, cujuſcumque conditionis & qualitatis extiterint, per Parœcum in cujus Parœcia habitarint, vel per Decanum iterum moneantur de debito officio: contemnentes verò deferantur ad Epiſcopum, qui poſt trinam admonitionem, contra eoſdem ad excommunicationem procedat. Id quod fieri jubemus primo quoque tempore, contra eos qui à multis annis ſacro Preſbyteratûs ordine initiati necdum acceſſerunt ad ſanctum ſacrificium Miſſæ celebrandum, ſed laïcam tantùm communionem, eámque raro ſumunt: quam, niſi intra ſemeſtre ſe Preſbyteros in altari præbuerint, illis quoque denegari jubemus & poſt trinam admonitionem excommunicatos denuntiari: in qua excommunicatione ſi per annum permanſerint, contra eos tamquam ſuſpectos de hæreſi procedatur.

12 Simonia ſicut Giezi vultum immutavit ac leprâ fœdavit, ita univerſæ Eccleſiæ faciem deformat, & pulchritudinem varijs rugis & maculis contaminat. Sed ut ſerpens cunctis animantibus terræ aſtutior Evam corrupit, ſic ad Eccleſiæ corruptionem hæc peſtis varijs & occultis artibus ſe inſinuat, ita ut vix poſſit intercipi. Meritò prima hæreſis vocatur, quæ nec Deum timet tanti ſacrilegij ultorem, & Spiritum ſanctum quantum in ſe eſt venalem habet. Sicut impius cùm venerit in profundum contemnit, ita noſtrorum temporum completam malitiam cernimus, ex eo quòd ſimonia potius ridetur, quàm puniatur.

13 Ad tantæ igitur impietatis deteſtationem & extirpationem, ſingulis diebus Dominicis in Pronao & in omnibus concionibus declarari præcipimus, vivere in perpetuo ſtatu damnationis, jure & ipſo facto excommnnicari, nec facere fructus ſuos, ſed teneri ad reſtitutionem, & tituli ceſſionem, quicumque pecuniâ aut alterius rei temporariæ pretio expreſſo vel tacito beneficium Eccleſiaſticum adipiſcuntur, vel alteri procurant: & ab Eccleſiaſticis viris irregularitatem incurri, quoties in eodem ſtatu celebrarint divinum Miſſæ officium.

14. In confeſſionibus de ſimonia diligenter inquirendum, ac confitenti ſe aliquod beneficium pecuniâ aut aliâ re temporali ſibi aut alteri comparaſſe, abſolutionem (ſicut de caſu ſummo Pontifici reſervato) niſi in mortis articulo denegari ſtatuimus. In eadem confeſſione moneri jubemus de peccato mortali, eum qui vel ſolam intentionem & mentem habuerit ad beneficium pervenire per ſimoniam, & eum qui uſque ad aliquam conventionem progreſſus fuerit graviùs peccaſſe: ſed indictâ debitâ pœnitentiâ per legitimum Sacerdotem abſolvi poſſe.

15 Omnes conſcij, participes ac ſcientes ab aliquo commiſſam ſimoniam, niſi quantocius Epiſcopo aut proprio Parœco revelaverint, ut ab Eccleſia ſimoniacus eliminetur, nec abſolventur in foro conſcientiæ.

16 Propter nonnullos intrepidè vendentes & ementes ſacerdotia ſpe veniæ per indulgentias comparandæ, cenſuit hæc ſancta Synodus ſanctiſſimo D. N. Papæ ſupplicandum, ne deinceps ſimoniæ crimen, niſi cum expreſſa obligatione cedendi beneficio per ſimoniam quæſito remittat.

17 Reſignationes quorumcumque beneficiorum cum retentione fructuum vel penſione, quæ poſtea ab his qui reſignationes illas

acceptaverint, præsertim pretio sine autoritate sedis Apostolicæ redimitur, pro simoniacis habendas judicamus. Præterquàm enim quòd mentalem saltem simoniam aut etiam pactum illicitum antecessisse frequentius deprehenditur, experientia docet, hoc unum esse velamen ad contegendam simoniæ turpitudinem & malitiam.

18 Resignationes factæ priùs incognitis, aut his quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspectæ de simonia redduntur, præsertim si quid illicitè actum fama proclamet.

19. Tales igitur resignationes non debent ab Ordinario absque purgatione Canonica, ex Decreto Innocentij III. renovato, cùm de Canonicis Cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti.

20 Omnes pensiones & pactiones super beneficijs, in quibus non intervenit sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus.

21. Non levius malum nostris temporibus aut exortum aut longiùs propagatum Ecclesiam affligit, ac perdit, per aliorum beneficiorum clitellarios asinos & custodes, qui confidentiarij vocantur, quorum nomine & ministerio viri laïci ac mulieres hæreditate possident Sanctuarium Domini, ac profanant. Tam illos custodes, quàm eos quorum cupiditati deserviunt, denuntiari quoque in Pronao & concionibus pro excommunicatis, & teneri ad restitutionem fructuum atque eorumdem hæredes, ex Bulla sanctissimi Domini nostri Papæ Pij V. *Per omnes dies Dominicos jubemus.* Quamvis autem sicut simoniaci vix detegi, ita custodes illi vix latere possint, attamen à Confessarijs in foro conscientiæ de his quoque volumus inquiri, & confitentibus laïcis viris & mulieribus se hujus sacrilegij participes esse, minimè absolutionem dari, nec ad Communionem admitti quocumque modo compertos, præterquam in mortis articulo, nisi priùs restituerint pro viribus fructus perceptos pauperibus aut fabricis Ecclesiarum, & à tanto crimine abstinuerint, atque à sanctissimo Romano Pontifice absolutionem obtinuerint.

22. Eodem crimine tenentur, & eisdem pœnis subduntur omnes Patroni, sive Ecclesiastici sive Laïci, qui colore patronatûs beneficia Ecclesiastica in servitutem redigunt, dum per suppositas Clericorum personas, aut ex pacto tacito vel expresso cum ipsis

inito in præſentatione ſuorum beneficiorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore jura aut fructus eorumdem, aut partem ipſorum in uſus proprios convertunt: Alij verò ſine jure patronatûs, atque etiam ſine ullo titulario, aut per aliquem ſuppoſitum aliena beneficia vi occupant, eorúmque jura aut fructus deprædantur: contra utroſque prædicto modo procedatur, qui etiam ex Decreto Concilij Tridentini dictis patronatibus ipſo jure privati exiſtunt.

23 Quicumque verò Clerici tam nefandæ fraudis & uſurpationis fabricatores ſeu conſentientes, atque alieni ſacrilegij fautores fuerint, eiſdem pœnis per generalia Concilia & Decreta Pontificum ſubjacent, necnon quibuſcumque beneficijs privantur, & ad quæcumque beneficia inhabiles efficiuntur, atque à divinis ordinibus ſuſpenſi, nec in foro conſcientiæ poſſunt abſolvi, aut ſuorum ordinum executioni per Ordinarium reſtitui, niſi poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem prædictam. Celebrantes verò in eo ſtatu irregularitatem ſuper incurrunt, & multiplicem damnationem, tam in præſenti quàm in futuro ſæculo ſibi acquirunt.

24 Ad detegendas autem iſtas & alias ſimoniacas fraudes in Sacramento Confeſſionis de his inquiratur, doceatúrque de peccatorum gravitate & pœnis. Ordinarij verò de ſemeſtri in ſemeſtre cenſuras Eccleſiaſticas mittant per ſuas Eccleſias, ad fines revelandi illorum criminum conſcios & participes: & revelationes niſi Parœci ſtatim ad ipſos miſerint, pro modo culpæ puniantur.

25 In beneficiorum reſignationibus, & alijs ceſſionibus, multæ fraudes à Notarijs Apoſtolicis committuntur, quibus ut obſiſtatur, præcipimus ut in omnibus Diœceſibus, qui ſe dicunt Notarios, ſe præſentent Epiſcopo intra tres menſes, cum ſua Notariatûs promotione & immatriculatione. Scrutetur autem Epiſcopus eorum ſufficientiam & fidelitatem, & quos idoneos non judicaverit, aut quomodocumque in officio delinquentes, ipſis officij exercendi in negotijs, litibus & cauſis Eccleſiaſticis & ſpiritualibus perpetuò aut ad tempus uſum prohibeat. Omnes verò ad legitimum numerum ex Edicto regio redigat. Cæterum quia Notarij Apoſtolici, aut nulli aut rari admodum nunc creantur à Sede Romana cum poteſtate alios creandi, cùm jam in noſtris Diœceſibus deficiat legitimus numerus, ac periculum ſit, ne tandem nulli veri inveniantur: ſupplicandum Sanctiſs. D. N. Papæ

judicamus, ut Episcopis largiatur facultatem creandi Notarios Apostolicos tantùm pro sua Diœcesi necessarios. Moneantur insuper Notarij, ut singulis annis suas notas sive minuta atque procurationum authentica ad Episcoporum Secretariatum referant, & curent in registris inscribi atque inseri.

26 In Diœcesana Synodo singulis annis ab Episcopo sex Examinatores constituantur ab eadem Synodo approbandi. Sint autem Magistri seu Doctores, seu Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alij Clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id magis videbuntur idonei: juréntque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humanâ affectione depositâ fideliter munus executuros. Quoties Parœcialis Ecclesiæ, quomodocumque vacatio acciderit, aut præsentatus ad Parœcialem Ecclesiam, sive à patronis laïcis sive Ecclesiasticis collationem ab Episcopo requiret, aut promotus ad illam à sede Romana in forma: *Dignum* literas de visa signatura postulabit, antequam ab Episcopo collatio decernatur. Qui promovendus est examinetur, juxta Tridentini Concilij decreta intra diem præsentationis, si fieri possit, idque gratis, à tribus de illis Examinatoribus cum Episcopo sive ejus Vicario, de fide & religione, de anteacta vita, de sufficienti doctrina, de his quæ ad Parœci officium in Sacramentorum administratione spectant: atque tam interrogata quàm responsa in scriptis redigantur, & Secretario tradantur servanda, si fortè lis de capacitate aut incapacitate suborta fuerit. Secundum verò conscientiam, de ejus sufficientia aut insufficientia pronuncient Examinatores, confessionémque fidei ab illo exigant, & juramentum de simonia non commissa, nec accipere beneficium ad custodiam aut aliam injustam pensionem. Caveant Examinatores illi, ne declinent ad dexteram, aut ad sinistram: sed coram Deo ac pro salute animarum, quæ providendo committuntur, judicent. Qui autem semel examinatus fuerit, pro diversitate provisionum iterum examinari debebit. Ne verò Patronis Ecclesiasticis, qui nequeunt variare, fiat ullum præjudicium per illos Examinatores: Synodus illis concessit, ne prius cogantur suam exhibere præsentationem in scriptis, quàm per examen fuerit judicatus idoneus, quem intendunt præsentare Episcopo.

27 Si præsentato & petenti collationem sibi dari de quocumque beneficio, renuerit Episcopus dare, cogatur causas recusationis

ſuæ in ſcriptis exprimere: nec liceat ſuperiori collationem decernere, niſi prius diſcuſſis cauſis & judicatis, propter quas Epiſcopus recuſaverit collationem dare, alioquin ſuperioris collatio nulla erit.

28 Inter Epiſcopalis officij munera, præcipua eſt, & ad ſalutem gregis neceſſaria, viſitatio. Viſitationum autem omnium præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxámque doctrinam expulſis hæreſibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & monitionibus ad religionem, pacem innocentiámque accendere. Cetera, prout locus, tempus & occaſio feret, ex Viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Ante ſuum acceſſum, Epiſcopi curabunt omnes moneri de Sacramento Confirmationis ſuſcipiendo: omnes ad pœnitentiam cohortabuntur, & quos aliquo peccato teneri cognoverint cujus abſolutio Epiſcopo reſervatur, eos piè confitentes, ipſi per ſe aut per alios abſolvent. In ſingulis locis à viris ætate, uſu & probitate commendatis ſubtiliter inquirent de omnibus, quæ eos pro officij ſui munere ſcire oportebit: An clerus, an populus ambulet in vijs Domini, an aliqnid ſit quod Epiſcopi cognitionem & medicinam deſideret, an aliquid quod corrigi & emendari debeat. In Eccleſijs fabricam, Sacramentorum & Reliquiarum capſas, vaſcula, ornamenta omnia, an quo debent ſtatu, nitore, & integritate ſint, inveſtigabunt. De ijſdem reliquijs & de imaginibus cenſuram ferent. Si conſecranda ſint altaria, aut Eccleſiæ, aut Cœmeteria polluta, conſecrabunt & reconciliabunt, aut ad id oportunius tempus deſignabunt. An beneficiarij Eccleſias ſuas legitimè poſſideant: an adminiſtrationi Sacramentorum, feſtorum, Miſſarum, & omnium divinorum officiorum, atque etiam fundationum pro defunctis celebrationi, aliíſque oneribus & muneribus ſatisfaciant, interrogabunt. Videbunt etiam quæ ſit Clericorum vita, morum ratio, veſtitus, converſatio & familia, & circa Eccleſiæ officia & jura diligentia. Deinde diſpicient an populus debitis horis & diebus Eccleſiam frequentet. An legitima matrimonia contrahantur & celebrentur, ſi qua ſint divortia & adulteria: ſi hæretici, uſurarij, ſacrilegi, concubinarij, aliíque flagitioſiſſimi homines, qui quadrageſimam, alia jejunia, feſtos dies & reliquos Eccleſiæ ritus non ſervent, aut qui ſaltem in anno peccata ſua ſtatuto tempore non fuerint confeſſi, aut Euchariſtiam non ſumpſerint: qui pia lega-

ta defraudaverint, qui Parœco inobedientes ſint, aut in domeſtica diſciplina negligentes. Si Monaſterium, ſi hoſpitale, aut alius pius locus occurrerit, ſuo ibi defungetur officio, nec aliquem gravabunt, ut ab aliquo exigent, præterquam quod à jure vel conſuetudine ipſis eſt præſtitutum. Archidiaconi, & Decani, & alij inferiores, in his Eccleſijs, ubi hactenus viſitationem exercere conſueverunt, hanc præpoſitam viſitandi regulam obſervabunt, & viſitationis à ſe factæ infrà menſem rationem in ſcriptis reddent Epiſcopo, & depoſitiones teſtium, ac integra acta ei exhibere tenebuntur. Si qui alij habuerint jus viſitandi, eadem præſtabunt, nec propter eos Epiſcopus, vel eo impedito ejus Viſitator, eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur: Nec ullis, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut appellatio debet patrocinari, aut executionem eorum, quæ judicata fuerunt, ſuſpendere. In his enim Epiſcopus cenſetur ſaltem ſedis Apoſtolicæ autoritate & delegatione defungi, ſicut à generalibus Concilijs & præſertim Tridentino ſtatuitur.

29 Quicumque indebitè jura Epiſcoporum, Archidiaconorum, aut illorum Viſitatorum ſolvere recuſaverint, poſt trinam admonitionem excommunicentur.

30 Ad Epiſcopos ſpectat etiam pauperum & miſerabilium perſonarum paternam curam gerere: Sed ſicut fabricarum Eccleſiaſticarum regimen ipſis primùm fuit ablatum, & ad laïcos tranſlatum, ita poſterius portio pauperum in leproſarias & hoſpitalia diverſi generis diviſa, de manibus Epiſcoporum & aliorum Clericorum ad laïcorum adminiſtrationem tranſijt. Sed quanto Eccleſiarum & pauperum bono utraque commutatio contigerit, res ipſa loquitur. A pleriſque laïcorum fabricarum dilapidantur poſſeſſiones, & in alios uſus diſtrahuntur: per eoſdem leproſariæ ſine leproſis, & hoſpitalia ſine pauperibus aut raris admodum gubernantur, & res eorum, videntibus nobis, nec potentibus obſiſtere, alienantur. Rogamus ſaltem in Domino eos, in quorum adminiſtrationem ſunt illa conceſſa, ut impoſitum ſibi onus, officiúmve adminiſtrent, atque ſolicitudinem infirmorum, pauperum, & miſerabilium perſonarum, & hoſpitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant. Quod ſi hoſpitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur neceſſarijs, re ipſa obire ceſſaverint, aut bonis & poſſeſſionibus atque proventibus, ſive ad ſuas, ſive ad

ſuorum

ſuorum civium neceſſitates aut commoditates contra fundationes fuerint abuſi, hoſpitalium quidem & leproſariarum adminiſtratione ac curâ perpetuò privari debent, aliíque eorum loco ab his ad quos ſpectat ſubſtitui, & nihilominus ipſos teneri in conſcientia declaramus ad poſſeſſionum & fructuum reſtitutionem, quos contra hoſpitalium & leproſariarum inſtitutionem abalienaverint & prodegerint, quæ nulla eis remiſſione,aut compoſitione indulgeri poteſt. Tutius autem eſſet gubernationē ejuſmodi locorum uni & eidem perſonæ ultra triennium non committi & ſtatim rationem adminiſtrationis peti. Quòd ſi leproſariæ & hoſpitalia ad aliquarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta, nec ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiuntur, tum fructus poſſunt in alium pium uſum, qui eorum fundationi proximior ſit, ac pro loco & tempore utilior, converti, prout Ordinario cum duobus de Capitulo magis expedire videbitur. Quoniam verò in aliquibus hoſpitalibus aut leproſarijs ſunt viri & mulieres regulari obſervantiæ addicti, ſed ut plurimum valde corrupti, ad eorum reformationem ſaltem autoritate Apoſtolicâ ſibi in viſitatione, etiam contra exemptos conceſſa, procedat Epiſcopus ex Decreto Concilij Tridentini, quem ad hoc etiam ſpecialiter committi, ſupplicandum duximus Chriſtianiſſimo noſtro Regi, & magno ejus Eleemoſynario: ne per defectum Viſitantium clamor pauperum & flagitiorum enormitas aſcendant in cælum coram Deo. Si qua verò hoſpitalia in Epiſcoporum poteſtate manſerint, ad eorum reformationem ex his procedant. Sed ſi qua bonorum, quæ pauperum ſunt, adminiſtratione Epiſcopus à quibuſdam ſæcularibus contra jus & æquum ſpoliatur, ſciant ſe ex ſacris Concilijs, ſicut omnes uſurpantes jura & bona Eccleſiaſtica, anathemati ſubjici.

31 Synodi Diœceſanæ quotannis ſuis temporibus celebrentur. Liceat tamen Epiſcopis ad levamen ſui cleri, ſi ita expedire videbitur, de duabus in eodem anno unam remittere, & alteram diligentiùs convocare: ad eas accedere teneantur exempti etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur. Debent etiam illis Synodis intereſſe ratione Parœcialium, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint. Non alium in his præſidere oportet, quàm Vicarium generalem Epiſcopi in ejus abſentia, niſi ſede vacante: Tum enim

ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis redit Diœcesis administratio. In ipsis Archidiaconi & Decani rurales de Curatis tam præsentibus quàm absentibus Episcopo debent reddere rationem, & omnia in visitatione & Kalendis audita & comperta referri, examinari ac judicari, & statuenda publicari.

32 Curati ne deinceps in ipsis compareant sine superpellicio, stola, ac toto habitu sacerdotali: aliàs durè increpentur & mulctentur. Censura ibi fiat de singulorum moribus, & de offensionibus inquisitio, ac infligatur pœna potius pœnitentiæ quàm pecuniæ, Adhortatio verò publica adhibeatur, sive ab Episcopo, sive ab alio de vita & honestate clericorum, & rebus pro tempore statuendis. Ibi denique eligantur testes Synodales, sive per Decanatus, sive aliunde ad arbitrium Episcopi, qui omni exceptione majores explorent in tota Diœcesi per parœcias singulorum atque etiam Archidiaconorum & Decanorum actiones, de quibus in proxima Synodo Episcopo renuntient.

33. Controversias omnes de præcedentia, quæ plerumque cum scãdalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas tam sæculares quàm regulares, cùm in Synodis & processionibus publicis, tum in his quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, ferenda cruce, & alijs similibus, Episcopus amotâ omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat. Exempti autem omnes tam Clerici regulares, quàm sæculares, quicumque etiam monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur: his tantum exemptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt.

34 Kalendarum antiquissimus est usus, & abusus: nec aliud significant quàm Cleri vocationem ad censuram morum agendam. In his perpetuò fuit damnata pecuniarum exactio, & ebrietas, quæ plerumque in his exercentur potius quàm ulla reformatio. Ad Cleri levamen tres in anno sufficere judicamus: unam Episcopi, aut pro eo Visitatoris & duas Decanorum ruralium. Nec deinceps in tabernis & popinis convocetur Clerus, sed in Ecclesijs, celebretúrque Missa cui omnes assistant in habitu sacerdotali, & omnia ibidem agenda sicut coram Deo in veritate & sanctitate transigantur. Si præsentibus placuerit unà cibum capere, in Presbyterio, aut alio honestiori loco præparetur ad sobrietatem, & non ad crapulam. Quisquis verò à cibo surrexerit inebriatus, aut indecorè se gesserit, gravissimè puniatur.

35. Indulgentiarum potestatem in Ecclesia à Christo datam, &

earum uſum Chriſtiano populo ſalutarem confitemur & veneramur. Sed ſupplicandum duximus Sanctiſſimo D. N. Papæ, ut in his concedendis moderatio juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhibeatur : quandoquidem vileſcunt propter frequentiorem uſum, & earum in omnibus feſtis ſolemnioribus multitudinem, quam ad quæſtum omnes interpretantur. Deinde nimiâ facilitate & frequentiâ indulgendi omnia graviora crimina, etiam reſervata, ſine expreſſa reſtitutione, & ſatisfactione aut confeſſione proprio Parœco facienda, Eccleſiaſtica diſciplina enervatur, & ad eadem aut majora, perpetranda creſcit hominum audacia. Vileſcunt inſuper ex Curatorum in his publicandis irreverentia, qui populo nec annunciant ſua ſcelera, nec peccata, nec pœnas norunt explicare, quibus illa ſunt obnoxia, & quantâ egeant indulgentiâ. Abuſum præſertim in noſtris Eccleſijs Cathedralibus diſſimulare non poſſumus, in quibus à multis annis conceſſæ indulgentiæ, ſed poſtea revocatæ nihilominus proponuntur, tanquam vigorem ſuum retineant. Præcipimus illarum confirmationem à ſede Apoſtolica peti : ſunt enim neceſſariæ, ad veterem morem Chriſtianorum conſervandum & inſtaurandum viſitandi Cathedralem & matricem Eccleſiam in Paſchate & Pentecoſte, & tum confluendi ad ſuſcipiendam benedictionem Epiſcopalem. Quoniam plerique ſuſpicantur indulgentias, quæ quotannis nec ſemel de majoribus hoſpitalibus per noſtras Eccleſias circumferuntur, non aliâ quàm judicum ſæcularium niti confirmatione & autoritate, Statuimus ne deinceps à noſtris Officiarijs recipiantur, aut ſubſignentur, priuſquam Epiſcopis de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diplomate per ipſius inſpectionem conſtiterit. Monemus autem Epiſcopos ne addant quicquam aut detrahant ſibi oblatis indulgentijs, ac ne adhortationem quidem ad alias eleemoſynas, quàm in ipſis contentas, quoniam indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant de mente & intelligentia concedentis. Sit autem in poteſtate Epiſcopi eleemoſynas occaſione indulgentiarum provenientes aſſignare & diſtribuere pijs locis & pauperibus, prout ſibi videbitur expedire : niſi de intentione concedentis indulgentias, & eleemoſynas offerentium aliter appareat : De quibus ejus conſcientiam oneramus. Et excommunicatos declaramus quicumque contra ejus conſenſum de illis eleemoſynis voluerint diſponere.

DE CURATORUM ET ALIORUM PRESBYTERORUM ac Parœcianorum officijs.

1. IN Curatis duo primùm requiruntur, capacitas & poteſtas: nihil enim magis officit Eccleſiæ Dei, quàm quòd indigni præficiuntur curæ animarum, & ad aliorum aſſumuntur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt. De hoc provideatur per examen. Deinde poteſtas expoſcitur, quæ per inſtitutionem & collationem committitur. Nam niſi Curati ligandi atque ſolvendi poteſtate à prælatis legitimè accepta fuerint præditi, decipiunt populum, nec abſolvunt à peccatis. Si qui igitur, etiam Preſbyteri ſine Eccleſiaſtico & legitimo titulo Parœciarum adminiſtrationi ſe immiſcuerint, quacumque laïcâ ſe fulciant potentiâ & violentiâ, fures ſunt & latrones, non paſtores ovium: quos ipſo facto ſuſpendimus à divinis, ac prohibemus ne quis ab ipſis ſacramentum ullum recipiat, aut Miſſam audiat.

2. Monemus & adhortamur Curatos, ut divinorum præceptorum me mores gregem paſcant & regant in judicio & veritate ac declaramus eiſdem præceptis parœcialibus Eccleſijs quocumque nomine & titulo præfectos obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia & parœcia reſidentiam, ubi iniuncto ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex juſta legitima & Canonica cauſa ab ordinario in ſcriptis approbanda juxta Concilij Tridentini decretum.

3. Si quis autem contra decreti hujus diſpoſitionem abfuerit, præter mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facit: nec tutâ conſcientiâ, aliâ etiam declaratione non ſecutâ, illos ſibi detinere poteſt, ſed per ipſum aut per ſuperiorem Eccleſiaſticum, fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus erogari debent. Quòd ſi abſentes ultra bimeſtre Curati etiam non perſonaliter citati contumaces fuerint, liberum volumus Ordinarijs per cenſuras Eccleſiaſticas, ſubſtractionem fructuum, aliáque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere ad reſidentiam.

4. Plerique, ne reſideant, prætexunt litigia, aut ſuſcitant ipſimet devoluta, ne videantur ſua beneficia pacificè poſſidere. Verùm quiſquis beneficio vel ejus fructibus gaudet, aut reſideat, aut fructus non percipiat, quos ſuos ſine reſidentia facere non poteſt, & alijs decreti pœnis ſubjaceat.

5. Alij cauſantur Nobilium aut Parœcianorum vexationem & oppreſſionem. Sed ſi nihil ipſis de fructibus, aut ſaltem major portio non deperit, reſidentiæ ſunt obnoxij, aut ad fructuum reſtitutionem obligati. Obteſtamur autem in Domino Nobilitatem, atque alios quoſcumque, ut reſidentem Parœcum, ſicut oves paſtorem, ament & ſequantur, atque ut filij patrem honorent, unde cum gaudio, & non gemens gregem paſcat : hoc enim coram Deo non expedit Parœcianis. Quiſquis verò proprio Parœco injuriam fecerit, & ad reſidentiam impedierit, ſit ille maledictus ſicut Cham, & ipſo facto anathema. Sit ſuſpenſus quoque à divinis ipſo facto, qui ſciens & volens illi communionem aut aliud Sacramentum, niſi in mortis articulo, ſubminiſtraverit. Obſecramus Judices ſæculares, ſub divini Judicis interminatione, ut in favorem reſidentiæ contra opreſſores Curatorum ſeveriùs inſurgant.

6. Fruſtra præcipitur reſidentia, niſi reſidendi fiat poteſtas. Curatis itaque venientibus ad reſidentiam ex Dei & Eccleſiæ mandato par eſt Vicarios poſſeſſione & Preſbyterio cedere, & de damno atque intereſſe cum Curatis amicè paciſci, ſi quod evidens fuerit aut apparens : alioqui Dei & Eccleſiæ mandatum fieret irritum & abſurdum. Neque enim reſidere poteſt in beneficio, cujus poſſeſſionem non habet, nec habitationem, nec Sacramentorum in eo adminiſtrationem, aut aliam functionem, niſi de Vicarij licentia & indulgentia.

7. Ad reſidentiam Preſbyterio opus eſt, & pro Parœciæ conditione habitaculo opportuno, ut in neceſſitate conſtituti, ſciant quò debeant confugere, & ubi medicum invenire. Si defuerit, provideatur Curato de domo commoda juxta Eccleſiam Parœcialem, ſi fieri poteſt, ídque fabricæ ſeu Parœcianorum ſumptibus, qui de jure, vel conſuetudine tenentur. Sicut autem illi obligantur ad habitationem ſuis rectoribus præparandam : ita oportet iſtos in ædibus ſibi aſſignatis habitare, neque excuſari, niſi ex evidenti & legitimo impedimento : quo occurente, non liceat Preſbyterium laïcis quibuſcumque locare, aut ad manendum etiam gratis tradere, ſed tantùm Preſbyteris, qui Curatorum in neceſſaria Sacramentorum adminiſtratione vices gerunt. Contra aliter agentes per Cenſuras Eccleſiaſticas procedatur.

8. Sicut populus ſuos rectores & quoſcumque clericos eò magis

revereretur, quò eos honestiore vitâ esse cognoverit: ita satis res ipsa testatur, quanta sit communis omnium fidelium offensio, & Clericalis militiæ dedecus, si versantur in impudicitiæ sordibus, qui se divino cultui addixerint. Proinde ex sanctis Concilijs, Curatis, ac quibuscumque Clericis prohibemus, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo, vel extrà retinere, nec cum his ullam consuetudinem habere audeant. Si non abstinuerint à superioribus moniti, tertiâ parte fructuum, & obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicentur. Sin in eodem delicto perseverantes, non paruerint, non tantùm fructus omnes amittant, sed à beneficiorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur: Sin suspensi non destiterint à peccato, beneficijs priventur, atque inhabiles & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficijs ac officijs in posterum reddantur: donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum superioribus cum his ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam illas mulieres dimiserint, repetere, aut similes adjungere sibi non fuerint veriti, excommunicationis gladio plectantur. Quæ omnia contra quoscumque beneficiarios constituta esse intelligantur. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem, carceris pœnâ, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones puniantur. Supradictorum verò omnium diligentem inquisitionem ab Archidiaconis & Decanis, aut alijs inferioribus fieri jubemus, sed ad Episcopos deferri, ut sine strepitu, & forma judicij, ac solâ facti veritate inspectâ, procedere possint. Episcopi quoque, si ab ejusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: Et si perseverent, etiam ad Sanctiss. Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem (si opus fuerit) in eos animadverti jubeat.

9. Nihil adeò Curatum, atque totum Clerum commendat, & Ecclesiam ædificat, quam sanctæ ac honestæ vitæ exemplum, in verbo, in conversatione, in charitate, in castitate: quemadmodum apud Apostolum est. Illorum itaque tota conversatio sit

irreprehensibilis, ac potiùs præeat ac præluceat subditis ad benè & sanctè vivendum: ut videntes opera bona, non solùm libenter ea imitentur, sed glorificent patrem qui in cœlis est. Oculus, incessus, vultus, ac vestitus annuncient de homine, ut scriptura tradit. Idcirco nec in exteriori cultu Presbyteri sint negligentes. Probrum est nostræ provinciæ à plerisque, etiam ditioribus, affectari sordes, in familia, in vestibus, atque in Ecclesijs, Sacramentis, & altari: quod immundi cordis est indicium. Alij contrà, præsertim nobiliores clerici, exquirunt delicias, ac sui statûs & ordinis pertæsi, more induuntur sæculari. Omnes ut revocemus ad modestiam, hortamur & præcipimus, ut tonsuram in capite & coronam habeant suis ordinibus congruentem & honestè rasam, nec barbam alant ministerio altaris indecoram, nec galeros, sed Sacerdotales pileos intra Ecclesiam ferant, vestibus oblongis, minimè laceris, aliísque omnibus vestimentis Ecclesiasticæ dignitati & modestiæ convenientibus utantur. Qui si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, non paruerint, per suspensionem ab ordinibus, ab officio, & beneficio, ac fructibus & proventibus ipsorum beneficiorum, necnon si semel correcti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coërceantur.

). Si quis à residentia ex legitima causa ab Episcopo prius cognita & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquat: Discedendi autem licentiam in scriptis, gratísque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, nullus obtineat. Quòd si quis diutius ab eadem residentia excusari potuerit, visitet tamen Parœciam, saltem de bimestri in bimestre, ne prorsus sine officio beneficium possideat, nisi justo impedimento per Episcopum dijudicando detineatur.

1 Ne sint Curati & alij Presbyteri, in alienis præsertim laïcorum familijs, rerum domesticarum dispensatores, & œconomi, aut sæcularium aut sordidarum rerum ministri; aut litium, præterquam Ecclesiasticarum, sive miserabilium, viduarum & pupillorum procuratores & promotores: nec ad beneficiorum custodiam nec ad voluptatem, nec ad scurrilitatem cuiquam inserviant, nec inhonestum quæstum facere studeant ex usura, negotiatione, aut alio quocumque modo illicito, pro gravitate delicti per Censuras Ecclesiasticas & alias pœnas contra non obedientes procedatur.

12. Curatorum nomen, ne in residentia desideant, curæ animarum eos memores efficiat: atque imprimis agnoscant vultum pecoris sui. Singulis annis quatuor volumina conficiant. Primum, in quo baptizatorum, & suscipientium ac parentum nomina, cum die & anno describant. Alterum, in quo distingunt eos qui statuto ab Ecclesia tempore ad Confessionem & Communionem venerint. Tertium, in quo eos recenseant qui matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerint. Quartum, in quo mortuos, & sepulturæ Christianæ traditos cum fide in qua decesserunt, & testamentorum brevi nota enumerent. Hæc enim diligentia cùm ad multa utilis sit, tum verò ad hoc præcipuè, ut pastoribus ovium suarum ratio meliùs constet, & ut Episcopo & per eum missis, quoties petierint, de eisdem ovibus rationem reddant. Observent insuper sui populi vitia & peccata, & his corrigendis cum mansuetudine omnem diligentiam adhibeant. De accedentium ad Parœciam inhabitandam statu, religione, vita & matrimonijs inquirant, nec per aliorum contagionem ullos sinant corrumpi. Nullum autem absque literis proprij Parœci recipiant.

13. Sciant Parœci aut Vicarij se obligari per se vel alios idoneos, si impediti fuerint, aut incapaces, saltem Dominicis & Festis solemnibus ad plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascendas salutaribus verbis, docendo quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annunciandóque eis cum sermonis brevitate & facilitate vitia quæ populos declinare, & quas sectari virtutes oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Id verò si præstare neglexerint, & moniti ab Episcopo trium mensium spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, & ex fructibus beneficij alteri qui id præstet, aliqua honesta merces persolvatur. Ut autem quilibet Parœcus suo officio defungi queat, Cathechismum Romanum Latinè & Gallicè habeat, & ex ejus præscripto doctrinam de Symbolo Apostolorum, legis decalogo, Sacramentis, atque alijs ad salutem necessarijs tradat. Frequenter quoque ac libenter in Biblijs sacris & Homilijs Patrum legat, unde ad captum populi sui & ædificationem, quæ videbuntur conducere, seligat. Habeat insuper Constitutiones Synodi Provincialis & Diœcesanæ: ut cognoscat quomodo se ac populum admonere & regere debeat.

14 In quacumque Parœcia, quoad fieri poterit, Presbyter, vel

Clericus

Clericus conſtituatur, fabricæ ſumptibus, aut populi eleemoſynis, per Eccleſiam diebus Dominicis & feſtivis, aut per domos conquiſitis, atque etiam Curatorum adjumento, qui ad Sacramentorum adminiſtrationem & ad officium divinum Parœcum adjuvet: ſed præcipuè qui pueros rudimenta fidei, & obedientiam erga Deum & parentes doceat: atque ad hoc per Cenſuras Eccleſiaſticas compellendos eos qui tenentur, Concilia ſtatuerunt.

15 In ſingulis Parœcialibus Eccleſijs non ſolùm dicatur Miſſa Dominicis, ſed etiam alijs per hebdomadam diebus. Divina officia ſecundum primam fundationem ipſius Eccleſiæ, vel augmentationem, vel conſuetudinem antiquam celebrentur: ac ne divinus cultus minuatur, fundatorumque intentio fraudetur, per Diœceſanos compellantur omnes & ſinguli Rectores Parœciarum, Capellani, alijque beneficiati, leproſariarum, aliarúmque piarum domorum adminiſtratores, ad oſtendens, exhibendáſque literas fundationis & augmentationis beneficiorum & adminiſtrationum, ut omnibus viſis, de divinis officijs juxta fundatorum intentionem, quod oportunum fuerit ab eiſdem Diœceſanis ſtatuatur: Ad hoc autem per Cenſuras Eccleſiaſticas ad juramenti præſtationem compellantur.

16 Contigit ſæpe in quibuſdam Eccleſijs vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum legatis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri: vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, ut non facilè inveniatur qui velit huic ſe muneri ſubjicere: unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur: Sanctum Concilium Tridentinum cupiens ad pios uſus iſta relicta, quo plenius & utilius poteſt impleri, dat Epiſcopis poteſtatem, ut in Synodo Diœceſana re diligenter inſpectâ, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſijs, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt. In poſterum verò non facilè recipiantur fundationes, niſi habitâ ratione temporum & locorum.

17 Dominicis & feſtivis diebus ſervitium, ac præſertim Matutinæ ſi dicuntur, Miſſa ſolemnior, & Veſpertinum officium certis, & defi-

gnatis horis in regione aſſuetis fiat: ut omnis populus interſit, nec diutiùs à familia abſit. Si per Curatum aut Vicarium ſteterit, quominus adimpleatur, delatus à Parœcianis graviter puniatur ab Epiſcopo pro menſura delicti. Si per alium, ſciat ille ſe excommunicationem ipſo facto incurrere, niſi deſtiterit poſt auditam hujus Decreti publicationem in Pronao factam.

18. Ad ſervitium Parœciale perficiendum, præſertim Dominicis diebus & feſtivis, non ſolùm obligantur Curati & Vicarij, ſed omnes ejuſdem Parœciæ Preſbyteri, qui illi adſcripti ſunt, ſicut omnes Parœciani ad audiendum. Niſi ergo Preſbyteri prædicti in habitu Sacerdotali cum ſuperpellicio horâ competenti convenerint, quò ut conveniant etiam qui non ſunt adſcripti hortandi ſunt, & in officio divino ad finem uſque cantantes, aut adminiſtrantes perſtiterint, damus Curatis poteſtatem poſt trinam admonitionem eos ſuſpendendi à divinis: & ut ordo in omnibus ſervetur in Eccleſia, omnes Preſbyteros Parœciæ, ſicut omnes alios Parœcianos, Curatis decet eſſe obedientes, & correctioni eorum ac directioni ſubditos: de ipſorúmque vita & officio ad Epiſcopum referri, eíque rationem reddere, aut Decano, aut Archidiacono. Curati verò, quoties poterunt, auxiliarios Preſbyteros vocent in participationem aliquarum obventionum Eccleſiaſticarum, ut qui altari ſervit, de altario vivat.

19 Curati ijdem diligenter animadvertant, ſi Parœciani Dominicis aut feſtivis diebus divinis Officijs interſint, & de abſentiæ cauſis inquirant, aut jubeant per aliquem puerum abſentes obſervari & notari: ut poſt admonitionem debitam quos noverint pertinaces, ad Epiſcopum deferant, & ab eo diſcant quid agendum. In Pronao pro excommunicatis denuntient, qui poſt admonitionem auſi fuerint, Dominicis & Feſtivis diebus tempore ſervitij, Parœcianos in domum ſuam ad potandum, ludendum, aut aliud non neceſſarium agendum recipere: mercaturam, aut vecturas non neceſſarias, aut aliud opus exercere. Non deſinentes perſonaliter increpet, & poſtea non obedientes nominatim in Pronao excommunicatos proclamet, nec ad Eccleſiam nec ad Sacramenta admittat.

20 Indignum nobis viſum eſt Dominicis ac Feſtis diebus de domo orationis facere domum negotiationis, aut fori ſæcularis. Nam pro populi exhortatione, & divini verbi prædicatione, coguntur Curati ſacris operantes, lictorum & præconum, atque etiam pu-

blicanorum vices gerere, auctiones vectigalium, venditionum, licitationum, & quæcumque mandata sæcularium judicum & officiariorum recitare ac proclamare. Ad purgandam domum Dei his profanationibus, prohibemus sub interminatione divini judicij quicquam in sacrificio & in templo nisi sacrum & sanctum dici aut fieri. Atque hortamur & monemus omnes Judices magistratus, ut sua quæcumque mandata per suos ministros & fabricarum rectores, aut alium de Parœcianis deputatum publicari extra Cœmiterium & Ecclesiam, quo loco ipsis videbitur convenientius. Eosdem obtestamur in Domino ne liceat his diebus Parœcianos venientes aut redeuntes ad Ecclesiam, aut in ipsa inventos in jus vocare, aut prehendere aut aliter vexare. Ob id enim miseri homines coguntur abstinere à cultu divino, & Festis diebus, quibus prodeundum in Ecclesiam est, latitare.

21 Pervenit ad nos, in multis Parœcijs diebus Dominicis, aut Festivis, propter raritatem Sacerdotum nullam Missam matutinalem fieri, cui possint servi & ancillæ assistere: unde accidit ut Parœcianorum pars religione ac cultu divino careat. Interea dum placuerit altissimo plures servos mittere, Curati ex vicinioribus seu oppidis, seu monasterijs, seu alijs locis advocent, quàm frequentissimè poterunt, qui illis diebus sacrum obeat. Sin defuerit, precibus Deo fusis, brevi adhortatione de his quæ sunt ad salutem necessaria adhibita, & ad Evangelicam illius diei lectionem accommodata præsentes dimittat.

22 Ne populus distrahatur à Missa Parœciali, & ab auditione mandatorum Dei & Ecclesiæ, optamus ne in Capellis ab antiquo, etiam Episcoporum autoritate fundatis, aliæ Missæ celebrentur, quàm illæ quæ de fundatione extiterint: & si quæ sint Missæ quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico in Ecclesia Parœciali, aut ex devotione, non dicantur, nisi ante aut post Missam Parœcialem, aut saltem post Communionem factam. Prohibemus quoque in quibusdam Ecclesijs, quæ simul Collegiatæ sunt & Parœciales, eâdem hora cantari Missas Canonicorum & Parœcianorum: sed sub pœna excommunicationis stari in his judicio Episcopi; nec corpora mortuorum Dominicis inferri inter Missarum solemnia, sed si fieri potest post Vesperas servari.

23 Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ & ministrorum ejusdem contemptum, non facilè admittantur fundationes, & erectiones Capellarum & fraternitatum, in quibus

ordinatur celebratio Miſſæ Dominico die, eâ potiſſimùm horâ, quâ populus univerſus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei & Eccleſiæ. In Miſſis verò charitatum atque aliarum fraternitatum ab antiquo eo die conſtitutarum, nec aqua nec panis benedicantur: & inter illarum Miſſarum ſolemnia moneantur non eſſe prætermittendas Miſſas Parœciales, propter aſſiſtentiam in ea Miſſa, quæ ex devotione & conſilio celebratur. Quiſquis verò Preſbyter in alia Miſſa quàm Parœciali, aquam & panem benedixerit, ſit ſuſpenſus à divinis.

24 De Eccleſiarum refectione priùs admonuimus. Sed quoniam multarum dedicatio & conſecratio contemnitur, & in pleriſque locis, pollutis & fractis altaribus utuntur: mandamus Curatis, ut quàm citiſſimè fieri poterit, ſinguli de ſuarum Eccleſiarum defectibus certiores faciant Epiſcopos, ut illis provideatur. Mandamus inſuper Cœmiteria quocumque modò claudi, ne brutis animantibus pateant, & alijs profanationibus, ſub pœna ſuſpenſionis à divinis. Eiſdem Curatis præcipimus ne ſinant in eis choreas duci, aut alios luſus & inſanias fieri, ſed potiùs ea quæ luctus & mortis memoriam inducunt, atque ſanctam & ſalubrem cogitationem pro mortuis exorandi excitant.

25. Propter periculoſa tempora in quæ incidimus, Curati ne de nocte exeant ad Sacramentorum adminiſtrationem, niſi vocentur à bonis & notis hominibus, & propter neceſſitatem: Admoneant verò frequenter mulieres & viros, de quorum neceſſitate timetur, ut in die ſumant Sacramenta.

26 Quamvis nefaria ſit & ſymoniaca pro Sacramentorum adminiſtratione pactio & licitatio: nihilominus qui catechizatur, debet miniſtrare in omnibus ei qui catechizat, & rependere temporalia ſeminanti ſpiritualia. Proinde ſicut damnamus Curatorum & Preſbyterorum exactiones: ita non tantùm ingrati animi, ſed contra naturæ debitum & jus divinum nitentis & corrupti eſſe judicamus, diſpenſanti Sacramenta ad ſalutem requiſita, non ſuppeditare victui neceſſaria, & operæ pretium & laboris mercedem non reddere. Scriptum eſt enim: *Non alligabis os bovi trituranti.* Et quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Quis plantat vineam, & de genimine vitis non bibit? Ita & his qui altario deſerviunt, de altario vivere conſtituit Deus. Proinde noverint omnes Chriſtiani, non libertatis eſſe ſed debiti, miniſtranti Sacramenta atque alia ſpiritualia

ſtipendium aliquod ſolvere, unde vivat. Sed cum pretio nummario Sacramenta nequeant æſtimari, nec quanti ſit cuique neceſſarium ad victum, poſſit niſi ex ratione temporum, locorum & perſonarum definiri: rectè majores noſtri ad laudabiles conſuetudines, ad evitandam avaritiæ & ſordium ſuſpicionem, recurrendum duxerunt: quæ cùm hominum malitiâ intermittantur, obteſtamur in Domino Curatos & Parœcianos de his amicè inter ſe convenire, pro temporum varietate & difficultate. Quòd ſi Parœciani in contumacia contra jus naturæ & divinum perſtiterint, volumus eos vocari à Curatis coram Epiſcopis, ut circumſpectis omnibus, quod rationi videbitur convenientius conſtituatur, præſertim in civitatibus & oppidis, ubi refrixit caritas, & abundat iniquitas, nec Curatis ullæ decimæ, aut alij ſuppetunt proventus. Eodem jure obligantur Parœciani ad oblationes, & alias quaſcumque obventiones diebus Dominicis ac Feſtivis ad Eccleſiam pro miniſtris altaris offerendas, ne appareant vacui coram Domino, necnon ad alia quæcumque jura ex antiqua conſuetudine obſervata, quibus ſuos Parœcos defraudare, quaſi ſacrilegium eſt, & debitæ rei ſacræ furtum.

7 A Lateranenſi Concilio, & conſtitutione Pij V. arcentur ab Eccleſiæ ingreſſu, aliiſque pœnis afficiuntur medici, qui ægrorum ſuſcipiunt curam, niſi paulo antè confeſſi fuerint de peccatis, idoneo ſacerdoti, aut promittant ad hoc ſtatim ſe vocaturos proprium Parœcum, à quo debent viſitari, quamprimùm audierit illos in lecto jacere, & moneri morbos ſæpe provenire ex peccatis, quæ per confeſſionem, tamquam infirmitatis cauſæ priùs ſunt purganda, ac alia Sacramenta in tempore percipienda. Si non audierint, ac ſine Sacramento, ſaltem pœnitentiæ deceſſerint, chriſtianâ careant ſepulturâ. Sin Curati in eo fuerint negligentes, anima morientium ſine Sacramentis, de eorum manibus repetetur, & ad Epiſcopum deferantur.

28 Sacratiore, & quoad fieri poterit ornato, ac tuto loco, ſacram Euchariſtiam Curati reponant: ante quam lumen cerei aut lampadis diu noctúque indeſinens ardeat, ut teſtificetur verum corpus Chriſti, qui eſt candor lucis æternæ, ibi aſſervari.

29 Curati ſtudeant cum omni reverentia ac cautione Euchariſtiam ad ægrotos deferre interdiu, & in hominum frequentia (ſi fieri poteſt) nec ſine præeuntibus luminibus, ac tintinnabulo, quo omnes admoneantur ad venerationem tanti Sacramenti, & orandum pro infirmo.

30. Ex intermiſſa quibuſdam in locis conſuetudine ſepulturarum, deſijt quoque Chriſtiana conſuetudo & caritas aliquid legandi pauperibus & Eccleſijs, atque etiam orandi pro mortuis. Ut fidelium animabus & ſaluti conſulatur, decernimus, cùm Curatus ad ægrotos vocatus fuerit, poſt debitam adhortátionem, & Sacramentorum adminiſtrationem, admoneat de Teſtamento, de cura animæ poſt mortem agenda, ac ſuffragijs Eccleſiæ. Decernimus inſuper, ut contra hæredes ex laudabili conſuetudine ſepulturarum agat, poſtquam ſepulturæ officia impenderit, & ſuffragia publica & aſſueta exolverit, quos ad ſolutionem via juris compellat, niſi paupertas obſtiterit.

31. Non adeo promiſcuè (ut nunc fit) mortui ſepeliantur in Eccleſijs, ac ne quidem ditiores, ne is honor detur pecunijs potiùs quàm gratijs Spiritûs ſancti: ſed hoc ſervetur Deo ſacratis ſpecialiter hominibus, eo quòd præ alijs eorum corpora templa ſint Chriſti & Spiritûs ſancti, & alijs in ſublimitate & dignitate tam Eccleſiaſtica quàm ſæculari conſtitutis. Quando quidem & iſti Dei miniſtri ſunt, atque organa Spiritûs ſancti: Alijs inſuper qui nobilitate vel virtutibus, vel meritis erga Deum & Rempub. fulgent. Ceteri piè & religiosè in Cœmeterijs ad hoc dedicatis ſepulturæ tradantur. Nec indifferenter pro quibuſcumque habeantur funebres orationes, ſed pro his tantùm qui glorioſi ſunt & illuſtres in generationibus ſuis & populis: aut quorum tantum eſt meritum, ut eorum ſapientiam narrare debeant populi, & Eccleſia laudem eorum nuntiare, ſicut apud Scripturam eſt. Non igitur Eccleſiaſticorum aut aliorum domeſtici intra Eccleſias, præſertim Cathedrales, aut alij de plebe, niſi præter opes ſit aliud quod eos commendet, tradantur ſepulturæ: nec ipſi præter ſtatum & decorum exequiarum pompam affectent, ſed potiùs Eccleſiæ ſacrificijs aut ſuffragijs aut in pauperes eleemoſynis ambiant & ſtudeant adjuvari.

32. Ad pauperiorum Curatorum ſubventionem & favorem reſidentiæ, liceat Epiſcopis, vel plures Parœcias in unam redigere, vel eis beneficia ſimplicia unire, aut penſiones, aut partem congruam de decimis in eorum Parœcia conſtitutis attribuere, aut loco portionis congruæ eiſdem minutiores decimas, & quæ in noſtra Provincia virides & hortenſes appellantur: ſed omnia tranſigantur vocatis & auditis decimarum Dominis, & poſſeſſoribus, & alijs quorum intererit. Omnia verò juxta formam

Decretorum Concilij Tridentini peragantur.

3. Non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs solvendas temerè occupant, & in suam utilitatem vertunt: cùm decimarum solutio debeatur Deo: & qui eas dare noluerint aut dantes impedierint, res alienas invadãt. Præcipitur itaque omnibus cujuscumque gradûs & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum quibuscumque Ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debentur integrè persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. Judices verò sæculares obtestamur in Domino, ut contra eosdem severitate Regiarum legum agant.

4. Quæ ex pietate & devotione ortum duxerunt, Caritatis & aliorum nominum fraternitates & societates, spiritalia opprimunt & deformant in Ecclesia, temporalia verò absumunt, atque homines dementant. Etenim in unaquaque Ecclesia altare, contra altare, sacrificium contra sacrificium, & Sacerdotem contra Sacerdotem, ac denique Parœciam contra Parœciam erigunt & opponunt, Earum quidem abolitionem non judicamus expedire propter piorum operum & suffragiorum quæ exercent bonitatem, earúmque necessitatem in peste, & publica calamitate, sed eorum desideramus reformationem propter abusum. Imprimis earum fundationes & statuta in visitatione ab Episcopis examinari jubemus, nec in posterum ullam innovari, nisi de expressa Episcopi licentia, & confirmatione in scriptis habita, congruè ducimus à Curatis Parœciarum, in quibus celebrantur, quæ sacra ab ipsis fiunt, regi ac disponi, & non ab alio Sacerdote, nisi de Curatorum consensu, sine quibus quidquam agi non putamus æquum, cum debeant Deo & Episcopis, de omnibus quæ fiunt in eorum Ecclesijs, rationem rèddere, & plecti pœnâ, si quid permiserint perperam aut impiè geri. Inhibemus etiam in Dominicalibus earum Missis aquam & panem benedici, aut conciones haberi, sed ea servari Parœciali Missæ, à qua populos avertunt. Vetamus imagines baculis impositas à mulieribus deferri intra Ecclesias, sed omnia cum pietate & decentia fiant: frequentiam & sumptum conviviorum, quæ à Caritatis fratribus, & alijs tam separatim per ordinem, quàm conjunctim impensâ fraternitatis agitantur, ebrietates, lascivias & scurrilitates quæ in

ipſis committuntur, ac denique omnia quæ ad caritatem & ædificationem non pertinent, damnamus, & ea perpetrantes anathematizamus. Quidquid verò de collectis & conſcriptorum fratrum contributionibus celebrationi Officij divini ſuperfuerit, ſuffragijs faciendis pro mortuis, fabricis & ornamentis Eccleſiarum atque alijs pijs operibus impendi præcipimus.

35. Ad tollendos abuſus circa fabricarum adminiſtrationem, decernimus nemini licere, ſine Ordinariorum judicio & autoritate, bona ad eas pertinentia vendere, aut cuiquam dare, aut quomodocumque alienare, aut in alios uſus convertere, quàm quibus aſſignantur: Et omnes declaramus ſacrilegos, qui quacumque de cauſa illis fuerint abuſi, & ad reſtitutionem teneri, ad eámque cogi per Cenſuras Eccleſiaſticas, atque alia juris remedia. De illorum itaque alienationibus à triginta annis volumus per Epiſcopos diligenter inquiri, & provideri: ab ipſis etiam procedi per eaſdem Cenſuras contra bonorum illorum detentores & occupatores, ut nec dominis locorum liceat ipſa poſſidere, & ad cenſum tenere. De adminiſtratione verò eorumdem, & alijs ad fabricas ſpectantibus, ratio Ordinario reddenda eſt, ut Eccleſiarum Paſtori & tutori. Quòd ſi ex conſuetudine aut privilegio, aut conſtitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda fuerit, tunc cum his etiam adhibeatur Ordinarius, aut ad ipſum priuſquam obſignetur, referatur, ne qua fraus committatur. Aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minimè ſuffragentur. Propter infinitas de his querimonias, cogāt Epiſcopi ſibi illas rationes redhiberi, ut examinentur, urídque gratis, & ad ſuum ſupplementum viros bonos ad id committant. Pervenit ad hanc Synodum à quibuſdam officiarijs ſæcularibus illas rationes expoſci, & pro illis audiendis magnam argenti copiam exigi, aliáque gravamina fabricis & Curatis ab illis infligi, idque etiam contra Chriſtianiſſimi noſtri Regis ſuper hoc ſtatibus noſtræ Provinciæ declarationem. Idcirco ſtatuimus illos ad receptorum reſtitutionem teneri, & in poſterum perſeverantes excommunicationi ipſo facto ſubjicimus.

36 Quoniam natura & ratio judicij poſtulat, nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem: magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à

quibuſvis,

quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus, absolverentur: Inde manarunt casus reservati tam sedi Apostolicæ, quàm Episcopis, quos nosse inferiores Sacerdotes oportet. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ autoritati, non tantùm in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris tum absolvere possint: extra quem articulum Sacerdotes cùm nihil possint in his casibus reservatis, id unum pœnitentibus suadere nitantur, ut ad superiores & legitimos Judices, cùm convaluerint, pro beneficio absolutionis mittant. Intelligant autem post Concilium generale Tridētinum, concessum Episcopis, in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs esse permissum. Curati itaque, quoties inciderit circa hæc difficultas, consulant suos Episcopos, à quibus cùm videbitur expedire, potestatem accipiant quosdam absolvendi à casibus reservatis.

37. Quamvis Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiant: nullus tamen, etiam regularis potest confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parœciale beneficium, aut ab Episcopis, per examen, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem atque exercitij potestatem, quæ gratis detur, obtineat. Nullus itaque Sacerdos, atque etiam regularis, ne quidem in suo conventu, audeat, maximè per omne tempus Quadragesimæ, & octavas Paschæ, audire confessiones quorumcumque, & aliquem absolvere, nisi de licentia Episcopi expressa, atque etiam in scriptis habita.

38. Prædicationis munus Episcoporum est præcipuum, quod in suis Ecclesijs, per se debent exequi: Sin legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument. Nullus autem sæcularis sive regularis, etiam in Ecclesijs suorum ordinum, con-

tradicente Episcopo prædicare præsumat. Regulares cujuscumque ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum ordinum, nullo modo prædicare possunt. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, ab eisque benedictionem petere tenentur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesijs verò quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam superiorum suorum, etiam licentiam Episcopi habere debent sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum ordinum nullo modo prædicare possunt. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant. Ordinarij verò, seu stationarij regulares, in qua Diœcesi licentiam petere obligantur, justo spatio ante tempus adventûs, & quadragesimæ petant: utpote in Synodo Diœcesana æstivali, ut si illi non fuerint capaces, sibi de alijs providere possit Episcopus. Nec liceat ulli nominato per Episcopum, ad certum locum prædicationis, sine consensu ipsius illo relicto, ad alium transilire, ac pro arbitrio, in loco sibi ab Episcopo assignato alterum sibi supponere.

39. Si quis aliter munus prædicandi usurpaverit, aut si quis quacumque fulgeat dignitate, prædicatores in præjudicium Episcoporum committere præsumpserit, excommunicetur.

40. Quoniam ex Concilijs Parœci debent suis in Ecclesijs prædicandi munus, si capaces & irreprehensibiles extiterint, non impediantur à regularibus, etiam ab Episcopo missis: quandoquidem in defectum & supplementum Curatorum mittuntur, & non ut Parœcos à suis officijs excludant, aut impediant. Missi regulares teneantur licentiam suam exhibere Curatis, ac cum ipsis de correctione populi, prædicationis ædificatione, atque hora & loco convenire. Monemus autem Curatos & Parœcianos seminantibus pro ipsis spiritalia, in temporalibus pro viribus ministrare, & tamquam Angelos Dei suscipere, populorúmque devotioni atque eleemosynis commendare.

41. Si Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiam contra exemptum, sedis Apostolicæ autoritate Episcopis hac in re concessâ. Moneantur autem regulares, ne juniores ad concionem & eleemosynarum col-

lectionem emittant, nisi quorum vita diu fuerit spectata, & capacitas, propter scandala quæ per ipsos oriri possunt in populis. Episcopi verò subsidiarios regulares tueantur, & charos habeant atque alant, sicut coadjutores, omnésque illis factas injurias & contumelias suas esse existiment & propulsent. Juniores ad studia literarum foveant, atque conventus pro suis facultatibus, tamquam concionatorum seminaria sustentent.

42. Pervenit ad hanc Synodum de quibusdam, qui cùm sint nomine regulares, extra claustra tamen & obedientiam religionum suarum vivunt & concionandi munus usurpant. Pervenit etiam de alijs habitum Franciscanorum, sed diversi coloris gestantibus, qui conventus aliquot in hac Provincia possident. Sed nec eorum ordo à sede Romana probatus est, & vita multis scandalis subjacet. Præcipimus prioribus regularibus sub anathematis pœna, ut ad suos conventus redeant, & contumaces tamquam apostatas comprehendi. Posteriores verò jubemus aut Franciscanorum ordini à sede Apostolica approbato, si divi Francisci regulam professi sunt, se adjungere, aut ex approbatis alicui, si religioni obstricti fuerint, ne religionis obtentu regularis disciplinæ contemptus inducatur, & in nostris Diœcesibus invalescat.

43. Resipiscentibus ab hæresi ministris & Clericis nunquam fuit in Ecclesia facilè creditum, aut commissum apud Catholicos concionandi munus, propter impressam animis errorum labem, quæ vix prorsus eluitur. Idcirco monemus Episcopos ne talibus dent leviter licentiam prædicandi verbum Dei, sed potiùs eos adhortentur ad præteriti temporis lamentum in silentio, & pœnitiæ fructus edendos, memores Origenis ad concionandum post lapsum invitati, & nihil aliud in concione loquentis, quàm ex Psalmista: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis nomen meum per os tuum?* Multò verò minus ad sacerdotia admittantur. Attamen ex pœnitentiæ mensura, & ædificationis spe ac probabilitate, potest cum hujusmodi dispensari atque indulgentiùs agi.

44. Postremo ne aliqui beneficiarij nostris in Diœcesibus lateant intrusi, ac sine titulo. Præcipimus à quibuscumque tam Parœcialium, quàm aliorum quorumcumque beneficiorum possessoribus, ut intra semestre exhibeant suis Episcopis provisiones suas & dispensationes, & procedatur contra deficientes per Censuras Ecclesiasticas, retentionem fructuum, atque etiam privationem eorumdem beneficiorum.

DE MONASTERIJS.

1. OPTANDUM magis quàm ſperandum noſtris diebus Monaſteria in antiquum ſtatum reſtitui. Neque enim dici poteſt, quanta paſſa fuerint detrimenta tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ex mala eorum adminiſtratione, quibus commiſſa ſunt: ut tamen ad aliquam tolerabilem formam reducantur; imprimis reſervationum omnium de ipſis petitionem & conceſſionem, atque aliorum quorumcumque beneficiorum, declaramus, pœnis de voto captandæ mortis alterius, & de voluntario homicidio ſubjacere ac affines eſſe: ac ſupplicamus Chriſtianiſſimo noſtro Regi, & Principibus, à quibus ad beneficia electiva, aliqua fit præſentatio, necnon & Senatibus, ut Sanctiones canonicæ ſuum ſortiantur effectum, quibus inhabiles pronuntiantur ad obtinenda quæcumque beneficia, qui per reſervationem Eccleſiam viventis ambierunt. Sanctiſſimo verò D. N. Papæ ſupplicamus, ut non prius de ullo Monaſterio, ſeu electivo prioratu, cuiquam expediatur proviſio, quàm inquiratur: & intra tres menſes audiatur reſponſio Metropolitani noſtri, aut Epiſcopi, ſive Capituli in cujus Diœceſi exiſtunt, de modis quibus jus ad illa acquiſierit, cui providendum eſt, an per reſervationem ipſi aut alteri datam, an per ſimoniam, fidei commiſſionem, an per aliquam de partitione fructuum, aut jurium promiſſionem, aut aliâ licitâ ratione, & de illius religione ac ſufficientia.

2. Supplicandum inſuper à parte hujus ſanctæ Synodi exiſtimavimus Chriſtianiſſimo noſtro Regi, ut electiones juxta morem antiquum aliquando reſtituere dignetur: & interim intra ſex menſes juxta Concordata, aut ad ſummum intra novem, teneantur nominati ad Monaſteria & Prioratus proviſiones à ſede apoſtolica impetrare: aut omni jure excidant, & fructus pietatis operibus per Epiſcopum applicentur, donec eiſdem aut alijs proviſum fuerit ab eadem ſede Romana.

3. Abbates & Priores electivi, ſive regulares, etiam exempti, ſive Commendatarij, non recipiantur ad capiendam poſſeſſionem, niſi prius editâ in manibus Epiſcopi confeſſione fidei Catholicæ ex formula in hoc Concilio provinciali recepta, & poſt adeptam poſſeſſionem Bullas ſuas in ſecretariatu, ſicut olim fiebat, ſive apud Actuarium inſinuationum curent in regiſtris deſcribi: unde liceat Epiſcopis cognoſcere, de facultatibus, indultis, aut one-

ribus à Sanctiſſimo D. N. Papa ipſis impoſitis. Nam pleriſque in titulum providetur, atque ad onus ſuſcipiendi regularis habitûs, qui tamen in ſæculari remanent, ac ſe Commendatarios jactant. Propterea jubemus, ut intra très menſes omnes Abbates, & Priores noſtrarum Diœceſeon huic Decreto pareant, & inobedientes poſt tertiam admonitionem excommunicatione feriantur.

4. Abbates & Priores regulares atque etiam exempti, Commendatarij, ſi ætatem præſcriptam à jure ad ſuſcipiendos ſacros ordines attigerint, intra annum promoveantur: facultatéſque de non promovendo, præterquàm in caſibus à jure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur: aliàs Epiſcopus pro ſuo jure agat, uſque ad declarationem vacantium omnium beneficiorum. Promoti verò ijſdem legibus ad celebrandam Miſſam, quibus omnes Preſbyteri, atque Epiſcopi obligentur, & compellantur ab ordinarijs, ſi fuerint contumaces aut contemptores. Commendatarij, quamvis ad regularem obſervantiam non obligetur, ne tamen ſint ſine jugo atque omni regula, decet eos medium ſtatum atque ordinem ſequi, & oſtendere inter regulares & ſæculares Clericos in veſtitu, in victu, & in omni ornatu. Tonſurâ utantur ampliori quàm Sacerdotali, habitu propiùs ad regularem accedente: nec exiſtiment ſibi commendatum Monaſteriorum regimen, ad luxum & prodigalitatem, aut ad augendam rem ſuam & conſanguineorum familiam, ſed ad piam & juſtam alienarum rerum diſpenſationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam eſſe rationem.

5. Fundationibus Monaſteriorum nihil magis adverſatur, quàm Conventui Monachorum laïcos aut mulieres præeſſe, ac pro Abbatibus ſive Abbatiſſis ſe gerere, atque etiam in his habitare. Quiſquis ſciens tales, aut quaſcumque mulieres intra ſepta Monaſteriorum illorum reſidentes & commorantes, ad ſacram communionem admiſerit, ſit ſuſpenſus à divinis. Quod etiam ad eas extendatur, qui Monaſteria adminiſtrant, & Monachis victum partiuntur, aut indebitè frequentant.

6. Nemini Abbatum, aut Priorum aut Clericorum, aut aliorum Eccleſiaſticorum liceat decimas, fructus & adminiſtrationem monaſteriorum, prioratuum, aut quorumcumque beneficiorum locare aut committere recipiendos, alijs quàm Catholicis viris, & qui ante contractum non ediderint confeſſionem fidei Romanæ

Ecclesiæ in manibus Capituli Monachalis, aut Episcopi. Præterquàm enim quòd ab alienæ religionis hominibus monachi ad omnia vitia, atque etiam ad hæresim invitantur, coloni bonorum Ecclesiæ, & Curati, quibus aliquid ex illis fructibus debetur, multis modis affliguntur & divexantur, aut etiam ad hæresim sollicitantur.

7. Episcopi inquirant & provideant de his omnibus, quæ ad Dei cultum & servitium spectant in Monasterijs, ut totum & debitis horis fiat cum decenti reverentia, surgatúrque mediâ nocte ad matutinas si fuerit loci aut regulæ antiqua consuetudo. Ab hoc enim omnia ferè Monasteria fundantur, ut orent & excubias agãt, ne dormientibus alijs hominibus, inimicus superseminet zizania. Postea videant si saltem ad satisfaciendum divinis officijs numerus religiosorum sufficiat pro fundationum institutione, aut saltem pro facultatum copia. Deinde an suppetant in Ecclesia omnia quæ ad serviendum Deo sunt necessaria? An ipsius Ecclesiæ ac locorum regularium sint sarta tecta? & prospiciendum quâ ratione omnibus his provideri queat, per Censuras Ecclesiasticas & retentionem fructuum, invocato brachio sæculari (si opus est.)

8. Visitante Episcopo, teneatur Abbas regularis, seu commendatarius adesse, nisi justâ causâ per Episcopum judicandâ impediatur, aut eo casu Vicarius legitimè constitutus, qui quod ordinatum fuerit, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, exequatur, aut canonicis pœnis coërceatur.

9. In quacumque religione, tam virorum quàm mulierum, juxta Decretum Concilij Tridentini, professio non fiat ante decimum sextum ætatis annum expletum, neque qui minori tempore quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. Finito tempore Novitiatûs, superiores ipsi novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut Monasterio ejiciant, abeuntibus verò ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, & Monasterio contulerant, deductis alimentis & vestimentis. Quod ut rectè fiat Episcopus per Censuras Ecclesiasticas (si opus fuerit) compellat. Ante professionem nemo capax habeatur aut officij aut beneficij Monachalis, aut si quod obtinuerit, vacare censeatur.

10. Religioſi ad regulæ, quam ſunt profeſſi, præſcriptam vitam inſtituere & componere debent: atque imprimis obſervare obedientiæ, paupertatis & caſtitatis vota, ac ſi quæ alia ſunt alicujus ordinis & regulæ pecularia vota & præcepta ad votorum reſpectivè eſſentiam, necnon ad communem vitam, & victum & veſtitum conſervanda pertinentia, ab híſque nunquam recedendum. Neque enim poſſunt à ſuperioribus ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Nam ſi illa quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

11 Conſtituto in regulari vita, cujuſcumque qualitatis fuerit, non licet bona mobilia, vel immobilia, etiam quovis modo acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine conventûs poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea tradere ſuperiori, conventuique incorporare. Nec licet ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, ad adminiſtrationem, vel commendam. Attamen poteſt ſuperior alicui tamquam officiario, ad tempus aut ad vitam rem committere, cujus conditionem faciat meliorem, & acquirat non ſibi, ſed Monaſterio. In his exequendis & reformandis prudentiâ & manſuetudine opus eſt, ne frangamus potiùs quàm corrigamns, quæ in pravum longâ conſuetudine induruerunt.

12 Monaſteria reformentur ſecundum regulas, quas profitentùr in unoquoque ordine. Sit in omnibus menſa, veſtitus, cohabitatio, & clauſura communis. Quamdiu durabunt Commendæ, Priores clauſtrales, ac in Prioratibus conventum habentibus Superiores, qui correctiones & ſpirituale regimen exercent, à Capitulo Abbati, ſeu Priori Commendatario præſententur. Quòd ſi diſſenſerint, ad Epiſcopum negotium diſcutiendum referatùr, qui de Priore regimini apto providebit. Non probamus à ſolis Capitulis inſtitui: quandoquidem plerumque deteriorem ſolent poſtulare. Hos amovibiles decet eſſe, ſicut omnes officiarios clauſtrales, præſertim ſi deſierint rectè ad utilitatem Monaſterij ſuo fungi officio. Sed viciſſim cavendum, ne per vindictam, quia nolunt Abbatum aut religioſorum cupiditatibus obſequi, petantur amoveri: de quo Epiſcopus aut Viſitatores judicabunt.

13 Omnes officiarij teneantur in Capitulis generalibus rationem reddere de ſuis officijs, & coram viſitatoribus vocato Abbate, etiam Commendatario, aut ejus Procuratore ſeu Vicario, ne

quid reticeatur quod in administratione fuerit perperam gestum. Nullus in eodem claustro plura exerceat, aut possideat officia. Est enim æquum, ut omnes pro sua antiquitate honorentur & invitentur ad bene agendum.

14 Præsentatio beneficiorum sive regularium, sive sæcularium quæ ad monasteria pertinent, de jure communi, tam ab Abbate quàm à conventu conjunctim fieri debet in Capitulo, nisi aliter inter eos fuerit conventum, aut ab antiquo observatum. Cui de beneficio provisum fuerit, aut ad ejus residentiam vadat, aut si residentia in beneficio fieri non possit, conveniat de fructibus ejus cum Abbate, & conventu, ut cum alijs vivat. Nullus tamen sinatur beneficium obtinere, aut claustrum egredi ad beneficiorum regimen, nisi cujus spectata aut probata fuerit fides, & sanctitas, ut laïcis potiùs ædificationem quàm scandalum afferat.

15 Abbas vel Prior nulli Monacho det licentiam egrediendi Monasterio sine urgenti necessitate: nunquam autem ut ad nundinas, vel ad vicinorum pagorum festa, vel consanguineorum nuptias, vel ad Missas per Parœcias aut pagos celebrandas, nisi ob maximum defectum Presbyterorum rogati vadant: nunquam autem ut infantes à sacro baptismatis fonte suscipiant, nisi cogat necessitas.

16 Mensa, & victus regularium, statui paupertatis, quam sunt professi, non deroget. Sed si quid de frugali sumptu superfuerit, colligatur ne pereat, ac de communitatis reditibus diligenter rationes reddantur coram religiosis, aut visitatoribus in præsentia Abbatis, etiam Commendatarij, maximè si Presbyter extiterit. Quod verò reliquum fuerit, impendatur ornatui, aut fabricæ Ecclesiæ, pauperibus, aut alijs rebus Monasterio necessarijs. Deficientium à statis horis Chori, aut aliter delinquentium portio, nec Abbati, nec Conventui accrescat, sed Ecclesiæ cultui aut pauperibus applicetur. Sine gravi culpa, & post omnia tentata, quibus emendari possit nemo tamquam incorrigibilis ad aliud transmittatur Monasterium: ne tacitis aut clandestinis odijs Abbatum, aut aliorum regularium detur vindictæ locus. Qua in re, ne quidem Vicarijs Episcoporum, ipsis inconsultis, libera judicandi potestas debet concedi,

17 Quicumque regularis prætenderit se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere

quacumque

quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi infra quinquennium tantùm à die professionis: Et tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo, atque Ordinario. Quòd si priùs sponte habitum dimiserit, nullatenus ad allegandam quãcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur. Interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur, juxta Decretum sacri Concilij Tridentini. Ordinarius, quoniam ejusmodi causæ maximi sunt momenti, ipsemet judicet, nec ad Vicarios, nisi legitimè impeditus, transmittat.

18. Abbates & Priores conventuales etiam de suo Monasterio minores aliquos emittant ad famosas Universitates, qui tamen in conventibus tantùm habitent, eisque assignent portionem congruam ad victum, ut postea bene instituti, prosint Monasterio & ejus viciniæ.

19. Postremò ut paternitatis publicæ erga omnes, sed maxmè pauperes, maneat in Monasterijs aliquod vestigium: obtestamur omnes Abbates & Priores conventuales, sub interminatione divini judicij, ut hospitalitatis & pauperum nolint oblivisci: & ut in Monasterijs eleemosynarij, non seipsos, sed pauperes pascant, ac de quotidianis eleemosynis rationem diligentem per singulos menses Conventui & visitatoribus, coram Abbate, etiam Commendatario Presbytero reddant.

20. Synodus salva & inviolata vult statuta & privilegia Monasterij sancti Martini Sagiensis Diœcesis in Normania, de congregatione & reformatione Casalis Benedicti, nihílque de eisdem statutis & privilegijs dicti Monasterij abrogare intendit, salvo jure Episcopali.

21. De ipsis Monasterijs in Prioratus, in quibus vigere debet regularis observantia, tot regulares mitti jubemus ad divinum explendum officium, quot ex fundatione requiruntur, aut quot ferre possunt eorum facultates. Excommunicationi verò subjicimus Priores ac quoscumque alios, qui post trinam admonitionem, advenientes non receperint, vel ad victum aut habitationem necessaria suppeditare recusaverint. Sub eadem pœna ipso facto incurrenda præcipimus, ut quarumcumque Ecclesiarum fundationes diligenter observentur, nihilque immutetur, præsertim si approbatæ fuerint ac confirmatæ ab Archiepiscopo, aut

Epiſcopo Diœceſis, in qua dictæ Eccleſiæ exiſtunt. Nec liceat his qui ſe dicunt fundatorum hæredes eſſe, aut illarum Eccleſiarum poſſeſſoribus hujuſmodi fundationes intervertere, aut immutare, in alióſve uſus etiam pios convertere. Sanctorum enim Patrum conſtitutionibus ſancitum eſt, ſtandum eſſe voluntati fundantium, & dotantium Eccleſias: ut pro animabus ipſorum & prædeceſſorum, atque ſucceſſorum Deo preces in ipſis funderentur.

22. Noſtris peccatis ita merentibus, in hoc regno pleriſque in locis jacent Monaſteria diruta, Prioratus, Capellaniæ, atque etiam Parœciales Eccleſiæ collapſæ, & in profanos uſus transferuntur, earumque fructus à laïcis occupantur. De his valde curandum eſt, ne ea quæ ſacris miniſterijs dedicata ſunt, temporum injuriâ obſoleſcant, & ex hominum memoria excidant. Epiſcopi itaque congruentibus remedijs invigilent; etjam per retentionem fructuum, uſque ad eam partem quam judicarint congruere, ut Monaſteriorum Eccleſiæ, quæ renovatione, aut reſtauratione indigent, reficiantur, & in eis debita obſequia rectè exerceantur, invocato (ſi opus fuerit) brachij ſæcularis auxilio, & remotâ omni appellatione. Profanatores verò Prioratuum & Capellaniarum cogant quibus poterunt modis, etiam per excommunicationem, ad earum purgationem & reparationem, ac fructuum reſtitutionem. Si verò vetuſtate, vel aliàs collapſæ fuerint, & ob earum inopiam nequeant inſtaurari, vocatis his quorum intereſt, in matrices, aut alias Eccleſias locorum eorumdem, ſeu vicinorum, arbitrio ſuo transferant, atque in ijſdem Eccleſijs erigant altaria, vel Capellas, vel Prioratus ſub ijſdem invocationibus, vel in jam erecta altaria, vel Capellas, vel Prioratus traducant, cum omnibus emolumentis & oneribus prioribus Eccleſijs impoſitis. Parœciales verò Eccleſias, etiamſi juris patronatûs ſint, ita collapſas refici procurent ex proventibus quibuſcumque ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus: qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes qui fructus aliquos à dictis Eccleſijs provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parœcianos, ac quoſcumque qui ſecundum loci conſuetudinem tenentur, alioſque quoſcumque juxta Concilij Tridentini Decretum contribuere compellant. Omnibus verò remedijs opportunis ad prædicta cogant, etiam per interminationem divini judicij & excommunicationis. Quòd ſi nimiâ egeſtate omnes laborant, ad viciniores Eccleſias transferantur cum facultate tam dictas

Parœciales, quàm alias Ecclesias dirutas, in profanos usus non sordidos, erectâ tamen ibi cruce, convertendi.

23. Anathemati subjiciuntur omnes & singulæ personæ, cujuscumque qualitatis & conditionis fuerint, tam Clerici. quàm laïci sæculares, regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coëgerint viginem, vel viduam, aut mulierem invitam, præterquam in casibus à jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendnm habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem: quíque consilium, auxilium, vel favorem dederint: quíque scientes eam non sponte ingredi Monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquomodo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjiciuntur, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi veli, vel votum emittendi quoquo modo, sine justa causa impedierint. Eaque omnia & singula quæ ante professionem, vel in professione fieri oportet, serventur, non solùm in Monasterijs subjectis Episcopo, sed alijs quibuscumque.

24. Libertati professionis virginum Deo dicandarum, ut prospicerent, sancta Concilia statuerunt: ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo impedito Vicarius, aut alius ab ipsis eorum sumptibus deputatus, virginis voluntatem, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Quòd si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas, juxta Monasterij & ordinis regulam, necnon Monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat. Cujus professionis diem ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere. Quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

25. Sacræ virgines videant quomodo corpore & spiritu placeant Deo, & non cogitent quæ mundi sunt, sed quæ facultatem præstent sine impedimento Dominum obsecrandi: Sponsæ fiant Christi, non adulteræ, nec in professione fidem datam irritam faciant: sperent in Deum, instent orationibus & obsecrationibus nocte & die, saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum fa-

ciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſalutari præſidio muniant ſe ad omnes oppugnationes dæmonum fortiter ſuperandas.

26. *Non ſint otioſæ, non verboſæ, non curioſæ, loquentes quæ non oportet*, nullam dent adverſario occaſionem maledicti gratiâ, nec in victu, nec in ſermone, nec in velo, nec in omni habitu, in quibus omnibus delicias fugiant. *Viventes enim in delicijs mortuæ ſunt*, & facilè convertuntur poſt Sathanam. T 5. Ib v.

27. Præcipitur à ſanctis Concilijs univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione divini judicij, & interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus Monaſterijs ſibi ſubjectis, Ordinariâ, in alijs verò ſedis Apoſtolicæ autoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtituere, & ubi inviolata eſt, conſervare maximè procurent. Inobedientes atque contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacumque appellatione poſtpoſitâ compeſcentes, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) brachij ſæcularis auxilio. Quod ut præbeatur, omnibus magiſtratibus ſæcularibus ab eiſdem Concilijs injungitur ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à Monaſterio etiam ad breve tempus quocumque prætextu, niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque & privilegijs non obſtantibus. Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cujuſcumque generis, aut conditionis, ſexûs, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi licentia, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſarijs, neque alius ullo modo poſſit, etiam vigore cujuſcumque facultatis & indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.

28. Quia per injuriam noſtrorum temporum multæ Moniales profeſſæ relicto Monaſterio, vel cum parentibus, vel hominum conſortio, nec ſine multorum ſcandalo vivunt, excommunicationis laqueis irretitæ, omnibus præcipimus ut ſingulæ ad ſuos conventus quamprimùm redeant, clauſuram & regularem obſervantiam cum alijs obſervaturæ. Inobedientes verò, apoſtatrices, declaramus. In qua excommunicatione ſi uſque ad mortem permanſerint, Chriſtianâ careant ſepulturâ, nec in loco ſacro ſepeliantur. Poſtremò Epiſcopi viſitantes videant, quonam pacto poſſint

providere circa Moniales hospitalium, de quibus infinitæ sunt querimoniæ.

29. Quæ Monasteria Sanctimonialium in pagis, vel extra mœnia urbium, vel oppidorum constituta, malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus, sine ulla sæpe custodia sunt expositæ: curent Episcopi & alij superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex his ad nova vel antiqua Monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio (si opus fuerit) brachij sæcularis. Impedientes verò & non obedientes per Censuras Ecclesiasticas parere compellant.

30. Non deputentur Monialibus Confessarij, atque aliorum Sacramentorum, & officij divini ministri, nisi de Episcopi consensu & prævio examine per eum, aut etiam Vicarium faciendo: & præter ordinarium confessorem, alius & extraordinarius ab Episcopo & alijs superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

31. Nemini liceat Monasteria, vel domos tam virorum quàm mulierum etiam mendicantium, aut Parœcias, aut etiam oratoria erigere sine Episcopi (in cujus Diœcesi eriguntur) licentia prius obtenta, & in eis non major numerus constituatur, ac in posterum conservetur, aut onera imponantur, quàm ex reditibus, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

32. Magno nostro dolore per nostrorum temporum invalescentem malitiam plerique ex Monasterijs tam virorum quàm mulierum, atque etiam mendicantium, abierunt retrò post Sathanam: nec solùm suis ordinibus renuntiarunt, sed matrimonia contra vota contraxerunt. Omnes rogamus & obtestamur in Domino, ut resipiscant à laqueis Diaboli, & cum redeuntibus ad suorum ordinum conventus, misericorditer, ac cum verè pœnitentibus indulgentiùs agere superiores hortamur, modò de irregularitate & apostasia à sede Apostolica veniam impetrarint. Qui verò in sua nequitia contumaces perstiterint, omnibus modis tamquam oves perditas ab eisdem superioribus quæri & compelli ad intrandum præcipimus, etiam brachio sæculari invocato.

33. Prohibemus autem Curatis & alijs quibuscumque, ne tales cognitos admittant ad communionem, ac ne quidem sinant ingredi in Ecclesiam, atque etiam mortuis denegent Christianam sepulturam.

34. Pervenit ad nos, á quibusdam superioribus de ordinibus Reli-

giosorum, etiam mendicantium, prætextu suæ regulæ, aut privilegiorum à sede Apostolica obtentorum, quos etiam Presbyteros in suis Conventibus judicarunt incorrigibiles, habitu monachali exui, & sæculari ac Presbyterali indui, fierique de eorum indulgentia Apostatas: ipsis denique potestatem dari, ut in nostris Diœcesibus vagentur Presbyteri ad celebrandam Missam, & prædicandum verbum Dei. Interea fiunt pejores Clerici quàm fuerant Monachi, unde infinita nascuntur scandala. Monemus in Domino Superiores ordinum etiam mendicantium, ne ad Ecclesiæ destructionem abutantur indultis Apostolicis, aut regulâ suorum ordinum, nec suos incorrigibiles à suis domibus dimittant, sed in firma custodia detineant, ac potiùs alios à suis Monasterijs fugitivos investigent, ne suis Ordinibus & nostris Ecclesijs scandala præbeant. Si secus fecerint, contra ipsos juxta sanctiones Canonicas procedetur. Quisquis verò, etiam de eorum licentia vagus Presbyter & Apostata inter nostros deprehensus & cognitus fuerit, non permittatur celebrare Missam, nec prædicare, ac ne quidem admittatur ad laïcam communionem, sed cogatur ad claustrum redire, aut incarceretur, aut fiat sicut unus de Apostatis.

35. Ut autem hæc omnia & singula in superioribus Decretis contenta in omnibus Monasterijs & domibus virorum, seu mulierum sub quavis gubernatione & subjectione existentibus observentur: præcipitur Episcopis, ut in Monasterijs sibi subjectis, & in alijs etiam non subjectis in casibus à sacris Canonibus, præsertim Concilij Tridentini decretis specialiter ipsis commissis, statim prædicta exequantur: quæ verò extra casus prædictos in Monasterijs & personis ab Episcoporum jurisdictione & subjectione exemptis ordinata sunt, ea studeant Abbates alijque ordinum Superiores, ad quos ea cura spectat, executioni demandare: quibus negligentibus juxta ejusdem Concilij Tridentini ultimum Decretum *de Regularibus*, erit providendum.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA.

1. CUm & Canonicis & Regijs constitutionibus Jurisdictio Ecclesiastica semper sejuncta fuerit à sæculari, tam in personalibus, civilibus, quàm in criminalibus causis: ita ut nec à sæcularibus Judicibus Ecclesiastici debeant compelli ad debita sol-

venda, nec ab his puniri, ſi quid animadverſione dignum commiſerint, ſed ad Judices Eccleſiaſticos debeant remitti in caſibus præſcriptis à ſacris Canonibus. Monemus in Domino dictos judices ſæculares, ut dictis Canonibus pareant, nec falcem in meſſem alienam mittant. Quòd ſi moniti non paruerint, excommunicationis vinculo ſe noverint ſubjacere. Præcipitur verò omnibus Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis, ne coram judicibus laïcis litigent, néve voluntariè ſe eorum juriſdictioni ſubjiciant in caſibus ad Judices Eccleſiaſticos pertinentibus, ſive actores, ſive rei ſint. Quòd ſi ſententiam excommunicationis non veriti fuerint, alijs Canonicis pœnis graviſſimè puniantur.

2. Studeant Officiales brevi compendio lites dirimere: Ideóque præcidant dilationes, quibus hactenus uti conſueverunt: ac litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicij differenda modis omnibus, aut termini præfixione aut competenti aliâ ratione occurrant, & incautis criminalibus, humanæ ſortis memores, aut nocentes reos damnare, aut inſontes citò abſolvere debent.

3. Publicatis elogijs teſtium ſeu inqueſtis, non admittant reos ſeu defenſores dare recuſationes ſeu reprobationes teſtium, nec hujuſmodi recuſationum probationem fieri, ne poſt didiſcita (ut aiunt) teſtimonia, detur teſtes ſubornandi & fabricandi locus.

4 Caveant in poſterum Promotores excommunicationes & abſolutiones decernere, cùm hæ ſint partes Judicum. Procurare enim ſolùm Promotores debent, ut ſarta tecta conſervetur Eccleſiaſtica diſciplina, & tamquam accuſatores poſtulare & requirere, ut in eos qui illam diſciplinam violarint, corruperint, ſeu quid vitij & ſceleris commiſerint, inquiratur: unde Promotores nomen ſortiti ſunt. Iniquiſſimum autem eumdem & accuſatoris & judicis partes agere.

5. Monet ſancta Synodus eoſdem Officiales, ne quemquam coram ſe citatum, eo quòd prima die aſſignatâ non comparuerit, ſuſpenſum à divinis, ſeu excommunicatum declarent: ſed jubeant tantùm non comparentem iterum citari: qui ſi rurſum non comparuerit in judicio, vel per procuratorem non reſponderit, procedant per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exiſtentibus eo ipſo quòd exactæ fuerint aſſignentur, retentionem fructuum, beneficiorum privationem, aliaque juris remedia. Quòd ſi executio realis vel perſonalis adverſus eos hac ratione

fieri non potuerit, ſitque erga Judicem contumacia : tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas ferire poterit, Excommunicatus verò quicumqne, ſi poſt legitimas monitiones, non reſipuerit, non ſolùm ad ſacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur : ſed ſi obdurato animo cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit.

6. Meminerint Officiales non temerè & leviter executorum ſchedulis ſeu relationibus credendum eſſe, niſi diem & horam, necnon locum, ubi perſonam, cui aſſignatio denuntiata fuerit, invenerint, & coram quibus teſtibus facta fuerit, dictæ relationes contineant.

7. Excommunicationes quæ ad finem revelationis, aut pro deperditis rebus fieri ſolent, à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo, ac niſi de re non vulgari, cauſáque per eumdem diligenter examinata decernantur : nec ad eas concedendas cujuſvis Magiſtratûs autoritate adducantur, ſed totum hoc in illorum arbitrio & conſcientia poſitum ſit. Eaſdem tamen poterit etiam Vicarius Epiſcopi concedere, ſi hæc facultas ei ſpecialiter ab Epiſcopo fuerit demandata.

8. Non liceat Epiſcopis ſigillum ſuum ad certum pretium locare, ſed illud probo viro, nec indocto, tamen Eccleſiaſtico committant.

9. Præcipitur verò Epiſcopis, ut certum locum ſecretarijs ſuis aſſignent, ubi regiſtra ordinationum, proviſionum, collationum, & aliorum actorum à dictis Epiſcopis, ſeu eorum Vicarijs emanatorum perpetuò cuſtodiantur, ne earum rerum pereat memoria, & inde exempla, ſeu extractus, cùm neceſſarium fuerit, petantur.

10 Actuarios quoque ſeu Graffarios Curiarum Eccleſiaſticarum & Capitulorum Clericos, ſeu Notarios non uxoratos & ſcribendi peritos inſtituant : quibus non liceat ſuum alijs delegare officium. Quòd ſi illud aut morbo impediente, aut aliâ urgente neceſſitate, explere non poſſint, in eorum locum Officiales Notarium aliquem, aut probum virum ſubſtituant.

11. Caveant autem illi actuarij, ne abſente Officiali ſuo teſtes examinare præſumant (cùm ſit id omni jure vetitum) ſub pœna nullitatis.

Sportularum

12 Sportularum & ſalarij pro Actorum expeditione, ac pro apparitoribus, & ceteris Eccleſiaſticæ juriſdictionis miniſtris, & operis moderata ſit erogatio, & à turpi quæſtu aliena, nec ſit ejus major taxatio quàm in Curia Archiepiſcopali & Metropolitana eſſe conſuevit.

13 Sancta Synodus ſanxit Seminaria per Diœceſes erigi juxta formam in Concilio Tridentino contentam, pro quorum ſuſtentatione ordinata & decreta fuerunt quædam in qualibet Diœceſi ab Epiſcopis Clero proponenda: ut ſi quæ opportuniora videbuntur, intra bimeſtre ad Dominum Metropolitanum approbanda remittantur, quatenus illius beneficio à ſummo Pontifice, & à Chriſtianiſſimo noſtro Rege confirmatio (in quantum opus fuerit) impetretur.

14. Quæ omnia judicio & beneplacito Sanctiſſ. D. N. Papæ ſubmittimus.

EPISCOPI, QUI HUIC SYNODO PROVINCIALI INTERFUERUNT ET SUBSCRIPSERUNT.

Nos C. Cardinalis à Borbonio Archiepiſcopus Rotomagenſis, Primas Normaniæ, definientes ſubſcripſimus.

Ego Bernardinus *de S. François* Epiſcopus Bajocenſis ſubſcripſi.

Ego Ludovicus *du Moulinet* Epiſcopus Sagienſis ſubſcripſi,

Ego Claudius *de Sainctes* Epiſcopus Ebroïcenſis ſubſcripſi.

Ego Joannes *de Vaßé* Epiſcopus Lexovienſis ſubſcripſi.

Nos Cl. *Sedille*, & P. *le Got* Canonici Eccleſiæ Abrincenſis, Procuratores & Deputati à Capitulo ejuſdem Eccleſiæ ſede vacante, approbavimus & ſubſcripſimus.

Ego Nicolaus *de Briroy* Vicarius generalis & Procurator Reverendiſſ. Conſtantienſis Epiſcopi, ejus nomine interfui, approbavi, & ſubſcripſi.

Nomina Deputatorum à Capitulis ſupradictarum Diœceſium, Abbatum, Priorum, Procuratorum, & ceterorum, qui huic Synodo interfuerunt, relata ſunt cum actis in commentarios qui in Archivis ejuſdem Eccleſiæ Rotomagenſis aſſervantur,

N. Cleret, & M. Bellin Secretarij Concilij.



DE SCHOLARUM ET SEMINARIORUM FUNDATIONE ET REGIMINE

STATUTA,

In eadem Synodo Provinciali, per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Cardinalem á Borbonio Archiepiscopum Rotomagensem.

1. EPISCOPI per suas Diœceses veteres scholas instaurent, & contra occupatores rerum & possessionum, quæ ad illas pertinent, procedant per Censuras Ecclesiasticas, tam in Monasterijs & Prioratibus, quàm in Collegiatis & Parœcialibus Ecclesijs: Et ubi desunt, omnem operam dent, ut aperiantur ad instituendam juventutem in vijs Domini & bonis disciplinis, ad normam autem & regulam Seminariorum, quoad fieri poterit, in ipsis docendi methodum introducant, ut in eadem Diœcesi omnes scholæ inter se consentiant. Omnes autem dictarum scholarum Magistri fidei professionem juxta formulam præscriptam, & in hac Synodo insertam emittere teneantur.

2. De Seminariorum erectione in unaquaque civitate Cathedrali, aut in alia, si qua in Diœcesi visa fuerit commodior, conventum fuit in hac Synodo Provinciali, ut fiat per contributionem ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quorumcumque beneficiorum, sicut præcipitur à generali Concilio Tridentino. Sed ut tolerabiliorem ipsam redderemus, habitâ ratione infinitorum gravaminum, quæ patiuntur potissimùm in hac Provincia beneficiarij, formam contribuendi præscripsimus, quam omnes sequi oportet, ipsámque ad singulas Diœceses transmisimus.

3. Ad ipsius formæ executionem, Episcopus secum assumet duos quos voluerit, modò sit de Capitulo unus, & alter de Civitatis Episcopalis Clero, quibus Capitulum de suo gremio tertium adjunget, & Clerus Civitatis quartum. Procedent autem ad contributionis taxam quàm citissimè poterunt, ita ut proximo mense Octobri faciliùs ac minori sumptu recipiatur cum subventione Regia à quibuscumque beneficiarijs.

4. Quoniam non nisi tenuis admodum potest fieri contributio, quæ multis alendis, & habitationi comparandæ atque ædificandæ,

alijſque ad Seminarij ſupellectilem neceſſarijs ſufficere nequeat, in Pronais & concionibus, atque etiam per domos ditiorum tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium, in tota Diœceſi fiant adhortationes, & eleemoſynarum petitiones ad hoc tam ſanctum opus promovendum, cujus nec obliviſci debebunt in teſtamento pij viri, præſertim Eccleſiaſtici.

5. Adhortamur autem in Domino omnes ad quos ſpectat beneficiorum aliqua diſpoſitio, ne graventur ad vivendum dare amplioris reditûs beneficia, quàm ferat eorum contributio; ut ex his major numerus Clericorum ali queat, & Seminarium augeri. Obteſtamur etiam in Domino alios omnes patronos tam Eccleſiaſticos quàm laïcos qui ad contributionem non tenentur, ut pietatis ac publicæ utilitatis intuitu, ne malè aut illicitè collocari beneficia ſua ſimplicia, aut penſiones ſuper parœcialibus judicent, ſi Seminarijs attribuerint. Præterquàm enim quòd autoritate ſedis Apoſtolicæ confirmabitur, Seminaria obligabuntur ad onera fundationum, & alia ſibi per dictos patronos imponenda. Quicumque verò patroni intelligant ſibi licere exnunc ad unionem offerre quæ voluerint beneficia, aut penſiones, ſine detentorum & poſſeſſorum, quamdiu vixerint, præjudicio: à quibus tamen reſignari non poterunt, etiam in Curia Romana jam unita beneficia, ac ne quidem alia, niſi cum onere penſionis Seminarijs ſolvendæ, ſi priùs fuerit attributa.

6. Ex Monaſterijs & Prioratibus conventualibus, ſi ad vivendum Seminario beneficia ſimplicia magni proventûs ſupra debitam contributionem contulerint, unus ſaltem regularis aſſumetur ad ipſum Seminarium ſine ulla alia penſione, & liberabuntur de alio mittendo ad ſtudia literarum in famoſas Univerſitates: Regularis verò de Seminario tenebitur omnibus Feſtis ſolemnioribus ad Monaſterium aut Prioratum ire, ne regularis diſciplinæ obliviſcatur: ſed poſt ſtudiorum decurſum ſpatium, ac Preſbyteratum adeptum, redire ad clauſtrum, ibíque Novitios ad regulam, quam in Seminario didicerit, docere; donec alius in ipſius locum Seminario traditus revertatur ad idem clauſtrum, ſuſcipiatque munus docendi eoſdem Novitios.

7. Ad fabricam Seminariorum, & redituum in eis augmentum, atque ad alia neceſſaria proderunt, quæ de leproſariarum, hoſpitalium, fabricarum, ac confraternitatum ſuperfluis reditibus poterunt impetrari. Præbenda inſuper præceptorialis attributa ſcholis

vel attribuenda, & si qua alia sunt ad instituendos & alendos pueros in Ecclesijs & locis destinata, in quibus Seminaria collocabuntur, ipsis debent applicari, eâ tamen lege & conditione, ut in eisdem Scholæ & Collegium totius Diœcesis sit publicum, & provideatur de stipendijs præceptoribus idoneis ad docendam per Classes juventutem, sive in Seminario manentem, sive aliunde advenientem. Sic enim fiet, ut non solùm ad Ecclesiæ regimen provehendi, sed cujuscumque statûs pueri pietatem cum bonis literis imbibant, & cum adoleverint rectam suam educationem, atque institutionem Ecclesiæ referant acceptam.

8. Ad inchoandam perficiendámque Seminariorum fabricam, & gubernationem, Episcopi eligant de Capitulo duos de senioribus ad gerenda negotia non inhabiles & ineptos, de quorum consilio omnia administrabunt, eorumdémque utentur operâ & auxilio. Nec propterea quibus dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium cura Scholarum, in tota Diœcesi incumbit, suo jure privabuntur; quin observent, si in ijsdem Seminarijs omnia secundum fundationem, institutionem & statuta gerantur & administrentur, ut ad Episcopum referant, & cum eo atque alijs deputatis Canonicis, abusibus, si qui irrepserint, provideant.

9. Principio videbunt, si quod in civitate ad Seminarium opportuna ædificium, aut loci spatium commodum Scholis jam assignatum, & eo utentur de consensu omnium quorum intererit: ita tamen ut non admittatur ad oppositionem, cui nihil privati damni accesserit. Ne metiantur autem ædificium & locum ex numero alendorum in præsenti tempore, sed potiùs ex propagandi Seminarij spe, & posteritate. Ideóque futuris sæculis saltem de amplitudine loci, quoad fieri poterit, prospiciant.

10 Ad locum comparandum, atque extruendam fabricam Seminarij, contributiones primi anni, atque etiam secundi, si opus sit, necnon alia undecumque provenientia pecuniarum supplementa pro sua prudentia disponant, & impendant; nec ultra facultates ædificent, ne rideantur, si cœperint ædificare, quod nequeant consummare. Habitationis verò structura concipiatur ad finem plurimorum in eodem loco studentium, manducantium, & dormientium. Idcirco mansiones satis amplas & commodas contineat: ad alios tamen convictores & pensionarios intra Seminarium & Collegium recipiendos, ne desint alia ædificia cubiculis, & musæis distincta, prout expedire videbitur.

11 Computabunt poſtea quanta pecuniæ ſumma ex contributionibus, atque alijs adjumentis quotannis ſuppetat: ut pro ratione redituum de numero alendorum in Seminario ineant conſilium. Ad alimenta autem, veſtitum & alia Seminario neceſſaria pro unoquoque deputamus centum libellas argenti, ex quibus duæ partes inſumentur tenuitati victûs, & veſtitûs ſingulorum: Tertia verò pars præceptorum & aliarum perſonarum ſtipendijs, atque alijs rebus in Seminario neceſſarijs & requiſitis. Mutabitur tamen iſta impenſarum partitio pro ratione loci & temporis, ut ei detrahatur vel addatur.

12 Quo major numerus Clericorum ad Eccleſiam aſpirantium juvari poſſit & inſtitui, in electione eorum qui ad Seminarium admittantur, triplex delectus habebitur: inopum prorſus, deinde mediocrium, qui parentum impenſâ non omnino ad ſtudia ſuſtentari valent, ſed egent alieno ſubſidio: poſtremò ditiorum, quibus opes paternæ abundè ſubvenient. Ad hæc cogitandum non ſolùm inopes ad Preſbyterium informandos eſſe & aſcribendos, ne nimium gravetur Eccleſia, aut contemptui habeatur, ſed melioris ſortis & conditionis adoleſcentes, qui non tantùm Eccleſiæ poſtea præſint, ſed pauperioribus opitulentur, ut ſuum miniſterium atque Eccleſiam ornent & amplificent.

13 Quocirca utilius videatur mediam partem Seminarij ex egentioribus componere, & alteram ex mediocribus: ita ut pro uno inope duo vel tres de ipſis aſſumantur, quibus penſio unius inopis dividatur, & de parentum ſubventione ſuppleatur quod defuerit ad alimentum & veſtitum. De Ditioribus verò tot cooptentur, quot capere poterit habitatio ſupra numerum aliorum. Nam præter multiplicationem Cleri, & rectam inſtitutionem, de iſtorum penſionibus poterit aliquid comparari ad onera Seminarij ſublevanda.

14 Ad faciendum delectum eorum, Epiſcopus ante Kalendas cujuſque Decanatûs ſignificabit per Decanum ruralem omnibus Curatis, ſive Vicarijs ejuſdem Decanatûs, ut die Kalendarum ſecum adducant ad locum aſſignatum omnes ſuæ Parœciæ juvenes à duodecimo anno ætatis uſque ad vigeſimum, qui ſcholas literarum frequentarint, & in Eccleſia cantare aſſueverint, atque Preſbyteratûs deſiderio teneantur. Ad diem dictum & locum Epiſcopus ipſemet proficiſcetur, aut mittet Canonicos ſuos in hoc opere coadjutores, qui inſpectis juvenibus interrogabunt

de legitimo parentum matrimonio, fide, vitæ honestate & conditione: deinde contemplabuntur juvenum vultum, pronuntiationem, ac totius corporis habitum: quodnam præbeant ingenij ac virtutis specimen, atque ad Presbyteratum aptitudinem, & quem progressum in literarum studio fecerint. De quibus spem meliorem conceperint, eorum nomina, Parœcias, genus, ætatem, & facultates diligenter describent, cum annotatione inopum, mediocrium, & ditiorum. Quamvis autem plures in uno Decanatu inventi fuerint idonei, non tamen poterunt in Seminario simul recipi plures, quàm requirat facta dispositio. Verbi gratiâ, si Seminarij proventus nequeat sustentare plures quàm viginti, & sint in Diœcesi decem Decanatus, non licet de uno decanatu plures quàm duos simul admittere, nisi pro uno paupere placuerit duos mediocres, vel tres substituere. Quòd si contrà in uno Decanatu nulli extiterint satis apti, ex viciniore Decanatu conveniet alterius defectum supplere. Nec mirum videatur, quòd de singulis Decanatibus seligi optamus. Cùm Seminaria non ad unius Civitatis, sed ad totius Diœcesis utilitatem & ministerium constituantur.

15. Recipiendus moneatur ab Episcopo, aut ab alio per eum deputato de statu Ecclesiastico, & de Seminario non nisi pro servituris Deo & Ecclesiæ fundato, de mendacio in Spiritum sanctum, & de sacrilegio quod committet, si non libenti animo, sed ficto ad sacrum ministerium venerit, aut ab ipso post alimoniam atque institutionem ab Ecclesia acceptam recesserit. Postea proponentur ei omnia instituta officia, & onera in Seminario subeunda. Quibus obedientiam præstare debebit, aut de sodalitio expelli. Ac ne quis à proposito leviter resiliat, non erit incommodum, si duo aut tres de propinquis spondeant atque etiam obligentur ad restitutionem omnium sumptuum pro tempore quo receptus vixerit in Seminario, si sponte suæ vocationi renuntiarit. Quòd si propinqui illi, vel non fuerint solvendo, vel Episcopo placuerit hanc ipsis obligationem remittere, si fortè desertor militiæ Ecclesiasticæ ad pinguiorem fortunam pervenerit, saltem sumptus illos teneatur rependere.

16 Receptionis verò non alia sit cæremonia, quàm in vertice capitis rasura, atque habitus Clericalis.

17 De Rectoribus & Præceptoribus Seminariorum maxima cura esse debet. Magistrorum enim virtutes, aut vitia facilè solent

imbibere discipuli. Quoniam Seminariorum fundatio eò tendit, ut Clerici ad pietatem, religionem, Ecclesiasticam disciplinam, bonos mores, & literas erudiantur: ad eum finem sunt ipsis præficiendi viri pij ac religiosi, graves & prudentes, quique suo exemplo & cohortationibus, tam privatis quàm publicis omnes sibi commissos ad studium illarum rerum accendant. Nec antea tam Rectores, quàm præceptores præficiantur, quàm fidei professionem juxta insertam suprà formulam emiserint. Primas, seu Rector sit venerandæ senectutis Presbyter, & Sacerdos, si fieri possit, multum diúque in ministerijs Ecclesiasticis versatus, cui, sicut de beato Augustino scribitur, displiceant omnia quæ aguntur in sæculo præ dulcedine Dei, & decore domûs ejus. Severitatem potiùs præ se ferat, quàm exerceat: suâ præsentiâ, & sollicitudine omnes in officio contineat.

18. Sub se præceptores habeat, quot videbuntur necessarij, de quorum religione Catholica, probitate & capacitate nemo dubitare, aut conqueri jure queat, & de quibus fidele testimonium reddat Discipulorum in devotione & doctrina profectus. Expediret saltem Decanos, seu denis pueris in Seminario aliquos præponi, ut privatim diu noctúque eorum curam gerant, non solùm ad lectionum repetitionem, sed ad eorumdem in omnibus actionibus directionem. Si Seminariorum facultates non ferunt, ut tot hominibus stipendia dentur, saltem provectioribus juniores pro sua capacitate committantur, de quibus cogantur rationem reddere omnium curatori & præfecto: aliquo proposito operæpretio, atque etiam pœnâ.

19. Ad pietatem & religionem à teneris imbibenda, imprimis doceantur Clerici omnibus festivis diebus manè, antequam ad Ecclesiam vadant, atque à prandio post Vesperas, Catechismi Catholici compendium memoriâ tenere, & per mutuas interrogationes de ipso omni poscenti rationem reddere: quamvis hujus compendij nunquam debeat intermitti repetitio propter parvulos aliunde venientes; quibus erit semper inculcandum: tamen ubi Clerici de Seminario provectiores evaserint, eisdem diebus & horis, atque etiam in festorum vigilijs admiscenda erit lectio de Catechismo Romano: ut inde addiscant Sacramentorum doctrinam & ministerium, nec non de alijs libris ad totum officium Presbyterorum pertinentibus. Bis autem in hebdomada pomeridianis horis ad cantum Ecclesiasticum, &

Psalterium intelligendum cum hymnis exerceantur, atque ad decentem pronuntiationem Epistolarum, Evangeliorumque, Collectarum, & omnium quæ dicuntur in officio divino, & administratione Sacramentorum.

20 Exerceantur etiam, saltem semel aut bis in mense, suo ordine, pro captu ingenij & doctrinæ, in declamationibus, & exhortationibus, tamquam habeantur ad populum, de præceptis legis, & Ecclesiæ, de articulis fidei, virtutibus sequendis, & vitijs evitandis, aut de aliqua Scripturæ sententia, ut sint ad omne opus bonum instructi. Nullos libros norint à sede Apostolica damnatos, nec illis ulli legantur nisi pudici, & qui ad morum correctionem & ædificationem conducunt.

21. Sicut in omni re à teneris assuescere multum est, valde mane à somno surgentes Clerici, sive in duas partes divisi, sive bini, ac bini, discant memoriter recitare voce submissa septem psalmos pœnitentiales cum Litania & Collectis, ad Dei & Sanctorum implorandam opem pro his qui in dignitate constituuntur, ac toto populo Christiano, sed maximè pro benefactoribus vivis atque defunctis. Postea sacris Ordinibus initiati bini quoque ac bini Breviarium dicant, & devotè debitæ suum Deo servitutis pensum persolvant. Alij verò juniores, horas beatæ Mariæ eodem modo exolvant. Inde verò omnes studio se dedant usque ad ipsam Missam: in cujus fine canant prosam: *Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium*: aut Hymnum: *Veni Creator*, cum aliquibus suffragijs & collectis de sancto Spiritu, Beata Maria, alijs sanctis, pro pace Ecclesiæ, sanctissimo D. N. Papa, & Christianissimo Rege, ac toto populo Christiano, sed præcipuè pro benefactoribus vivis ac defunctis. Per classes ad ingressum præceptoris ante lectionum inchoationem unus de Seminario precationem ad invocandum Spiritum sanctum distinctè pronuntiet, cui omnes respondeant, *Amen.*

22. Initio prandij aut cœnæ, atque etiam in fine benedictionem, & gratiarum actionem cum superioribus suffragijs, ac Psalmo: *De profundis*, ne intermittant: legatúrque aliquid de sacra Scriptura, aut Homilijs Patrum, quo pascatur animus cum corpore: atque à rectoribus, seu provectioribus juniores interrogentur, quid de auditis memoriæ mandarint, ut assuescant attentiores aures præbere, & audita retinere. Cùm de classibus post lectiones pomeridianas pueri erunt dimittendi, non sinantur exire, priusquam

priusquam omnes in sacello convenerint ad fundenda suffragia sicut priùs in Missa. Alijs veró abeuntibus, qui erunt de Seminario, saltem ter in hebdomada, feriâ secundâ, quartâ & sextâ, Vigilias cum Collectis, vel Litanias, vel Commendationes pro mortuis, ad arbitrium rectorum in duas partes divisi, vel bini, ac bini, submissa voce cum devotione proferant; eodémque modo, atque in eodem loco Vesperarum officium quique pro suo gradu atque ordine exolvant.

23 Postremò antequam discedant cubitum, doceantur meditari de peccatis & actionibus transacti diei, de quibus Deo sit reddenda ratio usque ad verbum otiosum, de beatitudinis æternitate, brevitate, incertitudine, & miserijs vitæ humanæ, futuri judicij, & inferni rigore ac damnatione. Diémque concludant bono fine in præcedentibus suffragijs. Quoties verò domi precabuntur, genua flectant & caput aperiant.

24 Omnibus diebus festis ad Missam majorem, & Vesperas Cathedralis Ecclesiæ, in cujus civitate Seminarium extiterit, prodeant superpellicijs induti, ibíque locis designatis ordine stent, aut sedeant, atque inde ad officia, & onera injuncta reverenter accedant. Eisdem diebus concionibus intersint, unde reversi à moderatoribus moneantur recondere in animo & executioni demandare, si quid præclarius auditum fuerit.

25 Festis solemnioribus, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta confessoris ipsis deputati judicium sumant corpus Domini Jesu Christi: discant etiam ab eodem confessore proprias conscientias exonerare & repurgare, atque alienas examinare ad arbitrium Episcopi & Rectoris, vel simul omnes eodem die festivo cujusque mensis ad Communionem veniant, vel per singulas Dominicas separati & divisi: atque id fiat in majori Missa Cathedralis Ecclesiæ, ut quoscumque de populo invitent ad frequentiorem Communionem. Ad eam autem præparentur adhortationibus Rectoris, sive confessarij, aut alterius pij viri, librorum & religiosarum meditationum ac precationum lectione & usu.

26 Obtestamur autem in Domino omnes Seminariorum præceptores & moderatores, ut sibi commissos adolescentes ad omne opus bonum exerceant, nec sinant eos aversari ullum ministerium, aut obsequium, sed fiant omnia omnibus, ut omnes Christo lucrifaciant. Non permittant eos torpere & otiosos esse, aut

ſordides in veſtitu & omni ſupellectile: ſed eos ad omnem honeſtatem, & mundiciam, & diligentiam efforment. In ſpiritu lenitatis & manſuetudinis eoſdem de omnibus erudiant, & corripiant, ne prius oderint Eccleſiaſticum miniſterium, quàm noverint. Ament eos, & foveant tamquam filios, quos generant in Chriſto, miniſtros Dei futuros. Deſiderent potiùs ab eiſdem amari, quàm timeri: & ad Chriſti imitationem invitent potiùs cum debita reverentia ad ſe venire, quàm à ſuo conſpectu fugere. Ad bene agendum, & proficiendum incitent ipſos magis pudore, virtutis amore, atque etiam aliquâ liberalitate & prœmij ſpe, quàm formidine pœnæ. Non tamen erga deſperatos aut aliorum corruptores ſint indulgentiores, aut aculeo careant: ſed poſt tentata omnium monitionum & diſciplinæ remedia, agant maturiùs cum Epiſcopo & Canonicis de illorum à Seminario expulſione, ne totus grex inficiatur aut pereat.

27 Viciſſim Clerici obediant ſuis præpoſitis, tamquam patribus, & ab eorum nutu toti pendeant, prompti & parati ad omnia quæ fuerint illis præſcripta, nec minus patientes ad perferenda quæcumque incommoda. Nec vagari, nec tempus perdere aut vanis colloquijs inſumere, ne alios ab officio divertere, aut depravare ſtudeant: Ne ſine licentia egrediantur Seminario, nihil ſine eadem, ac ne literas quidem recipiant, aut mittant: nec pecunias retineant, nec quidquam omnino agant.

28. Ut alijs fiat locus, ordinibus ſacris initiati, & ad miniſtrandum in Eccleſia, aut ad docendum apti pro neceſſitate Eccleſiarum, aut aliquorum poſtulatione, de Seminario dimittantur, vel ad curam animarũ ſuſcipiendam vel ad ſcholas regendas, ſed ſi fieri poterit intra Decanatum à quo fuerint aſſumpti. Quòd ſi enutriti & ad ſacros Ordines promoti, ſine licentia Epiſcopi, alicui loco vel perſonæ ſe manciparint, aut extra Diœceſim in qua ſervire debent, transfugerint, teneantur ad reſtitutionem alimentorum & aliorum ſumptuum quos fecerint in Seminario, ac ipſo facto ſint ſuſpenſi à divinis, donec redierint, niſi aliter cum illis diſpenſaverit Epiſcopus. Quorum verò aliqui evaſerint capaces ad Eccleſiaſtica munera perficienda, Epiſcopus ipſos patronis tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus in Decanatu unde oriundi ſunt, commendabit, ut alijs omnibus præferantur, ſi occurrerit beneficiorum vacatio. Omnes verò in Seminario inſtituti & ordinati, ſint memores & erga ipſum grati, nec ſaltem præte-

reant in testamento, si priùs in vita non habuerint, aut potentiam aut occasionem agnoscendi beneficium acceptum. Interea quocumque locorum venerint, juventutem curent informari, educari & doceri ad eam regulam quam de Seminarijs retulerint. In omnibus verò suis orationibus & sacrificijs, pro Seminariorum benefactoribus intercedant. FINIS.



DIFFICULTATES ET SUPPLICATIONES SANCTISSIMO DOM. N. PAPÆ,

Post humillima beatissimorum pedum oscula, propositæ ex parte Concilij Provincialis Rotomagensis.

Sanctissimus D. N. auditâ relatione congregationis Concilij, respondit ad singulas difficultates & supplicationes, ut infra unamquamque habetur responsio.

I. Difficultas, & supplicatio.



ROPTER intermissionem Conciliorum Provincialium in Archiepiscopatu Rotomagensi, ultra hominum memoriam, primùm dubitatum fuit de sessione Episcoporum & ordine. Sagiensis enim Episcopus contendebat sibi primas deberi, tamquam antiquiori, idque ex antiquis Concilijs, & ex postremo Tridentino. Bajocensis verò se Decanum Episcoporum, in ista Provincia asserebat, & prædecessores suos eo semper usos fuisse privilegio. Addebat alium esse ordinem Episcoporum singularem in quaque Provincia, alium generalem in congregatione eorumdem extra Provinciam: Tunc enim antiquitatis habendam esse rationem, & promotionis quam acceperunt ab Ecclesia Romana. Deinde quòd sicut Ecclesiæ Cathedrales, & earum Capitula habent aliquem inter se ordinem, qui non mutatur in quaque Provincia: ita & earum Ecclesiarum Episcopos eumdem ordinem tenere oportere: Bajocensem verò Ecclesiam sive Capitulum absque controversia primum esse, Abrincense secundum, Ebroïcense tertium, Sagiense verò postremum: Quia sedes Abrincensis vacat, procuratores ejus petierunt nullum præjudicium fieri futuro Episcopo, quem ostendebant semper habitum Provinciæ subdecanum.

Deputati cum D. Metropolitano per provisionem Bajocensi Episcopo Decanatum adjudicaverunt, sed pro hac vice tantùm, & sine præjudicio aliorum Episcoporum, ad evitandas contentiones, donec consuleretur sua sanctitas, & ampliùs inquireretur ex Archivis Romanis & Provinciæ.

Supplicatur humillimè Sanctitati suæ, ut jubeat inquiri, si ex registris Curiæ possit hæc difficultas decidi.

RESPONSUM.

In actibus Conciliorum Provincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum, non autem dignitatem aut ordinem Ecclesiarum.

2. DIFFICULTAS.

ALTERA difficultas orta est de Abbatibus Commendatarijs, an deberent inter Abbates ad sedendum & ad deliberandum recipi. Remissum est negotium ad sedem Apostolicam. Sed ne per oppositionem, aut appellationem retardaretur, aut impediretur Concilium, pro hac vice tantum, ac sine præjudicio, concessum illis fuit sedere inter Abbates & deliberare. Quoniam hæc difficultas paritura est magnas controversias in Concilijs aliarum Provinciarum, inter Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum contra Commendatarios: Supplicatur humillimè sanctitati suæ, ut dignetur de hoc statuere, & quid juris in Monasteriorum administratione & disciplina, atque Ecclesiarum Hierarchia Commendatarijs debeatur.

RESPONSUM.

Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.

3. DIFFICULTAS.

ALIA difficultas subsecuta est inter dignitates, ac procuratores Capitulorum Cathedralium contra Abbates regulares & Commendatarios de præeminentia in processione, sessione, & deliberatione. Capitula dicebant se cum suis Episcopis unita, sicut membra cum capite, nec ullos interponendos inter se & Episcopos suos. Abbates nitebantur antiquitatis more, & addebant indignum, ut insigniti mitrâ, & alijs ornamentis ad Episcopalia accedentibus, postponerentur simplicibus Clericis & Presbyteris. Ne res generaret lites, & afferret impedimentum

Concilio, quoniam pauci erant Abbates regulares, tantum fuit responsum, ut pro hac vice Abbates assisterent in processione D. Metropolitano sacram Eucharistiam deferenti, & dicerent sententiam quando rogarentur, nullo servato ordine. Sed quoniam in aliarum Provinciarum Concilijs magnas contentiones pariet, dignetur quoque sua Sanctitas de hoc statuere.

RESPONSUM.

Canonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse, quando capitulariter procedunt: Abbates benedictos, & qui usum mitræ habent, præcedere Commendatarios: Post hos locum obtinere dignitates: Et post Dignitates, collocandos esse Procuratores.

4. DIFFICULTAS.

ALIA difficultas est de Monasterijs & alijs exemptis, an tenerentur interesse Concilijs Provincialibus Episcoporum. Plerique miserunt ad protestandum, quibus nihil fuit responsum ad fugiendas oppositiones & lites. Capitula Ecclesiarum Cathedralium dicebant se etiam exempta, & ad Concilium obligari: idcirco & Monasteria.

Supplicatur humillimè suæ Sanctitati, ut dignetur declarare an ejusmodi Monasteria & alij exempti obligentur ad Decreta Concilij Provincialis, & quomodo erit procedendum contra non obedientes.

RESPONSUM.

Non teneri, nisi eos qui de jure vel consuetudine interesse debent: Capitula tamen Ecclesiarum Cathedralium specialiter invitanda esse, obligari autem ad Decreta Concilij Provincialis omnes qui Episcoporum jurisdictioni subduntur: exemptos etiam in casibus in quibus à jure communi & Concilio Tridentino specialiter Episcopis aut Concilio Provinciali in ipsos potestas tributa est. Et contra inobedientes juris remedijs procedendum.

5. DIFFICULTAS.

QUANDO omnibus compositis ad rem ventum fuit, quæsitum est primùm, quam vocem Abbates præcipuè Commendatarios, Capitulorum deputatos, & Episcoporum procuratores habere deceret. Constabat ex formula Conciliorum Provincialium, & actis omnium habitorum post Concilium

Tridentinum, tantùm illis fuiſſe conceſſam deliberativam vocem, ſeu conſultivam, non autem deciſivam. Quoniam tamen videbantur illi paratiores ad impediendum Concilium & lites coram Senatu movēdas ad ipſum retardandum: nihil quoque de hoc judicatum fuit: Sed cum D. Metropolitano cenſuerunt Epiſcopi nihil agendum pro hac vice, niſi de omnium voto & conſenſu. Ex quo factum eſt, ut nec de exemptione Capitulorum, nec de reſidentia Curatorum, nec de diſpenſationibus plurium Eccleſiarum parœcialium decerni potuerit juxa Concilium Tridentinum: niſi legitima forma Conciliorum Provincialium reſtituatur, futurum eſt, ut jam non dicantur Concilia Epiſcoporum, ſed inferiorum Eccleſiaſticorum contra Epiſcopos. Ideò dignetur ſua Sanctitas unicuique ſuos limites ponere.

RESPONSUM.

Abbates Commendatarios, Capitulorum deputatos vocem dumtaxat conſultivam habere: Epiſcoporum Procuratores poſſe, ſi Concilio Provinciali placuerit, & deciſivam habere.

6. DIFFICULTAS.

CIRCA Decretum de Baptiſmo à Calviniſtis collato dubitatum fuit, an redeuntibus ad Eccleſiam taliter baptizatis, omnes cæremoniæ à Calviniſtis omiſſæ, eſſent adhibendæ & ſupplendæ. Negarunt plerique: quoniam legebant in antiquis, redeuntes ab hæreticis, recipiendos cum manuum impoſitione, quam exiſtimabant eſſe Confirmationis Sacramentum.

Dicebant inſuper multos adultos non redituros ex verecundia recipiendi tales cæremonias, ſi exactiùs obſervarentur.

Alij dicebant apud antiquos de baptizatis in Hæreſi, cum debitis cæremonijs intelligi, quibus redeuntibus dabatur manuum impoſitio, quæ non eſſet Confirmationis Sacramentum, ſed Abſolutionis, & reconciliationis cæremonia. Semper verò fuiſſe aſſuetum in antiqua Eccleſia, ut ſupplerentur omiſſæ cæremoniæ Baptiſmi, ut Chriſmatis, quia omitteretur à Novatianis, atque ita aliæ ab alijs. Alij cenſuerunt cæremonias explendas, præter exorciſmos. Concluſum tandem, de hoc conſulendam eſſe ſedem Apoſtolicam, ut ſopirentur contentiones.

RESPONSUM.

Cæremonias Baptiſmi ſupplendas eſſe, præcedente in adultis abjuratione hæreſis & reconciliatione.

7 DIFFICULTAS.

CIRCA decretum de ætate promovendorum ad ſacros ordines hæſitandum fuit. Plures enim fuerunt promoti ad Presbyteratum, & alios ordines ante tempus præfixum à Concilio Tridentino, propter raritatem ac defectum Sacerdotum in noſtra Provincia, & pauciores accedent ad ipſos ordines, ſi tantum temporis pro unoquoque ordine expectetur. Multæ verò Parœciæ jam carent etiam proprio Sacerdote & Curato, & plures carebunt, ſi tantus rigor ſervetur. Idcirco humillimè ſupplicant Epiſcopi ſanctitati ſuæ, ut det ipſis poteſtatem diſpenſandi cum hactenus promotis ante tempus legitimum, & poſſint aliquos promovere circa ætatem vigeſimi ſecundi & tertij anni poſt factam probationem neceſſitatis, morum integritatis, ac capacitatis. Ita ut probatio literis promotionis inſeratur, vel ſub ſigillo Epiſcopi annectatur.

RESPONSUM.

Indulgebitur facultas diſpenſandi cum hactenus promotis. De cetero intellectâ neceſſitate, ſeu utilitate Eccleſiarum, ſingulatim diſpenſabitur.

8. DIFFICULTAS.

CIRCA Decretum de reſidentia, vix obtineri potuit, ut diceretur eſſe de præcepto, & de jure divino: & interpoſitum fuit, niſi cauſa legitima & canonica obſtiterit. Dignetur ſua Sanctitas declarare manifeſtiùs, utrum reſidentia in Parœciali Eccleſia, ſit de jure & præcepto divino: & an ulla cauſa poſſit eſſe canonica, ut omnino quis excuſetur à reſidentia, an tantum ad certum tempus ex particulari aliqua cauſa. Videtur enim pugnare expreſsè contra Concilium Tridentinum, aliquem omnino excuſari à reſidentia Parœcialis Eccleſiæ. Deinde volunt plerique extendere etiam cauſam canonicam non reſidenti ad plures Parœciales Eccleſias, quas volunt poſſidere, nec in ulla reſidere ex cauſa legitima & canonica, quales eſſe finguntur quæ ſibi proſunt: ut ſi ſunt Senatores in aliquo foro judiciali, ſi Canonici,

vel Capellani, vel alij officiarij in aliqua Ecclesia Cathedrali vel Collegiata. Si habent dispensationes obtentas ante Concilium Tridentinum ad plura Curata, addendum esset in Decreto: nisi ad tempus legitima & canonica per Episcopum judicanda.

RESPONSUM.

Declaratum & amplissimè provisum per Concilium Tridentinum: Illius Decreta observentur.

9. DIFFICULTAS.

INSUPER dubitatur quid agendum cum Canonicis Cathedralium seu Collegiatarum Ecclesiarum, seu earumdem Capellanis, cantoribus & alijs officiarijs, quibus non suppetunt justæ facultates & stipendia, quibus ali queant & servire illis Ecclesijs, si careant saltem unius Ecclesiæ Parœcialis beneficio. Nam si ad hujus beneficij residentiam coguntur, Cathedrales Ecclesiæ Canonicis & ministris privabuntur. Si verò coguntur parœcialem dimittere, præbenda, & stipendia in majore parte Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum non sufficiunt ad victum. In omnibus autem nulla sunt ferè beneficia simplicia, quæ possint uniri, nec tantus numerus præbendarum, ut aliquæ possint supprimi, tótque sunt gravamina & subventiones pecuniariæ in Clero hujus regni, ut vix possit satisfieri: Huic difficultati non invenimus quomodo possit provideri, nisi declaretur habendos pro residentibus in Parœciali Ecclesia; qui actu deserviunt in Cathedrali; vel Collegiata, modo Parœcialis non distet ultra semidietam: ita ut bis vel ter in septimana Curatus in ea faciat Officium, & eodem die ad Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam redeat.

Supplicatur humillimè Sanctitati suæ, ut dignetur statuere, quid in hac difficultate sit agendum.

RESPONSUM.

Quoad retentionem Parœcialis cum Canonicatu, pro necessitate, & utilitate Ecclesiarum, & regionis, in casibus particularibus providebitur.

10. DIFFICULTAS.

CIRCA decretum de casibus reservatis, ubi dicitur ex Concilio Tridentino Episcopos absolvere ab hæresi, videtur contra

tra Bullam de cœna Domini, & reſervationem factam per D. D. Pios IV. & V. Sed plures potiùs manebunt in hæreſi, quàm propter eam mittant ad ſedem Apoſtolicam, & interea dum mittitur, & expectatur abſolutio, multæ incidere poſſunt tentationes & mutationes. Ideò humillimè ſupplicant Epiſcopi, ut dignetur ſua ſanctitas illis poteſtatẽ ex Decreto Trident. concedere.

RESPONSUM.

Pro neceſſitate Provinciæ concedetur ad tempus hæc facultas abſolvendi juxta Decretum Concilij Tridentini, cui magis viſum fuerit.

11. DIFFICULTAS.

CIRCA Decretum de clauſura monialium, ſunt quæ ex fundatione dicunt liberum ſibi relinqui exitum, & introitum Monaſterij: Aliæ prætexunt ſe non emiſiſſe votum clauſuræ, nec unquam ingreſſuras Monaſterium, ſi audiſſent ullam fuiſse clauſuræ obligationem. Pleræque minantur ſe potiùs reverſuras ad ſæculum, quàm patiantur eamdem clauſuram, & per parentes nobiles necem etiam Epiſcopis intentant, ſi auſi fuerint ingreſſum prohibere. In his perplexitatibus ſupplicatur quid agendum, maximè ubi timetur, ne per clauſuram aliquid deterius contingat, & magiſtratus ſecularis non adjuvat.

RESPONSUM.

Executioni demandentur Decreta Concilij Tridentini, & Bullæ Summorum Pontificum, quibus ſublata ſunt omnia privilegia, & fundationes.

12. DIFFICULTAS.

PROPTER exemptiones Capitulorum non poteſt reſtitui Eccleſiaſtica diſciplina, nec emendari ullus abuſus Eccleſiarum Cathedralium. Exemptiones verò nequeunt ad moderationem Concilij Tridentini reduci propter Capitulorum reſiſtentium multitudinem, eorumdémque potentiam. Epiſcopi Rotomagenſis Provinciæ conſenſerunt ſalvas manere exemptiones, ne propter eas Concilio Provinciali poneretur obſtaculum: ſed ſalvis illis, viderunt jam ſibi viam paratam à D. Metropolitano, ad ingrediendum Capitula, & eis præſidendum, in ipsíſque reformandum omnia. Nam antea Archiepiſcopi noſtri impetrarunr à ſede Romana Bullas ad uniendum Canonicatum & præbendam Archie-


piſcopatui, ut ita Archiepiſcopus, tamquam Canonicus, intraret Capitulum, quoties vellet, & in ipſo præſideret: quo jure nunc etiam utitur, Supplicant humillimè Epiſcopi Sanctitati ſuæ, ut dignetur omnibus eiſdem Provinciæ Epiſcopis Bullam communem conferre ad uniendum Epiſcopatui Canonicatum, & præbendam quam vacantem deligere voluerint, ad inſtar unionis Archiepiſcopo Rotomagenſi dudum conceſſæ, atque ad eumdem effectum & finem.

RESPONSUM.

Habebitur hujus rei ratio, & prout ſingulis Eccleſijs magis expedire viſum erit, providebitur.

13. DIFFICULTAS.

DENIQUE poſtulandum humillimè Sanctitati ſuæ, ut dignetur ſupplicationes in Decretis hujus Concilij ſibi factas benigne ſuſcipere, & omnia, cum Seminarijs, prout ſibi videbitur, confirmare.



BREVE APOSTOLICUM
Super confirmatione Concilij Provincialis Rotomagenſis.

GREGORIUS PP. XIII.

Dilecto filio CAROLO *tituli ſancti Chryſogoni Preſbytero Cardinali Borbonio nuncupato, Civitatis noſtræ Avenionenſis noſtro & Apoſtolicæ ſedis Legato.*

DILECTE fili noſter, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Perlata fuerunt ad nos Decreta Provincialis Synodi Rotomagenſis. Miſimus ea ad Cardinales congregationis Concilij, qui hujuſmodi negotijs ſunt præfecti: Illi omnia diligenter conſiderarunt; expoſuerunt etiam nobis quæ maximè addenda, demenda, mutanda eſſe exiſtimarent. Remittuntur nunc omnia, aſcripta ſunt etiam in margine nonnulla ad rem ipſam magnopere pertinentia. Ubi omnia fuerint eo modo quo mittuntur accommodata, tum verò edentur, curabiturque ut quàm diligentiſſimè ſerventur. Reſponſum eſt etiam in extrema ad Synodi ipſius propoſita, & quæſita. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die xix. Martij. M. D. LXXXII. Pontificatûs noſtri anno decimo.

Ant. Buccapadulius.

CASUS RESERVATI ARCHIEPISCOPO ROTOM.

CAROLUS *à Borbonio Rotomagensis Archiepiscopus, Normaniæ Primas, omnibus animarum curatoribus nostræ ditionis subjectis salutem.*



UM in eum præcipuè finem jam olim institutæ sint Diœcesanæ Synodi, ut si quid esset in Ecclesiæ disciplina collapsum aut labefactatum, Decretis saluberrimis restitueretur aut resarciretur, in id certè muneris & negotij seriò nobis esset incumbendum, nisi Concilium Provinciale ab annis viginti hac in urbe celebratum, istud adeo studiosè & cumulatè præstitisset, ut desiderare aliquid amplius vanum & supervacaneum esse videatur. Nam sive quæ ad cultum divinum spectant, sive quæ ad Sacramentorum administrationem, sive quæ ad externam politiam sive quæ ad morum censuram attentè considerentur, nihil eo in genere plenius aut absolutius esse potest. Itaque satius esse duximus Synodon illam, quam typis recudendam curavimus, hoc loco vobis ob oculos ponere, ad quam veluti ad lydium quemdam lapidem officia vestra expenderetis & vitam probaretis, quam novis constitutionibus vos onerare, quæ (ut ait Poëta) & sine moribus vanæ sunt & nihil proficiunt. Catechismum etiam imprimendum jussimus, quem Dominicis reliquisque festis diebus, commodis horis, oves vobis concreditas, sed maximè pueros doceatis. Quod ut non segniter neque oscitanter præstetis, vos per Dei omnipotentis misericordiam rogo & obtestor. Ab ea siquidem ætate ad lapsum prona & facili, mihi videtur inchoanda reformatio, quæ nisi diligenter in lege & timore Dei erudiatur, optimisque institutis informetur, neque bonos cives, neque probos fideles habitura est unquam Christi sanguine comparata Respublica. Casus item nobis reservatos edidimus, ut vestrûm unusquisque intra suæ potestatis limites sese contineat. Audimus enim nonnullos in obeundis muneribus ita præposterè se habere, ut de quibuslibet peccatis sententiam ferre non dubitent. Temerè id quidem vel ignoranter, ne dicamus sacrilegè. Debent enim graviora crimina graviori & severiori Ecclesiæ judicio examinari atque vindicari. Unde rectè antiquissimus Origenes homil. 10. in Numeros, docet laïcum peccantem indigere quandoque non tantùm Sacerdote sed etiam Episcopo. Huic ergo malo ut opportunum remedium adhibea-

mus, eosdem Casus reservatos subjunximus.

Divinatio, incantatio, demonum invocatio, ac omnis ars Magica.

Qui ad Magicas artes, & veneficia & superstitiones, Euchariſtiâ rebusque sacris abutuntur.

Qui publicè Deo, B. Mariæ Virgini, reliquisque sanctis maledixerint.

Qui Virgines rapuerunt.

Qui Moniales violarunt.

Qui volentes & scientes homicidium admiserunt.

Qui parentes percusserunt.

Qui secundo vel propinquiori gradu incestum commiserunt.

Qui aborsum procurarunt.

Qui Ecclesiam polluerunt.

Qui in detestabile crimen Sodomiæ & bestialitatis inciderunt

Qui res Ecclesiasticas diripuerunt.

Qui clandestina matrimonia contrahere ausi sunt, quive illis interfuerunt.

Qui domos, vicos, agros, vineas, dolosè incenderunt & vastarunt.

Qui leviter in Clericos aut religiosos, manus injecerunt.

Qui falsi testes & perjuri in judicio extiterunt.

Qui scripturas falsarunt.

Qui infantes suos notabili quadam negligentia opprimunt, vel opprimi sinunt.

Qui majoris excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti vinculis tenentur astricti, idque sive à jure, sive ab homine.

Qui vota & juramenta dispensanda seu commutanda cupiunt.

Poterunt tamen confessarij absolvere à peccatis contra votum aut juramentum, non autem tollere obligationem.

Nulla verò peccata quæ solà cogitatione patrantur, nec puerorum qualicumque ante annos quatuordecim reservantur.

Datum in Synodo Rotomagensi anno Domini millesimo sexcentesimo Maij. xvj.

S. D. N. D. PIJ V. PAPÆ CONSTITUTIO Per D. Medicos obſervanda.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUPRA gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ divinitùs creditum, vigilis ſpeculatoris, prout nobis deſuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ animarum ſaluti cum divini nominis gloria conſuli valeat, libenter intendimus, ut Chriſti fideles poſt Baptiſmum in peccata lapſi, per ſacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem ſanaverat: *Vade, noli ampliùs peccare ne quid deterius tibi contingat*, ac propterea providè fel. rec. Innocentius III. Prædeceſſor noſter Medicis præceperit, ut cùm eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut animarum Medicos vocent, ne cùm eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam ſalutare præceptum nullâ temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſervari, conſtitutionem præfatam autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, quòd omnes Medici cùm ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die ulteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientiam oneramus, conceſſerit; & eis per fidem confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quòd infirmi ut præmittitur peccata ſua confeſſi fuerint. Conjunctos verò, ac omnes familiares, & domeſticos infirmi in Domino rogamus & monemus, ut de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quàm conjuncti, & familiares præfati infirmum ad confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant. Quòd ſi qui Medicorum præmiſſa non obſervaverint, ultra pœnas in dicta conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu medicinæ, quo inſigniti erant, omnino priventur, & à Collegio ſeu Univerſitate Medicorum ejiciantur, ac pœnâ etiam pecuniariâ arbitrio ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur. Et ut hæc omnia inviolabiliter obſerventur, volumus, & eadem autoritate præcipimus & mandamus, ut nullus poſt hac ubique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis Collegio, & Univerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra conſtitutione contenta medio eorum juramento coram Notario publico, & Teſtibus obſervare in eorum manibus, vel Ordinarij juraverint, & de hujuſmodi juramento in privilegio ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quòd ſi Collegia, & Univerſitates præfatæ non recepto à promovendis juramento hujuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promoverint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam privationis facultatis alios ulteriùs doctorandi incurrant: Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus &

ſingulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Civitatibus & Diœceſibus proprijs præſentes noſtras literas publicari faciant, ac juramentum prædictum à Medicis jam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus juris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in civitatibus & Diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem juramentum hujuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & jurare, ac juramentum hujuſmodi jam præſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinæ, & omnibus privilegijs eiſdem Medicis tam conjunctim quàm diviſim eis, & eorum cuilibet conceſſis per quoſvis etiam Romanos Pontifices privent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint, non obſtantibus præmiſſis privilegijs, indultis, literis Apoſtolicis, quibuſvis perſonis, Collegio & Univerſitati ſub quibuſvis verborum formis & tenoribus conceſſis. Quæ omnia, quoad effectum validitatis conſtitutionis noſtræ, tantùm revocamus, caſſamus, & annullamus. Et omnes Principes ſæculares ac alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus injungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum favorem & auxilium præſtent, ac contrà facientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autem quòd præſentes literæ in Cancellaria & acie Campi Floræ publicentur, & inter conſtitutiones extravagantes perpetuò valituras conſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri; Volumus, & etiam declaramus, quòd earum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati munitis eadem prorſus fides ubicumque adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 8 Martij. M.D.LXVI. Pontificatûs noſtri Anno 1.

Cæſar Glorierius.

Anno à Nativitate Domini 1566. Indictione 9. Die verò 11 menſis Martij, Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. Pij divinâ providentiâ Papæ V. Anno 1 retroſcriptæ literæ ſeu breve affixæ & publicatæ fuerunt in valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, & acie Campi, Floræ per me Camillum Cherubinum Apoſtolicum Curſorem.

Scipio de Octavianis Magiſter Curſorum.

BULLA SANCTISSIMI D. N. D. PIJ Divinâ Providentiâ Papæ V. Super clauſura & reformatione quarumcumque Monialium.

Pius *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

CIRCA Paſtoralis officij nobis, meritis licet imparibus, deſuper commiſſi curam quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes aſſiduè ad ea per quæ ſingulis erroribus & exceſſibus obviatur, ac perſo-

nis quibuslibet, præsertim feminei sexûs virginitatem suam Altissimo voventibus sub Religionis jugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semitâ justitiæ, & honestatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, & divinam meritò possit offendere majestatem opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensiùs impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus. Hac igitur perpetuò valiturâ Constitutione, inhærentes etiam Constitutioni felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Periculoso*, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium editis autoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus universas & singulas Moniales præsentes atque futuras cujuscumque religionis, ordinis, vel militiarum etiam Hierosolymitan. sint, quæ vel jam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasterijs sive domibus recipientur, & tacitè, vel expressè Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocumque alio nomino appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasterijs, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasterijs, seu domibus debere de cetero permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutionis fel. record. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit: *Periculoso*, in sacro Concilio Tridentino approbatam, & innovatam, quam nos autoritate præfatâ etiam approbamus, & innovamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè observari mandamus. Quòd si aliquæ Moniales forsan reperiantur quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulæ suæ fretæ animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquomodo reluctentur, Ordinarij una cum Superioribus earum, omnibus juris, & facti remedijs compellant easdem tamquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuò observandum. Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de pœnitentia dicuntur cujuscumque fuerint ordinis in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarij una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subjiciant, quòd si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalosè vivere, severissimè puniantur. Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura vivere omnino volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & Decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus & annullamus. Porro ne Moniales, vel tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed ut eis opportunè consulatur, autoritate Apo-

ſtolicâ præfatâ ſtatuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemoſynas per Converſas quæ non ſint profeſſæ, vel ſi profeſſæ fuerint, ſint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monaſterium degant; & non ingrediantur clauſuram aliarum Monialium, niſi in caſibus ex earum Conſtitutionibus præmiſſis, & de earum domibus exire non poſſint pro hujuſmodi eleemoſynis colligendis, niſi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cetero nullæ aliæ Converſæ profeſſæ recipi amplius etiam de conſenſu ſuorum Superiorum vel Prælatorum poſſint; quòd ſi adverſus hanc noſtram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita & inanis ſit, prout exnunc nullam, irritam facimus, & annullamus. Quòd ſi prædicto modo neceſſitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prædictarum ſuccurri ſufficienter non poterit, mandamus ipſis Ordinarijs, & Superioribus earum, ut ipſi provideant de alijs perſonis pijs, Deo devotis quæ fidelium eleemoſynas colligant, vel alias eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit etiam ex opere manuum ipſarum Monialium, & Mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earumdem, & prout eis congruentiùs expedire videbitur, provideatur, & ſuccuratur. Et ne propter Monialium numerum exceſſivuum clauſuræ obſervatio violetur, inhærentes etiam ſimiliter diſpoſitioni dictæ Conſtitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs diſtrictè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monaſterijs recipiant, & admittant, ſive recipi, & admitti permittant quàm ex proprijs redditibus ipſorum Monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ ſub obteſtatione divini judicij, & interminatione maledictionis æternæ univerſis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, quatenus in Civitatibus, & Diœceſibus proprijs præſentes noſtras literas publicari faciant, ac in Monaſterijs Monialium ſibi ordinario jure ſubjectis, in ijs verò quæ ad Rom. mediatè vel immediatè ſpectant Eccleſiam Sedis Apoſtolicæ autoritate unà cum Superioribus eorumdem Monaſteriorum clauſuram ut præmittitur quamprimùm poterunt ſervari procurent. Contradictores atque rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Ac ut hoc tam ſalutare Decretum faciliùs obſervetur, omnes Principes, ſæculares & alios dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum injungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & alijs Monialium Superioribus aſſiſtant, ac ſuum favorem, & auxilium præſtent. Ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant, præmiſſis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apoſtolicam approbatis, & confirmatis, privilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis etiam in fundatione, & inſtitutione eiſdem Monaſterijs, vel domibus, & Monialibus ſub quibuſcumque verborum formis & clauſulis,

clausulis, irritantibus, & alijs Decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alio expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantùm derogamus, contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Per hoc autem in Monasterijs exemptis Ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant jurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quòd præsentes literæ ad valvas Basilicæ beati Petri Apostolorum principis, & in Cancellaria nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extravagantes perpetuò valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæcumque loca deferri, volumus, & etiam declaramus quòd earum Transumptis etiam impressis manu alicujus Notarij subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, statuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obsecrationis, injunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, 4 Kal. Junij. Pontificatûs nostri Anno primo.

Visa de Curia Jo. Riverius. ff. *Cæ. Glorierius.*

H. Cumyn.

Anno à Nativitate Domini 1566. Indictione 2. Die verò 9 mensis Junij, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij divinâ providentiâ Papæ V. Anno primo retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas basilicæ Principis Apostolorum Sancti Petri de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ dimissis copijs earumdem in retroscriptis locis affixis per nos Io. Guerardi, & Nicolaum de Matthæis Cursores.

Antonius Cleriei Mag. Curs.

SANCTISS. D. N. D. PIJ PAPÆ V. STATUTUM
Quòd Regulares sæcularium confessiones non audiant, nisi ab Ordinarijs approbati sint.

PIUS *Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

ROMANI Pontificis providentia circumspecta nonnũquam gesta per eum rationabilibus & honestis suadentibus causis moderatur & commutat in me-

lius, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem quaſdam declarationes & moderationes circa nonnulla Concilij Tridentini decreta regulares perſonas Ordinum mendicantium, eorumque inſtituta concernentia edidimus & promulgavimus. Et quia, uti accepimus, illarum vigore Sacerdotes regulares prædictorum ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confeſſionibus ſæcularium audiendis ab eorum Superioribus præpoſiti, abſque alia Epiſcoporum, ſed ſolâ magiſtri Ordinis Generalis, aut Provincialium miniſtrorum approbatione admittuntur: Nos ſuper his pro debito Paſtoralis officij, prout tenemur, ſalubriter providere volentes, tenore præſentium hac noſtrâ conſtitutione perpetuâ ſancimus, decernimus, & declaramus Decretum Concilij Tridentini de approbatione regularium audiendis confeſſionibus ſæcularium præpoſitorum ab Epiſcopis facieda, obſervari debere etiam in omnibus regularibus quorumvis ordinum, etiam mendicantium, etiam ſub regulari diſciplina viventibus, etiamſi ſint lectores, aut in Theologia etiam de Superiorum ſuorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris Generalibus, vel Provincialibus, Miniſtris, ſæcularium confeſſionibus audiendis expoſiti. Volumus tamen eos qui ſemel ab Epiſcopo in civitate & Diœceſi ſuis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari. Ab Epiſcopo autem ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt. Inhibentes quibuſcumque regularibus quorumvis ordinum, etiam mendicantium, ut præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis, ab eiſdem Magiſtris, & Miniſtris Provincialibus, etiam quòd illarum occaſione ab ordinariis hùc uſque tolerati fuerint abſque ſpeciali in poſterum licentia & approbatione ab Ordinariis obtinenda ſæcularium confeſſiones audire præſumant. Decernentes irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac noſtris literis prædictis, & alijs poſtea quibuſcumque regularibus conceſſis, & forſan extenſis (quas quo ad ea quæ præſentibus adverſantur & contrariantur, penitus & omnino revocamus, caſſamus & irritamus) necnon Monaſteriorum, & aliorum regularium locorum, ac ordinum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis etiam Mari magno ſeu Bulla aurea aut alias nuncupatis, quibuſuis Monaſteriis, & regularibus locis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus (etiamſi pro iliorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus) ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes: illis alias

in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrarijs quibuscumque. Ut autem præsentes literæ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dictâ autoritate statuimus, & decernimus, ut ipsæmet literæ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de urbe, sancti Joannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis & acie prædictis affixo & dimisso. Verùm quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit, deferri: volumus, & dictâ autoritate decernimus, quòd earumdem literarum transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ. M. D. LXXI. Octavo Id. Augusti, Pontificatûs nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Nativitate Domini 1571, Indictione 14, die verò 22 mensis Augusti Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pij divinâ providentiâ Papæ V. anno ejus 6 retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis, per nos Joannem de Guerardum, & Alamanum de Alamanis, Cursores.

Philibertus Chapius magister Curs.

SANCTISS. D. N. D. PIJ PAPÆ V. STATUTUM De fructibus quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant.

PIUS *Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

EX proximo Lateranen. Concilio pia & salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, divinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij & temporis, suos non faciat, sed eos tamquam injustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei evidentiùs atque expressiùs providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui verò matutinum tantùm, dimidiam: qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat tametsi ali-

quis choro addictus non recitans, omnibus horis Canonicis cum alijs præsens adsit, fructúsque, & distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrifecisse prætendat: is etiam præter fructuum & distributionum amissionem. Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1571, duodecimo Kal. Oct. Pontificatûs nostri anno 6.

Cæsar Glorierius.

H. Cumyn.

S. D. N. D. GREGORIJ PP. XIII. REVOCATIO

Omnium licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium & Virorum:

ET PROHIBITIO

Ne habentes licentias ab Episcopis vel Superioribus in casibus necessarijs, ingrediantur Monasteria Monialium, nisi urgentibus necessitatibus.

GREGORIUS *Episcopus servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

UBI gratiæ & indulta ab hac sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur: expedit illa salubri præsidentis consilio submoveri. Proinde Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis removere cupientes, autoritate præsentium revocamus & abolemus omnes & quascumque licentias ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumvis ordinum, quibusvis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscumque statûs & conditionis mulieribus, ac etiam omnes & quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscumque viris etiam eiusdem statûs & dignitatis tam à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut alijs ex quibusvis quantumcumque urgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatorijs, revocato-

riarum restitutorijs, alijsque efficacioribus clausulis, irritantibusque & alijs Decretis etiam motu proprio & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum aliorumve Principum contemplationem vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renovatas: Cassamusque & annullamus literas desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria hujusmodi quovismodo ingredi audeant. Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conventibus, ac alijs Monasteriorum utriusque sexûs superioribus, & personis quocumque nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis & sæcularibus, ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm ex Decreto Concilij Tridentini tribuitur: Ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorumque Superioribus prædictis, ac aliis quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & dictam Sedem sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & Decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis: quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Quoniam autem difficile esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu Notarii publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem fidem in judicio & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1575, Idibus Junij, Pontificatûs nostri anno 4.

M. Datarius. *Cæ. Glorierius.*

Registrata apud Cæsarem Secretarium. A. de Alexis.

Anno à Nativitate Domini 1575. Indictione 3. Die verò 24 mensis Junij Pontificatûs autem sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Gregorij divinâ providentiâ Papæ XIII,

Anno 4 retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ publicatæ & affixæ fuerunt in valvis Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, ac Baſilicæ principis Apoſtolorum de urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, per nos Scipionem de Octavianis, & Joannem Andream Panizzam Apoſtolicos Curſores.

Joannes Freile Magiſter Curſorum.

S. D. N. D. GREGORIJ PP. XIII. DECLARATIO

Super facultate quam habent Ordinarij, & alij Monialium Superiores ingrediendi earum Monaſteria.

GREGORIUS *Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.*

DUbijs, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cùm igitur ſuper eo quod optimâ primùm ratione Concilium ſanxit Tridentinum, deinde in conſtitutione fel. record. Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri Nonis Julii, Pontificatûs ſui anno 3. atque item noſtrâ Idibus Junij Pontificatûs noſtri anno 4. editis, fuit proviſum, ne cui in poſterum, niſi in caſibus neceſſarijs ſepta Monaſteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuiſſe ſciamus circa perſonas, quæ alterius ad id licentiâ non indigent, ſed ſui autoritate officij nitantur, an liceat eis pro libito ſuæ voluntatis hujuſmodi ſepta ingredi, vel potiùs ſervare debeant ipſi quoque regulam à Concilio præſcriptam. Nos omnem hæſitationis materiam tollere, & viam ſcandalis præcidere, ac Sanctimonialium quieti conſulere volentes, harum tenore autoritate Apoſtolicâ declaramus Prælatos omnes tam ſæculares quàm regulares, quibus cura, & regimen Monaſteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributâ ingrediendi monaſteria prædicta ita demum uti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis, ijſque ſenioribus, ac religioſis perſonis comitati. Quocirca univerſos, & ſingulos Epiſcopali, ſeu majori, ac etiam Cardinalatûs dignitate præditos, necnon quorumvis ordinum Abbates, Præpoſitos, Priores, Miniſtros, & alios quoſcumque Superiores regulares ſeriò monemus, ut facultate hujuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus, ut præfertur, neceſſarijs neutiquam utantur. Quod ſi contrà fecerint, eadem autoritate Apoſtolicâ ſtatuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, quâ contrà fecerint, ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, regulares verò omni officio, ac miniſterio privatos excommunicationi ſimiliter ſubjacere. Nonobſtantibus Apoſtolicis, ac in generalibus, & Provincialibus Concilijs, editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis Eccleſijs, earumve Prælatis, aut Ordinis in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque fortioribus, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis quovis modo conceſſis, approbatis & innovatis, etiamſi illis cavere-

tur expresse, quòd nemo interdici, suspendi, vel excommunicari posset per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Quoniam verò difficile esset præsentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuque Notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem fidem in judicio, & extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiij Decembris, M. D. LXXXI. Pontificatûs nostri anno decimo. *Cæsar Glorierius.*

Anno à Nativitate Domini 1582, indictione 11 die verò Sabbati, 3 mensis Decembris, Pontificatûs S. D. N. Gregorij divinâ providentiâ Papæ XIII. Anno 10, retroscriptæ literæ in forma brevis publicatæ & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris est per me Scipionem de Octavianis Apostolicum Cursorem.

Calistus Brunetus magister Cursorum.

---

83. CAROLUS II. DE BORBONIO, Ludovici Principis Condæi, & Leonoræ de Roya filius, Carolo patruo Coadjutor & Successor à Gregorio 13. datus A.C. 1582. kal. Augusti, receptus per procuratorem 5. Idus Octobris, anno sequenti, quo & Cardinalis ab eodem Gregorio creatus est, post patrui mortem occlusâ bellis civilibus ad Cathedram viâ, nudum Præsulis titulum toto ferè quadriennio gessit. Postremò deditâ Henrico IV. Regi Rotomago, rebúsque cum Ecclesia compositis, obijt apud S. Germanum prope Lutetiam 1594. 3. Kal. Augusti antequam infulas Sedemque attigisset. Jacet in Chartusia Bonæ Spei.

84. CAROLUS III. Antonij Navarræ Regis filius naturalis, Lactorensis primùm, inde Rotomagensis Antistes ab Henrico IV fratre A. C. 1594 designatus, legitimâ tandem Clementis VIII. vocatione Sedi præficitur 1597. 7. Kal. Aprilis. Recipitur per procuratorem eodem anno 8. Kal. Iulij, præsens verò 1599. 10. Kal. Iunij. Cedit infulis 1604. Moritur in Majori Monasterio 1610.

85. FRANCISCUS I. DE IOYOSA, Guillelmi Ioyosæ Vicecomitis, & Mariæ *de Batarnay* filius, Cardinalis Episcopus Sabinensis, & Galliæ Protector, canonicâ sacerdotiorum cōmutatione Carolo 3. successit A. C. 1604 Kal. Decembris, cùm Ecclesiæ Narbonensi & Tolosanæ anteà præfuisset. Possessionem inijt 1605. per procuratorem pridie Idus Martij, præsens 3. Nonas Novemb. Multa religionis domicilia instituit, in his Deppæ Collegium Presbyterorum Oratorij, Pontisaræ Domum residentiæ Societatis Jesu, Seminarium studiosæ juventutis Rotomagum posteà translatum, piarumque virginum familiam, quæ sub B. Ursula nunc militant. Obijt Ostiensis Episcopus Avenione 1615. 10. Kal. Septembris. Mortui cor ibidem in Collegio Societatis Jesu, Corpus in sacello Residentiæ Pontisarensis humatum est.

ILLVSTRISSIMVS D. CARDINALIS A IOYOSA, Archiepiscopus Rotomagensis in Synodo æstiva 1606. superiores casus reservatos ad novem tantùm reduxit, qui sequuntur.

DIVINATIO, incantatio, dæmonum invocatio, & quævis ars magica.

Qui moniales violarunt.
Qui volentes & ſcientes homicidium admiſerunt.
Qui ſecundo vel propinquiori gradu inceſtum commiſerunt.
Qui infantes ſuos notabili quadam negligentiâ opprimunt.
Qui in ſodomiam vel beſtialitatem inciderunt.
Qui domos, vicos, agros, vineas doloſè incenderunt & vaſtarunt.
Qui falſi teſtes & periuri in judicio extiterunt.
Qui vota & juramenta ſibi commutanda vel diſpenſanda cupiunt.

ADMONITIO IN SEQUENTES CANONES.

Quamvis nunc temporis pœnitentiæ arbitrariæ ſint, utiliſſimum tamen erit, confeſſarios pœnitentibus infrà ſcriptas pœnas canonicas ab oculos ponere, ut videant quàm benignè cum illis agat Eccleſia, cùm tanta olim tamque gravis mulcta ſingulis peccatis fuerit aſſignata. Fiet enim hoc pacto ut peccantes ſcelerum gravitatem agnoſcant, & à talibus perpetrandis metu coerceantur. Ob eam cauſam priſcas illas canonicas pœnitentias adjecimus.

Sacerdos qui adulterium commiſerit, decem annis pœnitentiam agat. *Can: Preſbyter, diſt.* 82.

Qui ſponſam alienam de præſenti accipit, in pœnitentia ſit ſeptem annis, & quadraginta diebus in pane & aqua. *C. 2. de ſponſa duorum.*

Monialis quæ fornicatur, matrimoniumve contrahit, qui item eam cognoſcit contrahitve cum ea, pœnitens ſit decem annis. *Can. Devotam.* 27. *q.* 1.

Qui Sacerdos Miſſam canit neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec verò interea celebret. *Can. Relatum, de conſecrat. diſt.* 2.

Sacerdos qui pallis altaris mortuum involuit, pœnitens ſit decem annis & quinque menſibus, Diaconus autem annis tribus, & ſex menſibus. *C. Nemo, de conſecrat. diſt.* 1.

Falſarius pœnitentiam agat in pane & aqua, quamdiu vivit. *C. Noviſſimus, de verborum ſignificatione.*

Qui ſcienter contraxerit coïeritve cum duabus ſororibus, aut cum matribus, aut ſorore, cum matre & filia: quæve coïerit unà cum patre & filio, vel cum duobus fratribus, pœnitentia ei conſtituitur annorum octo. *C. Si pater.* 30. *q.* 4. *c. ultimo.* 32. *q.* 7. *c. Si quis viduam.*

Qui

Qui ignoranter duas ſorores vel matrem & filiam, vel amitam & neptem cognoſcit, quarum una ignorat factum alterius, uterque pœnitens ſit ſeptem annis. Si verò ſcienter, perpetuo careat conjugio. *C. ultimo* 33. *q. ultimâ. c. Si quis cum matre.* 35. *q.* 3.

Mulieri quæ partum ſupponit, quæve de alio concipit, pœnitentiæ & ſatisfactionis modus præſcribitur arbitratu prudentis Sacerdotis. *C. Officij, de pœnitentijs & remiſſ.*

Sacrilegus chriſma Calicemque ſacrum polluens, pœnitens ſit ſeptem annis, & in ſingulas hebdomadas tribus diebus jejunus ſit à carne & vino. *C. De viro. 12. q. 2.*

Celans ſe cognoviſſe mulierem quæ contrahit cum fratre ejus, pœnitens ſit ſeptem annis. *C. Si homo fornicatus 35. q. 3.*

Solemniter pœnitens, ſi poſtea ad vomitum redierit, pœnitentiam agat decem annis. *C. Si quis verò de pœnitent. diſt.* 5.

Parentes filiorum ſponſalia dirimentes, & filij ſi conſenſerint, ac poſt rurſus diſſenſerint, communione priventur annis tribus. *Can. Vnico. 31. q. 3.*

Qui contraxerit cum ea quam adulteravit, pœnitens ſit quinque annis. *Can. Si qua. 31. q. 1.*

Cognoſcens uxorem adulteratam, ante pœnitentiam peractã pœnitens ſit annis duobus. *Can. Si quis 32. q.* 1.

Sacerdos qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per triennium ab officij ſui adminiſtratione amoveatur. *C. ult. de cland. deſp.*

Latro ſi vult confiteri, confiteatur, in Cœmiterio ſepeliatur, oretur pro eo, & detur illi Corpus Chriſti. *Can. ult. 13. q. vlt.*

Qui Clericus præſtandis horarum Canonicarum officijs, à Metropolitanæ Eccleſiæ more & ritu diſcrepat, idque præ contemptu facit, per ſex menſes Communione privetur. *diſt. 12. Can. Admonere, &c. Quicumque.*

Qui Dominum uxoremve interfecerit, nunquam equitet, nõ vehiculo vehatur, non matrimonium contrahat, decem ipſos annos carne non veſcatur, vinum non bibat. *Can Quicumque 35. q. 2.*

Qui matrem interfecerit, decem annis pœnitentiam agat, armis depoſitis. *Can. Latorem. 32. q. 2.*

Qui ſimplex votum violavit, trium annorum pœnitentia ei conſtituitur, *Can, Si vir, diſt.* 27.

Qui blaſphemiam in Deum & B. Virginem & ſanctos publicè commiſerit, pœnitentiam agat ſeptem annis. *C. ult. de maledicis.*

Unicuique peccatum mortale committenti, nisi delicti gravitas seriorem ac longioris temporis pœnitentiam postulet, pœnitentia constituitur septem annorum. *Can. Hoc ipsum. 33. q. 2.*

Qui Ecclesiam incenderit, eam restituat, pretium det pauperibus, & pœnitens sit quindecim annis. *Can. Si quis* 17. *q.* 4.

Qui domum areamve combusserit, pœnitentiam agat tribus annis. *Can. Si quis contra de injuria & damno dat.*

Sacerdos excommunicatus si celebrat, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis, feriâ secundâ, quartâ & sextâ, à vino & carnibus jejunet. *Can. De illis.* 11. *q.* 3.

Sacerdos Sacerdotij sui gradu ordineque in perpetuum amotus, quem degradatum dicunt, si celebrare audet, privatur Communione Corporis & Sanguinis Jesu Christi, usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, Viaticum tantùm in fine sumens. *Can. Accedens, dist. 50.*

Episcopus dissimulans corrigere venditionem ministeriorum; duobus mensibus; Sacerdos hoc agens, quatuor; Diaconus, tribus; Subdiaconus & alij inferiores, debitâ excommunicatione afficiuntur sui judicis arbitrio. *Can. Quidquid invisibilis 1. q. 1.*

Injustè excommunicanti, per mensem unum ingressus Ecclesiæ interdicitur, *Can. Sacro de sententia excommunicationis.*

Sacerdos si fornicatus est cum filia spirituali, aut cum ea quæ illi confessa est sua peccata, pœnitens sit duodecim annis, & in Monasterio Deo serviat omnibus diebus vitæ suæ. Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam agat annis quindecim, mulier decem in Monasterium trudatur, ubi perpetuò vivat. *Can. Si quis Sacerdos, & c. non debet 30. q. 1.*

Scienter rebaptizatus si propter hæresim hoc sceleris admisit, pœnitentiâ afficiatur septem annorum, quartâ & sextâ feriâ jejunans, & tribus item quadragesimis pane & aquâ. Si verò pro munditiâ hoc facere putat, eum pœniteat tribus annis. Quòd si ignoranter, non peccat, sed ideo non promovendus, licet sit excellens. *C. Qui bis de consecrat. dist. 4. c. de Apostatis.*

Si Episcopus, Presbyter Diaconusve sponte est rebaptizatus, quamdiu vivit pœnitens sit: alij verò Clerici, & Monachi & Moniales, ab hæreticis volentes rebaptizari, pœnitentiam agant duodecim annis, *Can. Eos quoque de consecrat. dist.* 4.

Qui coactus falsum testimonium dicit nec mors sequitur, in pœnitentia sit duobus annis, si sponte, annis quinque, *C.* 1. *De fal.*

Qui filium ſuum opprimit, annis tribus, & uno in pane & aqua pœnitens ſit, *apud Ivonem par. 9. Can.* 104.

Adultero pœnitentia conſtituitur ſeptem annorum, *Can. Prædicandum. 22. q.* 1.

Qui injuſtè quempiam accuſat ad mortem, quadraginta dies pane & aquâ continenter jejunabit, & per ſeptem annos, pœnitentiam aget non aquâ tantum, ſed arbitrio Sacerdotis. Si verò ob eam accuſationem quis membrum perdiderit, accuſator jejunabit quadrageſimis tribus pane & aquâ, *22. q. 5. Can.* 1.

Sortilegus quadraginta dies in pœnitentia ſit, *Can.* 1. *De ſortilegis.*

Reſpiciens furta in aſtrolabio, annis duobus, *Can.* 2. *De ſortilegis.*

Qui ædes magicis cantionibus luſtrat, aliudve tale admittit, & qui ei conſentit & conſulit, pœnitens ſit annis quinque, *Can. Qui divinationes. 26. q.* 5.

Patronus qui res Eccleſiæ abſumit, per annum excommunicetur, *Can. Filijs. 16. q.* 47.

Qui jurat ſe ad pacem non redire, per annum pœnitens ſit, *Can. Qui Sacramento. 22. q.* 4.

Incendiario hæc pœnitentia dabatur, ut Jeroſolymis aut in Hiſpania per annum in Dei ſervitio permaneret. Qui hanc pœnitentiam remitteret, per annum item à ſui muneris adminiſtratione amovebatur. *Can. Peſſimam. 23. q. ult.*

Qui filiam ſororemve ſpiritualem in matrimonium ducit, qui item conſentit, pœnitens ſit ſeptem annis, *C. Non oportet* 30. *q.* 3.

Si gutta ſanguinis Chriſti in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia ſit quinquaginta diebus. Si ſuper altare, & ad pannum unum tranſit, diebus duobus. Si uſque ad pannos duos, diebus quatuor, ſi uſque ad tres, diebus novem, ſi uſque ad quatuor viginti diebus. *Can. Si per negligentiam, diſt.* 2.

Si incautè dimiſit quamvis nil nefandi acciderit, tribus menſibus à ſui muneris adminiſtratione amovetur. *C. De cuſtodia Euchar.*

Epiſcopus qui cædem fecerit, in pœnitentia ſit quindecim annis. Deponatur, perpetuò peregrinetur. Preſbyter annis duodecim, quorum tres jejunet pane & aquâ, & deponatur: Diaconus, annis decem & tribus in pane & aqua, *Can. Si quis homicidium. diſt.* 50.

Qui homicidium fecerit, pœnitens ſit duobus annis, *Can. De his Clericis, diſt.* 50.

Qui caſu cædem fecit, conſtituitur ei pœnitentia quinque annorum. *Can. Eos qui, diſt.* 50.

Qui verò sponte, septem annis pœnitens sit, *C. Major, dist. 50.*

Qui Clericum Monachumve, Diaconum, Subdiaconumve occiderit, perpetuò in Monasterium detrudetur, & publicam pœnitentiam aget septem annis, *Can. Qui occiderit.* 17. *q.* 4

Qui Presbyterum occiderit, in duodecim annis pœniteat, *Can.* 2. *De Pœnitent. & remiss.*

Qui coïerit contra naturam, aut cum brutis; qui item incestum fecerit, pœnitens sit ampliùs quàm septem annos. Quâ Clericus deponitur: laïcus excommunicatur, 23. *q.* 2.

Qui matrimonium contraxerit contra interdictum Ecclesiæ, per mensem pœnitens sit, aut arbitratu confessoris, *Can.* 1. *de matrim. contra interdict. Eccl.*

Confessor qui pœnitentis peccatum patefecit, in Monasterium detrudatur ad agendam pœnitentiam. *Can. Annis de pœnitent. & remiss.*

Qui per ebrietatem Eucharistiam evomit, si laïcus est, quadraginta diebus; si Clericus, sexaginta: Si Episcopus, nonaginta: Si infirmus pœnitentiam agat diebus septem, *Can. Si quis per ebrietatem de consecrat. dist.* 2.

Qui perjurium sciens admiserit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœnitens sit, & nunquam sit sine pœnitentia, interiori scilicet. *Can. Quicumque* 6. *q.* 1.

Qui coactus pejerat, si liber est, quadraginta dies & septem sequentes annos: si servus, tres quadragesimas & legitimas ferias pœnitens sit. *Can. Qui compulsus* 22. *q.* 5.

Qui compellit alium ut falsum juret, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos in pœnitentia sit. *Can. Si quis convictus* 22. *q.* 5.

Qui pejerat in manu Episcopi in cruceve consecrata, tribus annis, si verò in cruce non consecrata, per annum in pœnitentia sit. qui ignoranter & coactus, tres quadragesimas. *C.* 22. *q.* 5.

Qui verò necessitate aliquâ impulsus perjurium committit, tribus quadragesimis sit in pœnitentia. 22. *q.* 5. *Si quis coactus:*

Qui mensuras adulterat, triginta diebus pane & aquâ jejunet, *Can.* 1. *De empt. & vendit.*

Qui inscienter hæretico communionem dat, vel accipit ab eo, per annum pœnitens sit. Si verò scienter, annis quinque. quòd si nesciens permittat eum in Ecclesia celebrare, diebus quadraginta; si verò id fecit reverentiæ causâ, annum unum; sin au-

tem ad evertendam fidem, annos decem; ſin hæreticus, annos duodecim, *Can. Si quis dederit.* 24. *q.* 1.


Qui rapuerit furatuſve ſit, alteri quadruplum reddet, Eccleſiæ duplum, & ſeptem annis pœnitens erit pane & aquâ. *Can. Si quis furtum.* 17. *q.* 1.

Clerico furi annorum ſeptem, laïco quinque annorum pœnitentia conſtituitur, ſin autem vilis eſt res, pane & aquâ per annum pœnitentiam agat, *Can. Si quis Clericus.* 17. *q.* 4.

Qui in Epiſcopum Preſbyterumve manum injicit, & Eccleſiam vaſtat impugnatve, in Monaſterium concluſus perpetuò pœnitens ſit, *Can. Quiſquis per dolum.*

---

86. FRANCISCUS II. DE HARLAYO, Jacobi & Catharinæ à Marka filius, Pariſienſis, S. T. Doctor, Abbas S. Victoris prope Lutetiam, Franciſco I. ſuperſtiti acceſſit Coadjutor à Paulo V. datus A. C. 1613. 5. Idus Septembris, exceptus à Capitulo 1614. 13. Auguſti. Mortuo ſucceſſit Sede per procuratorem aditâ 1615. 8. Idus Octobris, in quam honorificè poſtmodum inductus eſt 5. Idus Januarij ſequentis. In Pontificatu multa indefeſſo ſtudio ſcripſit. Diœceſim annuâ periodo ſæpiùs recenſuit. Eccleſiaſticum Officium ſummâ diligentiâ recognovit. Bibliothecam monitis & ſumptibus inſtauratam publici juris fecit. Palatium in Scholam Epiſcopalem aperuit, verè literarum parens, & diſciplinæ propagator. Hunc tot laboribus curiſque pro Eccleſia Dei perfunctum mors Sponſæ præripuit, ut meliorem vitam capeſſeret. Obijt Gallione 1653 die 22 Martij; Mortui cor ibidem in Archiepiſcoapli Gallionæa Chartuſia, Corpus Rotomagum ſolemni pompâ atque apparatu delatum in Ambaſiorum tumulo, quos patruos Maternâ ex ſtirpe habuit, effusâ in lachrymas civitate, reconditũ eſt.



STATUTS ET REGLEMENS

FAITS PAR MESSIRE FRANÇOIS DE HARLAY Achevêque de Roüen, Primat de Normandie, au Synode de ſon Dioceſe tenu à Roüen le Mardy 29 jour du mois de May, 1618.

Pour être obſervez & gardez en ſon Dioceſe



RANÇOIS *par la permiſſion divine Archevêque de Roüen, Primat de Normandie, Au Clergé de nôtre Dioceſe & tous autres qu'il appartiendra ſalut.* Combien que faiſans nôtre viſite generale, & nous employans les mois derniers au ſoin plus particulier du Troupeau que Dieu nous a commis: nous ayons reconnu le grand & ſingulier profit, que les Beneficiers de nôtre Dioceſe, & les ames données à leur garde, font tous les jours, de l'ancienne police & ſaintes inſtru-

ctions de nos Prédecesseurs : si avons-nous pourtant apperçû que la presence du principal Pasteur sur les oüailles, découvre bien souvent divers defauts à l'observation des Loix de l'Eglise, & à la Reverence non suffisamment renduë aux sacrez Mysteres d'icelle, ayans encore besoin nos Diocesains d'être aidez, & par admonitions ordinaires, & par reglemens qui puissent polir & perfectionner de plus en plus, ce que la simplicité des premiers temps n'a pû prévoir. Cela nous a donné sujet, aprés la revûë generale de nôtre Clergé, de nous recueillir sur les memoires dressez par les lieux particuliers où nous avons passé : & mettans en consideration les advis, propositions, & plaintes de nos Officiers, Beneficiers & Clergé, arrêter en nôtre Synode les reglemens qui ensuivent.

DE LA RESIDENCE.

LE principal plus utile & exemplaire moyen de rétablir & entretenir l'état de l'Eglise, consistant en l'actuelle residence des Curez sur leurs Benefices : afin qu'ils n'abandonnent le soin des ames que la sainte Eglise a commis à leur garde, ains y veillent sans cesse, pour en rendre compte devant Dieu, Nous enjoignons à tous Curez de ce Diocese de resider actuellement sur leurs Benefices, & satisfaire en personne au devoir de leur Charge, comme ils y sont tenus par les saints Decrets & Constitutions canoniques. Et ceux qui prétendront avoir dispense ou autre legitime cause de leur absence, seront tenus nous en faire apparoir dans deux mois, par les voyes permises, autrement sera pourvû à ce que les Eglises ne demeurent destituées & vacantes de vrays & fidelles Pasteurs.

L'absence ne sera pour plus de deux mois en un an, si ce n'est pour cause grave, dont nous ayons été valablement certiorez & informez de leur part. Et s'il est possible hors le temps de l'Advent, Carême, Fêtes de Noël, Pâques, Pentecôte, jour & octave du S. Sacrement.

Avant que s'absenter ils seront tenus ayans nôtre licence, commettre à leurs Benefices un Prêtre approuvé de nous, ou nos Vicaires generaux. Lequel aprés l'examen étant jugé capable de telle Charge, puisse resider sur le lieu en leur absence, faire le Service Divin, administrer les Sacrements, & tout ce qui est ne-

cessaire pour l'Eglise & le salut des ames des Parroissiens, à nôtre décharge & desdits Beneficiers.

Ceux qui auront été plus de deux mois absens, s'ils s'obstinent à ne point resider, y seront contraints par les Censures Ecclesiastiques & autres peines de droit, jusques à privation de titre, aprés les monitions ordinaires & requises.

DE LA DOCTRINE CHRETIENNE.

ETANS residens, ils s'acquiteront soigneusement de leur devoir, procurant de tout leur pouvoir l'avancement & profit spirituel de leurs Parroissiens, par saintes admonitions & bons exemples.

Outres les instructions du Manüel qu'ils sont tenus lire au Prône de la Messe, & predications ordinaires, prendront les jours de Dimanche & Fêtes de l'année une heure commode, devant ou aprés les Vespres, pour enseigner la Doctrine Chretienne: par eux ou autre personne capable.

Admonesteront leurs Parroissiens de s'y trouver, les avertissans de l'obligation qu'ils ont de sçavoir ce qui leur est necessaire à salut: sans laquelle connoissance ils ne sont pas capables de recevoir les saints Sacremens.

Leur apprendront principalement ce que les plus simples sont tenus de sçauoir à peine de damnation. Qu'il n'y a qu'un Dieu en essence, lequel neanmoins a trois personnes, le Pere, le Fils, le S. Esprit, Createur, Sauveur, Glorificateur: l'Incarnation du Fils, sa Nativité, Mort, Resurrection, Ascension, Avenement dernier pour juger les vivans & les morts: & leur feront reciter par cœur, specialement le Symbole en François, les Commandemens de Dieu & de l'Eglise.

A cet effet auront tous lesdits Curez ou leurs Vicaires la sainte Bible, le Pastoral de saint Gregoire imprimé de nouveau à Roüen, le Catechisme Romain Latin-François, le Concile Provincial, les Reglemens Synodaux, & quelques autres livres propres pour leur instruction, qu'ils exhiberont aux Archidiacres faisans la visite.

Ils ne permettront qu'aucun s'ingere de tenir écoles en leurs Parroisses, qui ne soit approuvé du Chancelier de nôtre Eglise Cathedrale & Metropolitaine, de la dignité duquel sous nôtre

autorité dépend ladite approbation, ou que ceux qui prétendront en avoir titre ou priuileges particuliers, ne luy en ayent fait apparoir.

DE LA VIE ET MOEVRS.

ILs mettront peine que leurs œuvres correſpondent à leur ſainte Doctrine, exhortant leur Peuple à bien vivre, & leur en montrant le chemin par leur bon exemple.

Sur tout ils fuïront l'avarice, l'yvrongnerie, & la luxure: leſquels vices ſont entr'autres abominables, & de grand ſcandale aux Eccleſiaſtiques.

Et partant ils ſe comporteront avec telle diſcretion en la perception des oblations, & autres droits parroiſſiaux qui leur ſont payez ſelon les anciennes & loüables coûtumes, qu'ils ne feront paroître aucune affection ſordide.

Ils n'iront aux tavernes, ſi par la neceſſité de quelque voyage ils ne ſont obligez d'y prendre leur repas & d'y coucher: & quand ils ſeront appellez en compagnie, ils s'y comporteront ſobrement & diſcretement, ſans boire ny faire excez, plus que l'honnêteté de leur vie & qualité deſire.

Ne hanteront mauvaiſes compagnies, ny trop familierement avec les laïques.

Ne tiendront en leurs Preſbytaires ny ailleurs concubines, ny autres femmes ou filles, deſquelles l'âge où les déportemens leur puiſſent donner ſoupçon d'incontinence. Et ne les hanteront aucunement en quelque lieu qu'elles ſoient.

Les contrevenans ſeront punis par ſubſtraction de leur temporel, ſuſpenſe, l'adminiſtration de leurs benefices: & enfin par la réelle privation du titre, ou autres peines au cas appartenans.

Ceux qui aprés avoir été admoneſtez de quitter les femmes ſuſpectes & de mauvais bruit, leſquelles demeureront chez eux, bien qu'il n'en apparoiſſe autre ſcandale, perſiſteront à les retenir ſeront tenus pour concubinaires publics, & comme tels en ſubiront les peines.

Que leur vêtement honnête ſoit témoin de leur vie, qu'il ne ſoit ny ſale, déchiré & mal propre, ny curieux & mondain: la ſoutane & robbe longue juſques aux talons, avec la tonſure convenable.

Qu'ils

Qu'ils ne portent manteaux courts, habits de couleur, passemens, decoupeures, bagues aux doigts, peccadilles, rotondes, dentelles, moustaches & grands cheveux, * ny autres choses indecentes à leur état & condition.

* & moins encore des Perruques.

DV SERVICE DIVIN.

EN toutes les Eglises Parroissiales de nôtre Diocese, le Service divin sera celebré suivant le Breviaire & Missel par nous ordonné.

Esdites Parroisses, si faire se peut, qu'il y ait un Prêtre ou Clerc, pour aider au Curé à faire le Service de l'Eglise, administrer les Sacremens, & principalement pour instruire la Jeunesse aux principes de la Foy, & Doctrine Chretienne : à l'obeïssance envers Dieu, le Roy, les Magistrats, & leurs Peres & Meres : & sera pourvû, les Curé, Tresoriers, & Parroissiens appellez, des moyens de l'entretien dudit Prêtre ou Clerc.

Le Curé dira les Dimanches & Fêtes les premieres & secondes Vêpres entre deux ou trois heures de relevée, & la grande Messe entre neuf & dix heures de matin : ensorte qu'il ne commencera les Vêpres devant deux heures, ou aprés trois : ny la Messe plûtôt que neuf heures, ou plus tard que dix.

Le Chapelain, ou Clerc Prêtre dira la Messe matinale à heure commode selon la saison : en Esté entre six & sept, en Hyver entre sept & huit heures : & lira intelligiblement à l'Offertoire le *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Confiteor*, en latin & en françois, & les Commandemens de Dieu & de l'Eglise.

Es Paroisses où il n'y aura Chapelain, ny autre Prêtre pour dire la Messe matinale, le Curé fera aux mêmes heures quelques Prieres devotes, avec l'ostension du S. Sacrement & à la fin lira ce que dit est.

Le Curé ne permettra les Hommes mariez chanter l'Epistre, ny porter Chappes ou Surplis en l'Eglise, & Processions, ou autres lieux

Il ne se fera aucune Procession és jours de Dimanche & Fêtes, qui empêche que la grande Messe ne soit dite en la Parroisse, & à l'heure ordinaire. Et notamment n'y seront portées des bouteilles, viandes, ny autres choses, comme il a été pratiqué en quelques lieux, contre l'ordre & la bien-seance de l'Eglise.

Nous exhortons tous Religieux, de celebrer le service principal de leurs Monasteres, & faire leurs Prédications à heures si commodes, que les Parroissiens ne soient divertis de l'assistance qu'ils doivent à l'Office divin de leur Parroisse.

Aux jours de Dimanche on ne fera aucunes Inhumations, ny service des trépassez le matin. Et pour les Fêtes, l'ordre prescrit par le Manüel sera observé.

Defendons ausdits Curez de souffrir qu'il se fasse en leur Parroisse aucune Inhumation avant huit heures de matin en Hyver, ou sept heures en Esté : ny depuis cinq heures aprés midy, l'Hyver, ou six heures de soir en Esté.

Les Messes des Confrairies se diront sur les sept heures de matin en Esté, & en Hyver à huit heures, sans incommoder le Service de la Parroisse : & ne s'y fera Eau benite, ny Pain benit.

Les Fondations seront entretenuës, tant que faire se pourra, selon l'intention des Fondateurs. Et au cas que le Revenu ne fut suffisant pour fournir aux charges, les Curez & les Tresoriers se retireront par devers nous pour être pourvû sur la reduction, ainsi qu'il sera trouvé être à faire par raison & par les voyes de droit.

L'Office de l'Octave du S. Sacrement, que la pieté de nos Predecesseurs a introduit, & autres loüables coûtumes, seront continuées par les Curez, & les abus corrigez.

Nous defendons toutes representations & déguisemens en l'Eglise & Processions, sous quelque pretexte de pieté qu'ils ayent été introduits, à peine de suspense, excommunication, & autres punitions au cas appartenans, & pour lesquelles le bras seculier sera imploré si faire se doit.

Que les Curez regardent que tout leur service soit bien fait, avec ordre, ceremonies & chant convenable, ensorte que le peuple en soit édifié.

Qu'ils contraignent les Prêtres de leur Parroisse, bien que non habituez en leur Eglise, d'assister au Service divin en habit decent.

Ils avertiront & exhorteront les Tresoriers de prendre garde si aucuns des Parroissiens boivent aux tavernes & cabarets, ou joüent publiquement pendant le Service divin, pour y être pourvû suivant l'Ordonnance du Roy.

Ils ne permettront qu'il se fasse en l'Eglise aucun tumulte, bruit, querelle, devis, pourmenades, ou autres insolences.

Ils ne laisseront quêter personne par l'Eglise sans nôtre per-

miſſion : ains feront donner ordre que les pauvres demeurent à la porte pour demander l'aumône, ſans aller par l'Egliſe troubler le Service divin & les prieres du peuple.

Les Prêtres allans dire Meſſe, ſortiront de la Sacriſtie, revétus d'ornemens honnêtes : marcheront en l'honneur, reſpect & bien-ſeance dûë à l'Egliſe, & à leur qualité, tant en la compoſition du corps, geſte, que regard. Seront accompagnez d'un Clerc pour leur répondre : & ne commenceront la Meſſe qu'il n'y aye deux cierges allumez aux deux côtez de l'Autel, & une Croix au milieu : * ne mettant ſur l'Autel aucune choſe qui ne ſoit neceſſaire pour la celebration de la ſainte Meſſe. *Nota.

DES IOVRS DE FESTES.

LES Curez prendront garde qu'il ne ſe faſſe aucun œuvre mechanique ny mercenaire és jours de Fêtes commandées : que les boutiques ne ſoient ouvertes ; & que les harnois ne charient, ſans en advertir le magiſtrat politique.

Qu'il ne ſe tienne aucune foire ou marché dans les Cimetieres & aux portails des Egliſes, ny ſoient faites danſes publiques.

DES EGLISES.

QUE les édifices des Egliſes ſoient en bon état de toutes reparations, clos de bonnes portes, & bien garnis de pavé, vitres, lambris, & les murailles blanchies, enſorte que le Service divin y puiſſe être commodement celebré, & que les choſes ſacrées y repoſent en toute aſſurance.

Que les Autels ſoient de pierre, beaux & entiers ſans fraction notable, & qui entame les Croix de la conſecration, & ſeront clos par deſſous. Qu'ils ſoient garnis de contretable, parement de devant d'Autel, & ciel, & de trois nappes, deſquelles les deux de deſſous couvrent tout l'autel, & celle de deſſus pende des deux côtez juſques à fleur de terre, avec un tapis par deſſus ; & à côté la piſcine nette, & bien percée.

Es Egliſes auſquelles il n'y aura un grand Autel ſacré, il en ſera placé un petit ſuffiſant pour contenir le S. Sacrement & le Calice : ledit petit Autel ſera enchaſſé dans la grande table, elevé de demy pouce ſur icelle, attaché avec des crampons de fer,

& à trois doigts du devant de la table ou pierre non ſacrée.

Les Pierres tant des Autels ſacrez, fixes que portatifs, ne demeureront jamais découvertes, de peur d'être touchées & polluës par les ſeculiers. Partant elles ſeront couvertes à tout le moins d'une toile qui y ſera cloüée pour y demeurer toûjours.

Que le Tabernacle ſoit au milieu du grand Autel, richement paré dedans & dehors, bien clos & bien fermé, couvert d'un pavillon de quelque belle étoffe, avec une lampe ardente, ou cierge allumé devant.

Dans le Tabernacle il y aura toûjours un Corporalier ſous le Ciboire, & ne ſera laiſſée la clef du Tabernacle qu'au Prêtre commis à l'adminiſtration du S. Sacrement en l'abſence du Curé.

*Nota Aux Egliſes dans leſquelles ſe trouve un Tabernacle * attaché contre un des pilliers, au côté de l'Autel principal élabouré de quelque ouvrage, & rapportant à la dignité du S. Sacrement & du lieu, il y ſera laiſſé, & ſuffira, & le tout ſelon le pouvoir & biens de l'Egliſe.

Qu'en toutes les Egliſes, il y aye une repreſentation du Crucifix au haut de l'entrée du Chœur, & un Image du S Patron de l'Egliſe, en l'honneur duquel elle eſt dediée, au côté droit du grand Autel. Qu'elles ſoient en bonne forme & honnêtement decorées: comme auſſi tous autres Images: ôtant ceux qui ſeront briſez, rompus, vermoulus, ou autrement difformes.

Qu'il ne ſe faſſe aucune Croix ſur le pavé des Egliſes, ny en lieu où elle puiſſe être foulée aux pieds.

Le Chœur ſera ſeparé de la Nef, avec une cloaiſon de bois à claire voye.

Que toutes les Armoires & trous qui ſont és parois proche du grand Autel, ſoient bouchez: & que les coffres & bureaux du Treſor, & Confreries, ſoient mis hors le Chœur.

Que les laïques n'entreprennent d'occuper la place des Prêtres: & que les bancs des Femmes, autres que les Patronnes ou Femmes des Patrons, ne ſoient dans le Chœur des Egliſes.

Qu'il y aye une Sacriſtie, ſi faire ſe peut, ou au moins quelque lieu commode & aſſuré pour retirer les ornemens.

Que les Reliques ſoient en lieu decent: d'où elles ſeront tirées aux Fêtes ſolemnelles avec grande reverence, par les mains d'un Prêtre revêtu de Surplis, & Eſtole: accompagné d'un ou deux Cierges allumez, leſquelles Reliques ſeront miſes ſur un Autel

avec lesdits Cierges allumez, sans que aucun crie* ny fasse bruit *Nota sur des bassins ou autres vases. Et desdites Reliques Inventaire signé par le Curé & Tresoriers envoyé aux Archives de nôtre Archevêché à Roüen.

Que les Fonts soient fermez à clef, & le couvercle garny de Sarge, ou tapis attaché & cloüé dessus : le dedans desdits Fonts couvert de plomb entierement & étaimez.

Qu'il y aye une Armoire proche pour resserrer les saintes Huiles, qui seront en des Chrismatoires & Ampoulles d'argent : ensemble la Tasse d'argent pour baptizer si le revenu de l'Eglise le peut porter, & du moins d'étain bien clair, & tenu nettement avec les linges, & sur les boëtes des saintes Huilles, il y aura du cotton pour essuyer l'Onction.

Qu'il y aye à chaque porte un benitier de pierre, & de l'eau benite, qui soit changée entierement toutes les semaines.

Que toute l'Eglise soit tenuë nettement, qu'elle soit balliée, au moins une fois la semaine le Samedy. Que l'on n'y resserre bois, lattes, tuiles, escentes, ardoises, chaux, cyment, pommes, grain, ny choses semblables : specialement que l'on ne voye aucune poudre, cendre, tisons, charbons, ny autres ordures au coin du grand Autel, ny en la piscine.

Pour les Inhumations dans les Eglises, sera suivi exactement le Decret du Concile Provincial.

DES CIMETIERES.

LES Cimetieres seront bien clos tout au tour : & garnis de grilles ou barrieres aux avenuës, à ceque les bêtes n'y puissent entrer ny le charroy passer.

Ils ne seront baillez à ferme ou loüage, & ne serviront à retirer bois ou pierres ; à dresser bâtimens, ou faire quelque autre œuvre profane. Sur tout que l'on n'y voye aucune immondice.

L'on ne bâtira aucun édifice, si ce n'est pour le service de l'Eglise, & par nôtre permission.

Au lieu le plus eminent il y aura une grande Croix de pierre plantée.

Les corps des heretiques, ou excommuniez notoires, ou de ceux qui meurent en duel, n'y seront inhumez, ny en autre lieu benit.

DES ORNEMENS.

QUE les Eglises soient fournies de Livres, Croix, Banieres, Chandeliers, Lampes, Lanternes, Encensoirs, Chappes, Chasubles, Tuniques, Aubes, Corporaliers, pochettes pour les Calices, Purificatoires, Voiles, Calices, Ciboires, Dais & autres Ornemens necessaires; avec la propreté & netteté requise.

En chaque Eglise, s'il se peut, il y aura une Sacristie pour y mettre les Ornemens, tant de la Paroisse, que des Chapelles separement, & autres choses necessaires au divin Service dans des Armoires, en laquelle Sacristie, les Prêtres qui voudront celebrer la sainte Messe se revétiront.

Dans la même Sacristie, il y aura un lieu pour se laver les mains, serviettes pour les essuyer, & Confessionnal, s'il se peut, pour se confesser & prier Dieu, où seront les préparatoires pour la sainte Messe.

Qu'il y aye une Estole grande & belle pour servir aux Processions, & administer les Sacremens.

Que les Curez & autres Prêtres disans la Messe, ne se servent d'Etolles & Manipules rompus, ou d'autre couleur que le Chasuble, ny de Ceintures renoüées: même aux autres Offices, que les Ornemens ne soient déchirez, décousus, ou rempiecez.

Que leurs Calices soient souvent nettoyez, les Corporaliers blanchis, & proprement empesez, de toile fine & fort-faite, avec une dentelle au tour, & sans aucune brodure au milieu.

Les Purificatoires seront de toile un peu plus ronde, mais bien blanche, & ourlez à l'entour.

Aprés l'Office dit, que tout soit soigneusement resserré, & que l'on ne laisse rien traîner sur les Autels, ny sur les Bancs, & Lietrins de l'Eglise.

DE LA FABRIQUE.

LES Tresoriers rendront tous les ans bon & fidelle conte de l'administration du Bien & Revenu, tant de l'Eglise, que des Confreries, devant les Archidiacres faisans leur visite en la presence du Curé & Parroissiens, ainsi que suivant les Ordonnances & Reglemens il est accoûtumé.

Tiendront la main les Curez, à ce que les deniers desquels lesdits Tresoriers demeureront reliquataires, soient mis és mains de leur Successeur : & sans les bailler en depost & prest usuraire.

Prendront garde aussi qu'aprés les Fondations & Charges ordinaires accomplies, les deniers revenans bons, soient appliquez à l'achat d'Ornemens, & à la decoration de l'Eglise : & ne soient divertis ailleurs, si ce n'étoit pour achetter fond, ou rente constituée bien assurée.

Les Tresoriers ne pourront faire ancun achat : ny même accepter Fondations, sans y avoir appellé le Curé, & qu'il ne l'ait trouvé bon & donné son consentement.

Nous exhortons lesdits Tresoriers, de faire remettre en la possession de l'Eglise, les biens qui auront été vendus & alienez sans autorité, & contre les formes, & d'en faire les diligences par les voyes permises ; avec pareil soin qu'ils prennent pour l'autre Revenu de l'Eglise, & duquel ils tiennent conte tous les ans.

Ils feront Inventaire de tous & chacuns les Titres & enseignemens, comme aussi des Ornemens & Meubles de l'Eglise, & bailleront le tout sous bon conte & *recepisse* à ceux qui leur succederont.

DES CONFRERIES.

LES Curez ne souffriront qu'il se fasse en leur Eglise aucune Congregation, Association, Confrerie, ou Charité contre la prohibition des Ordonnances, qui ne soit approuvée de nous.

Lesdits Curez tiendront la main à ce que les Statuts de celles qui auront été approuvées, soient observez, sans permettre qu'il s'y commette aucun abus, ny souffrans qu'ils s'y fassent danses ou banquets aux dépens de la Confrerie, ny que les Confreres tiennent leur Conseil, & traitent de leurs affaires dans l'Eglise.

Aux élections & dépositions des Eschevins, Maîtres, ou Prevôts, ne se commettront aucunes irreverences, ne conduiront processionnellement lesdits Maîtres & ne se serviront de Chappes ou autres habits Sacerdotaux, qui ne peuvent être employez hors le service de Dieu sans profanation.

Les Curez n'y seront Maîtres ny Eschevins, neanmoins assisteront à l'audition de comptes, & feront employer les deniers

revenans bons à l'achat d'Ornemens pour le ſervice de la Confrerie, où à l'entretien & decoration de l'Egliſe, & autres œuvres pieuſes.

DES SACREMENS.

CEux qui adminiſtreront les Sacremens, ſeront revétus de ſurplis & étolle ; & s'efforceront par une devote & loüable action, avec l'attention, prononciation & Ceremonies requiſes, faire que le peuple ſoit convié à les recevoir dignement à ſō ſalut.

Ils expoſeront ſommairement l'inſtitution, l'uſage, la vertu, & fruit d'iceux, ſelon la capacité de ceux qui s'y preſenteront.

DV BAPTESME.

LES Peres & Meres ſeront avertis de faire porter leurs enfans au Baptême, le plûtôt que faire ſe pourra, vû la neceſſité de ce Sacrement.

Que ce ne ſoit à heure induë, devant le ſoleil levé, ou aprés jour failly, ſi ce n'eſt en cas de neceſſité.

Qu'ils ne permettent que leurs enfans ſoient baptiſez au logis, ſans peril imminent de mort, autrement ils offenceroient grandement Dieu.

Encor qu'en cas de neceſſité toute perſonne puiſſe baptiſer, neanmoins jamais une femme ne doit l'entreprendre en la preſence d'un homme, (s'il n'étoit ignorant de la frome) ny un laïque, quand on peut avoir un Prêtre.

Ceux qui auront baptiſé un enfant en la maiſon, viendront eux mêmes trouver le Curé, & luy diront comme ils s'y ſeront comportez.

Aprés que le Curé ſe ſera diligemment informé par témoins de celuy qui a baptiſé, & la forme dont il aura uſé : car il ne doit pas ajoûter foy à une femme, ou autre qui dira avoir baptiſé ſans le prouver. S'il doute encor ſi le Baptême a été bien adminiſtré, il uſera de la condition : *Si tu non es baptizatus, Ego te*, &c.

Il ne baptiſera ceux qu'il trouvera avoir été baptiſez, car ce ſeroit ſacrilege, & il encourroit irregularité : mais ſeulement il ajoûtera les prieres & Ceremonies ordinaires, & ne ſouffrira qu'on donne des noms ridicules ou de Payens aux enfans.

Les enfans exposez seront baptisez sous condition, encor qu'ils ayent été trouvez avec un billet portant témoignage qu'ils ayent été baptisez.

Les enfans qui aux accouchemens difficiles auront été baptisez, versant de l'eau sur le pied ou sur la main, n'étant encor entierement nez ; s'ils viennent au monde vivans, seront baptisez sous condition, mais non ceux qui auront été baptisez en la tête.

Ils ne recevront qu'un Parrain & une Marraine, lesquels ne seront heretiques, pecheurs publics, Religieux, ceux qui n'auront communié à Pâques, qui n'auront atteint l'âge de quatorze ans, qui ne sçauront leur Croyance, & Commandemens, l'Oraison Dominicale, & la Salutation de l'Ange.

Ils advertiront les Parrains & les Marraines, qu'ils sont obligez de faire instruire à la crainte de Dieu l'enfant qu'ils ont tenu sur les Fonts, si les Peres & Meres y sont negligens : & qu'ils ont contracté affinité avec led. enfant, & le Pere & la Mere d'iceluy.

Celuy qui baptise contracte aussi affinité avec celuy qui est baptisé, si ce n'étoit qu'en necessité le Pere baptisât son enfant, ny ayant d'autre personne pour ce faire : auquel cas il ne contracte point affinité avec sa femme legitime.

Le diable pour empêcher l'effet du Baptême, & la renonciation à ses œuvres & pompes, a introduit en quelques endroits une damnable coûtume, de porter les enfans nouvellement baptisez à la taverne : ce que nous défendons pour l'avenir être fait, & ne rapporter à la sensualité la réjoüissance qui doit être toute spirituelle.

Aussi l'on enchargera aux Peres & Meres, & aux Nourrices, de ne mettre les enfans coucher dans leur lit, pour éviter le peril de l'oppression.

Les saintes Huiles seront renouvellées tous les ans, les vieilles seront mises en la Lampe, ou brûlées avec le linge ou cotton, & les cendres jettées à la Piscine.

Les Curez tiendront registre de ceux qui sont baptisez, suivant qu'il est prescrit au Concile Provincial.

DE LA CONFIRMATION.

LEs Curez exhorteront leurs Parroissiens à recevoir le Sacrement de Confirmation, & s'y préparer par la Confession de

leurs pechez, ou au moins par une douleur & regret d'avoir offensé Dieu, avec un ferme propos de s'en confesser.

Personne ne s'y presentera qui n'aye sept ans passez, & usage de raison pour le recevoir dignement, & s'en ressouvenir : car il ne se doit reïterer.

Le Parrain ou Marraine doit avoir été confirmé, & avoir atteint l'âge de quatorze ans : & ne doit être le Pere, Mere, Frere ou Sœur, ny celuy qui a été Parrain au Baptême. Et doit avoir soin de faire instruire celuy qui a été confirmé, sur l'excellence de ce Sacrement, qui renouvelle les graces conferées au Baptême, & par la reception du S. Esprit prépare l'ame à resister aux assauts du diable.

DU SAINT SACREMENT.

LES Curez donneront ordre, que les Hosties soient conservées dans le Tabernacle en un seul Ciboire, & en un linge benit exprés, bien blanc & entier, proprement ourlé tout à l'entour, & garny d'une petite dentelle : & se garderont bien de les mettre dans des morceaux de toile déchirez de vieux Corporaliers ny en autre linge prophane.

Dans le Ciboire il y aura une boëtte d'argent doré par dedans qui sera benite, garnie par dedans de deux Corporaliers ronds & proportionnez à la boëtte.

En chacune Parroisse il y aura trois Vases d'argent doré, s'il est possible, pour le S. Sacrement. Le premier qui demeurera en l'Eglise, & dedans lequel seront conservées du moins six Hosties sacrées, tant pour la necessité du Viatique des malades, que pour les Pelerins passans : l'autre duquel le Curé se servira pour porter ledit Viatique aux malades : & le troisiéme Vase en forme de Soleil, pour exposer le S. Sacrement en la Fête principale, aux Processions ordinaires, & lors que l'on fait la Priere des Quarantes Heures, & semblables solemnitez.

Les Hosties sacrées qui se garderont, seront nouvellement faites, & seront renouvellées de quinzaine en quinzaine.

Que le S. Sacrement soit porté aux malades dans un Ciboire d'argent, couvert d'un voile de quelque riche étoffe, avec deux flambeaux aux moins, & une lanterne pour garder la lumiere, & une petite clochette pour avertir le peuple.

Le peuple ſera exhorté aux Prédications, Prônes, & Doctrine Chrêtienne, d'accompagner reveremment le S. Sacrement, & gagner les Indulgences qui y ſont concedées.

Avant que porter le S. Sacrement, la cloche tintera trois fois pour convier le peuple d'y aſſiſter.

L'on portera toûjours au moins deux Hoſties, pour revenir en même ordre & devotion que l'on y ſera allé.

Le Curé aura un grand voile long d'une aulne & demie ou environ, duquel il couvrira ſes épaules & le S. Sacrement, quand il le portera aux malades, ou aux Proceſſions.

Que tous faſſent leur devoir de frequenter la Communion; notamment és Fêtes ſolemnelles. A quoy les Curez exhorteront ſoigneuſement leurs Parroiſſiens és Dimanches précedens.

Leur défendons neanmoins de recevoir à la Communion, ceux qui vivent notoirement en peché mortel, & ne s'en veulent retirer: comme ceux qui ſans diſpenſe ont contracté mariage en degré prohibé, ou ayant quelque autre empêchement legitime, ceux qui ſont clandeſtinement mariez, les concubinaires, uſuriers, & blaſphemateurs publics, qui perſeverent en leur peché

Que ceux qui la premiere fois ſe preſenteront à la Communion, en l'âge de douze ou quatorze ans, ſoient auparavant catechiſez par leur Curé, & bien inſtruits de la verité, excellence, & utilité de ce divin Sacrement, durant le Carême précedent.

Que l'on ne ſe ſerve de Calice pour donner du vin aux laïques aprés avoir communié: mais d'une couppe d'argent, ou d'un verre de criſtal à ce deſtiné, & qu'on ſoit ſoigneux de leur faire entendre que ce vin n'eſt que pour laver la bouche, & aider ceux qui en ont beſoin, afin d'uſer plus commodement les eſpeces de la ſainte Hoſtie.

DU SACREMENT DE PENITENCE.

CONSIDERE' qu'il n'y a rien qui importe tant au ſalut des ames que la diſpenſation diſcrette du S. Sacrement de Penitence: nous defendons à tous Prêtres, tant reguliers que ſeculiers, de s'employer à oüir les Confeſſions en ce Dioceſe, qu'ils n'ayent été de nous jugez capables, avec approbation par écrit; qui leur ſera gratuitement baillée.

Défendons auſſi auſdits ſeculiers & reguliers, de quelque qua-

lité qu'ils ſoient, d'oüir les Confeſſions des malades, préparatoires à la reception du Viatique, ſans l'exprés conſentement du Curé, en la Parroiſſe duquel demeurera ledit malade. Leſquels Curez nous exhortons d'accorder librement ladite licence à ceux qui la demanderont.

Et n'entendons permettre auſdits reguliers ou autres, qui ſe diſent privilegiez, l'adminiſtration d'aucun Sacrement au temps Paſchal, ſans la permiſſion des Curez.

Pour la commodité des Confeſseurs & penitens, il y aura en toutes les Egliſes des Confeſſionnaux: & en iceux ſera attachée une Table contenant les Cas reſervez, & la forme de l'abſolution.

Les Cas principaux reſervez au Pape, ſont. 1. Hereſie, favoriſer les Heretiques en ce qui concerne l'hereſie, lire ou retenir les Livres des Heretiques. 2. Mettre la main ſur les Prêtres, Clercs, ou Religieux en les outrageans griévement. 3. La Simonie ou confidence: quand on donne quelque bien temporel pour un benefice, ou quand on le tient pour un autre. 4. Falſification ou ſuppoſition de Lettres Apoſtoliques. 5. Piller & ravager les Egliſes. 6. Uſurpation de la Juriſdiction Eccleſiaſtique par les laïques. 7. L'irregularité pour defaut, ou delict notoire. 8. Les vœux de Chaſteté, Religion, voyage de Rome, Jeruſalem, S. Jacques en Galice.

Les Cas que nous nous ſommes reſervez en ce Dioceſe ſont: 1. Devination, Enchantement, Sortilege, & tout art Magique. 2. Parjure fait en Jugement, & falſification d'Ecritures. 3. Homicide volontaire, duels, oppreſſion d'enfans par negligence notable. 4. Inceſte au premier & ſecond degré, & violation de Religieuſes. 5. Sacrilege & uſurpation du Bien de l'Egliſe. 6. Brûlement des maiſons. 7. La diſpenſe & commutation de Vœux non reſervez au Pape. 8. La diſpenſe des ſermens faits. 9. L'abſolution des irregularitez qui ne ſont reſervées au Pape. L'abſolution des excommunications reſervées aux Evêques.

Les Confeſseurs, en vertu des Indulgences concedées à certains lieux, ne peuvent pas abſoudre de Cas reſervez; s'il n'eſt porté par mots exprés dans la Bulle.

DE L'EXTREME-ONCTION.

LEs Curez doivent principalement aſſiſter leurs Parroiſſiens, quand ils ſont proches de la mort, en ce moment qui leur reſte de vie, duquel dépend l'Eternité.

Ils leur porteront l'Extreme-Onction, pendant qu'ils auront encor le jugement ſain, pour la recevoir plus fructueuſement, & ce aprés avoir fait confeſſion de leurs pechez, & reçû la ſainte Communion.

Neantmoins s'il arrivoit que le malade eut perdu l'uſage des ſens, en ſorte qu'il ne pût demander ce Sacrement, n'ayant pas méme reçû les autres durant ſa maladie, pourvû qu'auparavant il ait donné quelque témoignage de repentance, & de le deſirer, le Curé ne fera difficulté de luy adminiſtrer.

Mêmement ayant été ſurpris, & perdu toute connoiſſance, devant que de pouvoir donner témoignage de ſa volonté, moyennant qu'il ait toûjours vécu pieuſement en l'obſervance des Commandemens de l'Egliſe : car lors ſes parens le devoient demander pour luy, étant à préſumer que telle ſeroit ſon intention.

Si le malade meurt pendant l'Onction, le Curé ne continuera davantage : mais s'il eſt en doute de la mort, il dira conditionnellement, *Si tu es vivus, per iſtam*, &c.

L'Onction ſe fera préciſement en prononçant les paroles : & ſi le malade eſt defectueux en quelque partie neceſsaire, l'huyle ſera appliquée à la partie la plus proche.

DE L'ORDRE.

NE ſeront reçus à Sous-diacre, que perſonnes, dont la bonne vie & literature ſera reconnuë par informations diligemment faites, & par examen de nous, & de ceux que nous avons commis pour cet effet : Les Bans ayans été préalablement proclamez en la Meſse Parroiſſiale par trois Dimanches, ou jours de Fêtes ſolemnelles.

Ils auront Titre pour le moins de cinquante livres de Revenu par chacun an, aſsuré ſur certain Fond d'heritage, borné par bouts & côtez, & certifié ſans fraude par quatre Habitans du lieu ſolvables, qui ſeront obligez faire valoir ladite ſomme. Et

sera le Titre contrerollé suivant l'Ordonnance : & en sera fait le-cture en l'Eglise, & requise aux Assises de la Jurisdiction, en laquelle sont scituez & assis les Biens des Titulans.

Ils auront attestation de leur âge, par extrait du Livre des Baptêmes : ou s'il ne se pouvoit recouvrer, par attestation de personnes dignes de foy, qui en auront certaine connoissance.

L'âge necessaire pour Sous-diacre est de 22 ans commencez : pour Diacre 23 : pour Prêtre 25 ans. Ceux qui avant ce temps prennent les Ordres, sont suspens, & s'ils exercent, ils deviennent irreguliers.

Les Diacres & Sous-diacres s'employeront à l'exercice de leur Ordre ; & de ce prendront attestation de leur Curé, autrement ne seront promûs, & en outre liront, & enseigneront le Catechisme aux Enfans des Parroisses de leur demeure, autrement se presentans sans le Certificat du Curé de ladite Parroisse, portant l'execution de la presente Ordonnance pour ladite lecture & instruction, ils ne seront admis, ny reçûs à l'Ordre de Prêtrise.

Nous enjoignons à tous Prêtres de s'habituer à certaine Par-
*Nota roisse : * & leur défendons de quêter leurs Messes par les Eglises : à peine d'être apprêhendez, & punis comme vagabonds.

Ils assisteront au Service des Parroisses, où ils seront habituez ; en habit decent : & aideront à chanter l'Office, avec attention, & sans précipitation.

Nous défendons aux Prêtres, qui ne sont de ce Diocese, de faire en iceluy aucune fonction d'Ordre, s'ils n'ont lettres testimoniales de leur Evêque, & permission de nous par écrit.

DV MARIAGE.

POUR obvier aux abus, & inconveniens qui arrivent des Mariages clandestins, nous déclarons nuls les Mariages, qui ne seront faits en la presence du Curé, d'une des parties, ou d'autre Prestre ayant de luy permission, & de deux ou trois témoins.

Le Curé ou autre Prêtre, regulier ou seculier, ores qu'il prétende en avoir la puissance par privilege, ou de temps immemorial, qui entreprendra d'épouser, & benir les Parroissiens d'autruy sans licence, sera puny des peines ordonnées par les Decrets, Conciles generaux, & Loix du Royaume.

L'ancienne & loüable coûtume des Fiançailles, qui ſuit les accords & conventions des parties, qui ſe deſirent marier enſemble, ſera gardée & obſervée quelques journées au précedent la celebration du Mariage.

Nous enjoignons aux Curez de s'enquerir curieuſement de la qualité de ceux qui ſe voudront marier : & ne les marier s'ils ſont enfans de Famille, ou en la puiſſance d'autruy, s'il n'apparoît conſentement des Peres & Meres, Tuteurs ou Curateurs, ou s'ils n'en ont particulier avis de nous.

Ils ne marieront aucuns vagabonds, ains les renvoyeront par devers nous, ny aucuns de la Religion contraire à la Catholique, ny aucune femme mariée, nonobſtant l'abſence de ſon mary, pour longue qu'elle puiſſe être, s'il n'apparoît de la mort du mary, par nouvelle certaine, ou tellement vray-ſemblable, qu'il n'y ait aucune apparence d'en douter.

Prendront garde, que les mariages ne ſoient contractez en degré défendu ; à ſçavoir au premier, ſecond, troiſiéme, & quatriéme de conſanguinité, ou affinité, oubien entre ceux qui ont une alliance ſpirituelle, à raiſon du Baptême.

Le Curé prendra garde, qu'il ait par écrit l'atteſtation de la proclamation des Bans faits par le Curé de la Parroiſſe d'une des parties, quand l'une d'icelles ne ſera de ſa Parroiſſe, & la gardera.

Ne diront la Meſſe à heure induë pour ceux qui ſe marient, mais attendront le temps auquel il eſt permis de la celebrer environ le point du jour.

Ils ne permettront qu'il s'y faſſe aucune choſe ſcandaleuſe ou ridicule, mêmement le lendemain des Nopçes, ny en aucun autre jour, que la mariée ira la premiere fois à la Meſſe de Parroiſſe : & empeſcheront l'inſolence & folie du peuple, par menace d'excommunication, & par le recours au bras ſeculier.

Contre les malefices, & pour recevoir dignement ce Sacrement, les parties ſeront exhortées, avant qu'ils contractent & conſomment leur mariage, de faire une entiere confeſſion de leurs pechez, & recevoir devotement la ſainte Communion le Dimanche précedent, ou deux ou trois jours auparavant.

Les Curez tiendront un Regiſtre des mariages qui ſe font en leurs Parroiſſes.

DE LA CLOSTURE DES MONASTERES.

Tous Monasteres tant d'hommes, que de femmes, seront bien clos & fermez. Il n'y aura qu'une porte ouverte, à laquelle y aura un Portier, ou Portiere, qui ne laissera entrer, ny sortir personne, sans permission.

Nous faisons défenses aux Superieurs des Monasteres d'hommes, de permetre que aucune femme demeure, ou entre dans la Clôture de leurs Monasteres, à peine de suspense, & de privation des Charges desdits Superieurs : & aux femmes d'y demeurer ou entrer à peine d'excommunication.

Nous declarons suspens tous Prêtres; qui présumeront administrer les Sacremens aux femmes, de quelque âge & condition qu'elles soient, qui demeurent dans lesdits Monasteres.

Nous défendons à toutes personnes de quelque sexe, âge & condition qu'elles soient d'entrer en la clôture des Religieuses sur peine d'encourir, en ce faisant, la sentence d'excommunication : si ce n'est pour cause legitime à nous premierement declarée, apres avoir obtenu nôtre permission.

Tous Religieux & Religieuses garderont étroitement la clôture, & ne divagueront hors leurs Monasteres.

Les Religieux qui sortiront avec congé de leur Superieur, & non autrement, seront revétus de leurs robbes, scapulaires, frocs, & bonnets : mais allant aux champs, d'où ils ne pourront revenir le même jour, porteront une robbe courte, ou soutanne, le scapulaire, manteau & chapeau, & ne seront seuls.

Il ne leur sera donné congé de sortir sans grande necessité. Et que jamais ce ne soit pour aller aux foires, ou aux Festes & Assemblées des Villages, ou aux Nopces de leurs Parens, ou pour tenir des Enfans sur les Fonts.

Les Religieuses ne sortiront de leur Monastere, pour quelque temps, ou sous quelque couleur que ce soit : si ce n'est pour cause necessaire, & qui soit approuvée de nous.

Les Religieux ou Religieuses qui seront trouvez divagans, ou en habit autre que leur Profession, seront apprehendez, & mis en prison.

Nous exhortons les Archidiacres de nôtre Eglise, tenir la main à l'entiere observation des presens Reglemens en leurs Visites ordinaires, & mandons aux Officiers de nôtre Justice,

faire

faire proceder contre ceux qui y contreviendront. Implorant à cette fin l'aide du bras ſeculier non ſeulement pour leſdits Reglemens, mais tout ce qui touchera la diſcipline Eccleſiaſtique dans nôtre Dioceſe. Fait à Roüen en nôtre Palais Archiepiſcopal, le Synode du Dioceſe tenant, ce 29 May 1618.

Signé, FRANÇOIS, Archevêque de Roüen.

Et plus bas;

Par le Commandement de Monſeigneur le Reverendiſſime.

LE PREVOST.


Et au deſſous eſt écrit,

Lûs & publiez en l'Audience de l'Officialité de Roüen, & enregiſtrez ès Regiſtres d'icelle, ce requerant le Promoteur general de l'Archevêché, le Lundy 9 jour d'Avril 1619.

Signé, DE BRETEVILLE, & DE LASTRE chacun un Paraphe.

FRANÇOIS par la permiſſion divine Archevêque de Roüen, Primat de Normandie. Combien que nous ayons par cy-devant aſſez declaré nôtre intention de l'ordre que nous voulons être tenu en la celebration des Synodes de nôtre Dioceſe; neantmoins, afin que perſonne n'en prétende cauſe d'ignorance, nous declarons par ces Preſentes nôtredite intention être, que leſdits Synodes Dioceſains ſeront pour l'avenir tenus ainſi qu'ils ont été cy-devant par nos Prédeceſſeurs, Nous & nos Vicaires generaux: C'eſt à ſçavoir, que les prieres, l'exhortation latine ou françoiſe, la publication des Reglemens, & toutes autres obſervances & ceremonies ſeront faites le matin en la Nef de nôtre Egliſe Metropolitaine, ainſi qu'il eſt porté en mots exprés dans l'ancien Livre & Ceremonial manuſcrit, qui eſt gardé en la Sacriſtie de nôtredite Egliſe; & que cette action finie, dés le matin dans la petite Salle de nôtre Manoir Archiepiſcopal, ſoit commencée la vocation, premierement des Chapitres, Abbez, & Prieurs, puis des Curez du Doyenné de la Chrêtienté, remettant à l'apreſdinée la vocation des Curez des Doyennez ruraux, les uns aprés les autres, comme il a été obſervé de tout temps immemorial, & qu'il eſt en uſage dans toute l'Egliſe univerſelle: ce que nous entendons être à l'avenir inviolablement gardé. Et pour empêcher les deſordres qui ſe ſont gliſſez aux deux ou trois derniers Synodes tenus par nos Vicaires generaux, Nous défendons expreſſément à tous Curez de nôtredit Dioceſe, de s'entremettre de comparoître, ny ſe mêler aux Doyennez les uns des autres, ains Nous ordonnons que chacun ſe contienne avec toute ſorte de modeſtie & reſpect à la vocation qui ſe fera de ſon Doyenné, & ce ſur peine de Suſpenſe, qui ſera deſlors encouruë par chacun

Curé contrevenant à nôtre presente Ordonnance : Enjoignant à nôtre Promoteur general d'y tenir éxactement la main, requerir & proceder selon la rigueur des saints Decrets contre ceux qui feront du trouble, & voudront rompre la paix & l'unité de l'Eglise. Donné à Pontoise le cinquiéme jour du mois d'Octobre, l'an de grace mil six cens trente. Signé, FR. Archevêque de Roüen. Et sur le reply est écrit, par le commandement de Monseigneur l'Illustrissime, ESPRIT. *avec un paraphe, & séellé sur double queuë de cire rouge.*



MANDATA
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
in Christo Patris & Domini D. FRANCISCI Archiepiscopi Rotomagensis, Normaniæ Primatis.

Promulgata Rotomagi in Synodo Autumnali, anno M. DC. XXXI.



1. IN primis volens Illustrissimus & Reverendissimus Dominus ratum deinceps haberi ordinem celebrandæ Synodi, excerptum ex antiquo Ecclesiæ Rituali aliquoties jam anteà promulgatum cum nupera sua Declaratione desuper confecta, iterùm in hac Synodo coram se legi ac publicari decrevit, quorum tenor sequitur.

Nota. Si festum omnium Sanctorum evenerit in die Sabbathi, vel in die Dominica, aut die Lunæ, celebretur Synodus hyemalis die Jovis immediatè sequenti. Si alio die evenerit, celebretur die Martis subsequenti, & ita celebretur. Primò major Missa sit de sancto Spiritu, nisi fuerit festum sancti Leonardi, & tunc sit de sancto Leonardo. Et finitâ horâ sextâ veniat Archiepiscopus, si præsens fuerit, cum Diacono & Subdiacono revestitis, & Cruce, & candelabris, transeuntibus per Chorum usque ad magnum ostium Chori : & juxta truncum Fabricæ sit Cathedra Episcopalis parata, super quam sedeat Archiepiscopus, si præsens fuerit. Et à dextris & sinistris sint Abbates præsentes in Cappis, & ante pulpitum sint super unam sedem omnes Domini Canonici Ecclesiæ, qui voluerint interesse. Et Dignitates sint in Cappis sericis, & alij Canonici in Cappis suis nigris. Et Curati civitatis Rotomagensis sint in albis cum Stola & Manipulo sedentes retro Canonicos. Et omnes alij Curati sint in superpelliceis cum Stola, & omnes ibi sic assistentes. Eat Diaconus ad Archiepiscopum, si præsens fuerit, & dicat : *Iube Domine*, &c. Et Archiepiscopus respondeat : *Dominus sit in*

corde, &c. Et post hoc legatur à Diacono ante gradus pulpiti Evangelium : *Sint lumbi vestri præcincti.* Quo finito osculetur textus Evangelij à Domino Archiepiscopo ; & incipiatur à Domino Cantore : *Veni Creator Spiritus.* ℣. *Qui paraclitus.* Et dicatur Hymnus totus. Quo finito defector Ecclesiæ afferat Gradualem , & Dominus Cantor tradat eum duobus Abbatibus, qui cantent Litaniam. *Kyrie eleïson. Christe eleïson. Christe audi nos. Sancta Maria, ora pro nobis*, & omnes assistentes respondeant. Quâ finitâ Archiepiscopus faciat Sermonem , vel alius ab ipso commissus. Quo finito Officialis vel Vicarius Domini Archiepiscopi ascendat cathedram , & ibi dicat Curatis Mandata Domini Archiepiscopi, & tradat eis scedulas sibi traditas à Domino Succentore. Deinde incipiat Cantor : *Libera me Domine de morte æterna.* ℣. *Dies illa.* ℣. *Quid ergo.* ℣. *Requiem æternam*, & in fine dicatur ab Archiepiscopo, si præsens fuerit, Oratio : & si fuerit absens , dicatur à Cantore Oratio. *Fidelium Deus omnium. Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.* Et ita celebretur Synodus Æstivalis die Martis post Ascensionem Domini, excepto quòd Domini Canonici non obtinentes Dignitates sint in superpelliceis, & nullæ scedulæ tradentur à Domino Succentore.

2. Præcipitur Archidiaconis , ut Ecclesias Parochiales suorum Archidiaconatuum personaliter visitent, & Visitationis suæ Diaria seu Processus verbales infra mensem ad Illustrissimum Dominum, aut venerabiles ejus Vicarios generales referant. Quòd si neglexerint, aut alia de causa per præfatum Dominum Archiepiscopum dijudicanda fuerint impediti, aliquis idoneus repertus, & ab ipso approbatus, juxta Provincialis statuta Concilij ad Visitationem hujusmodi deputetur. Prædictarum verò Ecclesiarum Rectoribus mandatur, ut memoratos Archidiaconos, vel eorum vice autoritate præfati Illustrissimi commissos, ut moris est, recipiant, Procurationem ratione Visitationis debitam impendant, & illis Cathedratica jura, seu Pensiones assuetas sine diminutione persolvant.

3. Præcipitur Archidiaconis & Decanis, ut in singulis Ecclesijs Parochialibus Officium divinum juxta usum Ecclesiæ Metropolitanæ, præfati Illustrissimi Domini autoritate recognitum, & approbatum, non autem ritu Romano, ut in quibusdam Ecclesijs fieri accepimus, infra Natalem Domini proximum recitari

curent : alioquin intelligant se suo officio minimè satisfacturos.

4. Quia ex fide digno Visitatorum relatu, præfato Illustrissimo constitit, plerosque Rectores in Ecclesijs suis Parochialibus absque legitima & canonica excusatione minimè residere, injungitur Promotori generali, ut adversus hujusmodi Rectores absque præfati Illustrissimi licentia in scriptis habita, (de qua infra sex hebdomadas constare facient dispensati) non residentes, vijs quibusvis juridicis procedatur : ac Beneficiorum, in quibus non residetur, proventus Hospitali B. Mariæ Magdalenæ Rotomagensis attribuantur.

5. Provideat verò idem Promotor generalis, ut Rectores in singulis Parochijs domos Presbyterales habeant, ubi commodè degant, ne ullam à residentia excusationem prætexere possint.

6. Atria & Cœmeteria Ecclesiarum Parochialium, potissimùm civitatis Rotomagensis, quæ pervia & neglecta obsordescunt, instante Promotore generali, Fabricarum sumptibus, quantò citiùs fieri poterit, claudantur & mundentur.

7. Ut deinceps Ordinum candidati ad Examen cantûs peritiores accedant, præcipitur singulis Decanis, ut intra terminos sui Decanatûs unam seu duas ijsdem candidatis scholas assignent : in quibus ab aliquo perito Sacerdote in cantu plano & Officijs Ecclesiasticis ritè obeundis, instituantur : alioqui sciant se ab examine rejiciendos.

Signatum, FRANCISCUS ARCHIEP. ROTOM.

De mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini mei Domini Archiepiscopi Rotomagensis.

LE PREVOST.

Lecta & publicata in Synodo Autumnali anni Domini millesimi sexcentesimi trigesimi primi, die sextâ Novembris, coram præfato Illustrissimo Domino, per me illius Vicarium in spiritualibus & temporalibus generalem.

Signatum, HALLIER.
Et inferiùs, LE PREVOST.



MANDATA
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI in Christo Patris & Domini D. FRANCISCI Archiepiscopi Rotomagensis, Normaniæ Primatis.

Promulgata Rotomagi in Synodo Æstivali, anno 1632.

AD nostram pervenit audientiam, multos à plerisque circa administrationem Sacramenti Matrimonij, Benedictionem Nuptiarum, & Bannorum proclamationes abusus committi, quorum consequentia maximos affert in familijs tumultus, & in conscientijs scrupulos. Multi siquidem unâ & eadem die duos Bannos seu Proclamationes unius & ejusdem futuri Matrimonij faciunt, unam scilicet in parva seu Matutinali Missa, aliam in Parochiali, vel in Vesperis: quod à sanctis Canonibus & Ordinationibus Regijs districtè prohibitum est. Alij unâ etiam & eadem die easdem partes ad sponsalia per verba de futuro, & ad Nuptiarum solemnitatem per verba de præsenti admittunt. Alij absque expresso Curatorum Parochialium consensu, eorum, qui non sunt de sua Parochia, Nuptijs temerè benedicunt, putantes sibi satis esse, si testimoniales de Bannorum publicatione à Curatis facta literas habeant. Quibus ausibus, ne in posterum committantur, remedium aliquod efficax adhibere volentes.

1. DISTRICTE præcipimus ne quis in posterum duas unius & ejusdem futuri Matrimonij Proclamationes unâ & eadem die faciat: fiant verò tres Proclamationes per tres dies Dominicos aut festos solemnes continuos, inter Missarum Parochialium solemnia. Qui secus fecerit, per tres menses integros correctioni subjaceat, carceri mancipetur, in eóque jejunet tribus diebus per singulas hebdomadas.

2. Ne in posterum Sponsalia per verba de futuro, & Matrimonia per verba de præsenti eadem die fiant.

3. Nemo eorum Nuptias benedicere præsumat, qui non sunt de sua Parochia, aut in ea per majorem anni partem non fuerint commorati; absque expressa & in scriptis tradita Curatorum aut saltem Curati unius partium licentia. Testimoniales autem literas, quæ de Proclamatione Bannorum facta dantur partibus, nullam alienis Curatis potestatem facere alienos Parochianos Matrimonio conjungendi decernimus, nisi expressa in eisdem de dicta potestate seu licentia fiat mentio. Qui contra hanc Ordi-

nationem fecerit, per ſex menſes integros ab Officio & à divinis ſuſpendatur, nec fas ſit Officiali noſtro aliter judicandi.

4. Quandoquidem præcipuus finis Matrimonij eſt liberorum procreatio, eorumdémque in ſervitio & timore Dei educatio, nemo ad Sacramenti Matrimonij ſolemnitatem admittatur, qui rudimenta Fidei neſciat. At cùm eadem ſit ratio Patrinorum & Matrinarum qui infantes de ſacro Fonte ſuſcipiunt, nemo Patrinum aut Matrinum ad ſuſcipiendos de ſacro Fonte infantes recipiat, cui non conſtet de eorum ſufficienti in rudimentis Fidei ſcientia. Quomodo enim filios, ſeu naturales, ſeu ſpirituales, ſervitium & timorem Dei edocebit, qui rudimenta doctrinæ Chriſtianæ penitus ignorabit?

5. Facultates hactenus à nobis vel Vicarijs noſtris generalibus conceſſas abſolvendi à caſibus Nobis reſervatis, ſive eæ Religioſis, ſive alijs Sacerdotibus etiam Curatis quacumque de cauſa, etiam occaſione Confraternitatum ſacri Roſarij in noſtra Diœceſi inſtitutarum, conceſſæ fuerint, revocamus, his dumtaxat exceptis quas Reverendiſſimus D. & Frater noſter Epiſcopus Tarſenſis, Coadjutor Abrincenſis, Vicarius noſter generalis in luſtratione generali noſtræ Diœceſis hoc anno impertivit, quas tamen ad annum dumtaxat valituras decernimus. Nec fas ſit in poſterum Vicarijs noſtris generalibus hujuſmodi facultates cuipiam concedere niſi ad annum.

6. Præcipimus omnibus & ſingulis Curatis, ut in Calendis & Synodis, cùm vocati fuerint nominatim, quiſque coram Nobis aut Vicarijs noſtris generalibus, aut etiam Decanis, in dictis Synodis aut Calendis præſidentibus, pacificè proponat quæ ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtaurationem coram Deo proponenda judicaverit. Quæ quidem propoſitiones à Secretario dictarum Calendarum & Synodorum fideliter redigentur in ſcriptis, & ad Nos referentur: ut ſuper ijs in proximè futura Synodo, maturo adhibito conſilio, à nobis provideatur.

Provideramus hactenus ut nulli noſtri Diœceſani ad Tonſuram, Minores, & ſacros Ordines admitterentur, quorum ſufficientia & capacitas tam in doctrina, quàm etiam in cantu Eccleſiaſtico, per rigoroſum examen non eſſet cognita, ut ſic plebes nobis commiſſæ à dignis Sacerdotibus & paſtoribus inſtituerentur. Tamen malitiâ & avaritiâ quorumdam Curatorum factum eſt, ut multi Sacerdotes incapaces, aliarum Diœceſeon, in

hanc nostram Diœcesim advocati fuerint, & ab ijsdem in partem suæ sollicitudinis admissi in magnum animæ suæ & suarum ovium præjudicium. Cui malo opportunum remedium adferre cupientes, districtè inhibemus, ne quis deinceps ullum ex aliena Diœcesi Presbyterum ad sacrum celebrandum, aut Ecclesiastica Sacramenta administranda, in Ecclesijs suis admittat, qui priùs nostram aut Vicariorum nostrorum Approbationem scriptis editam (quam Decani dare non poterunt) non exibuerit. Qui secus fecerit, tam admissus, quàm qui eum admiserit, à suo Sacerdotali Officio per mensem integrum suspendatur: nec fas sit Officiali nostro aliter judicandi.

7. Famosus & Anonymus liber ad nos delatus est sub Titulo: *Lettre envoyée à Monseigneur l'Illustrissime & Reverendissime Archevêque de Roüen, touchant la Reformation des Synodes, ensemble un Avis à Messieurs les Curez des Champs, par un Curé des Champs.* A Nazareth potest aliquid boni esse, lege & vide, *A l'Enseigne du bon Pasteur.* Quem quidem libellum de verbo ad verbum legimus, & à viris doctissimis, & in disciplina Ecclesiastica versatissimis legi fecimus, & maturo adhibito consilio declaravimus & declaramus famosum, injuriosum, calumnijs plenum, ad schisma & divisionem Ecclesiæ tendentem, Autorem ejusdem libelli, ejusque fautores, schismaticos, pacis Ecclesiæ inimicos, suspensos & excommunicatos. Inde est quòd Promotori nostro generali mandavimus & mandamus, quatenus de dictis autore & fautoribus diligenter inquirat, contra eosdem absque mora incessanter etiam viâ extraordinariâ procedi faciat juxta rigorem Canonum, implorato, si opus est, brachio sæculari.

Ne verò Parochi, aut alij nobis subditi aliquam à Mandatorum nostrorum Synodalium observatione excusationem prætexere possint, Decanis nostris præcipimus, ut transsumpta tam præsentium, quàm eorum quæ superioribus annis promulgari jussimus, in parvis suis Calendis de verbo ad verbum legenda & observanda proponant.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini mei D. Archiepiscopi Rotomagensis. LE PREVOST.

Lecta & publicata in Synodo Æstivali anni 1632, die 25 Maij, in præsentia Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Rotomagensis, Normaniæ Primatis, Reve-

rendissimi Domini Tarsensis Episcopi, Coadjutoris Abrincensis, Vicarij generalis, multorum R. R. Dominorum Abbatum, Canonicorum, Priorum, Curatorum, & multitudinis plebis copiosæ, per nos Officialem Rotom. & Vicarium generalem prædicti Illustrissimi Domini, & mandata registrari in Secretario Archiepiscopatûs.

Signatum, PETRUS ACARIE. LE PREVOST.



STATUTA ET DECRETA

Quæ Illustriss. & Reverendissimus DD. Archiepiscopus Rotomagensis Normaniæ Primas vult observari in suo Vicariatu Pontesiano: quibus subscripsit dominus FERET *Vicarius ipsius.*

1. VICARIUS magnus Pontesianus, nullum conferet Beneficium, quod agnoscit patronum Dominum Archiepiscopum, absque speciali super hoc mandato, seu morte seu resignatione vacet beneficium.

2. Nulla poterit Vicarius Pontesianus facere aut imperare statuta generalia, aut antiquos innovare mores absque singulari præscripto sibi ordine. Poterit tamen cogere ad observationem decretorum Synodalium quæ nondum observata.

3. Ante Synodum seu hyemalem seu æstivalem, sui præsentiam exhibere tenebitur coram Domino Archiepiscopo, à quo accipiet quæ in Synodo decernenda aut publicanda. Quòd si in ipsa Synodo proponatur quidpiam, quod bono publico conducat, certiorem faciet Dominum Archiepiscopum, à quo docebitur quid facto opus erit.

4. Non aggredietur generalem Vicariatûs visitationem absque singulari mandato. Occurrentibus tamen querimonijs, aut scandalis, quæcumque loca beneficiariorum poterit visitare.

5. Quoties Archidiaconus Vulcasini Francici per se visitare Archidiaconatum non poterit, non permittet Vicarius ullum visitare loco Archidiaconi, qui non habeat specialem ex scripto Archiepiscopalem licentiam, cujus instrumentum apud Acta curiæ Ecclesiasticæ Pontesianæ publicabitur & transcribetur: quam potestatem inconsulto Domino Archiepiscopo Vicarius per se concedere non præsumet.

6. Nullum admittet in dicto Vicariatu ad ullam extraordinariam exercendum potestatem, quàm priùs Vicario non exhibuerit, à Domino Archiepiscopo concessam.

In

In omnibus & singulis instrumentis concessionum & provisionum, à præfato vicario concedendarum, solemni hac utetur verborum formulâ. *Autoritate præfati Illustrissimi & Reverendissimi. N. quâ fungimur in hac parte*, (sub finem cujusvis instrumenti.) *Datum. N.* &c. *sub signo nostro, & sigillo officij nostri, & secretarij Vicariatûs nostri subscriptione.*

Nullam poterit indicere Processionem generalem, aut ullum publicare jubileum, absque speciali mandato domini Archiepiscopi: nisi fortè Processiones illæ regio edicto sint imperatæ, aut fiant ob causam tam urgentem, quæ domino Archiepiscopo non patiatur legitimum tempus scribendi, & ab eodem responsum accipiendi.

Omnes indulgentiæ, mandata, decreta, literæ patentes, à Domino Archiepiscopo emanantes, ijs locis ad quæ dirigentur, publicabuntur nulla appositâ, Vicarij Pontesiani petitæ licentiæ, approbatione.


Omnes provisiones Pontesianus Vicarius super præsentatione, permutatione, aut brevibus Apostolicis, in præsentia trium examinatorum Synodalium & secretarij, concedet.

Convocabitur consilium singulis quibusque ferijs sextis hebdomadæ, in Vicariatu horâ statutâ: ad quod convenire jus erit, illis quos Dominus Archiepiscopus admiserit.

Non prætermittet Vicarius dies quindecim, quibus non faciat certiorem Dominum Archiepiscopum, de statu & rebus gestis in Vicariatu Pontesiano.

Factum apud Gallionem xiv. Maij anno M. DC. XXXIII. & infrà subscriptum.

HYPPOLITUS FERET.



MANDATA
RELIGIOSISSIMI AC REVERENDISSIMI in Christo Patris & Domini Domini FRANCISCI Archiepiscopi Rotomagensis, Normaniæ Primatis.

In Synodo Autumnali Diœcesis Rotomagensis, die 4 Novembris anni Domini 1638, lecta & publicata per venerabilem ac discretum virum magistrum Carolum Philippe *Ecclesiæ Rotomagensis Canonicum, Synodo, per mandatum speciale præfati Domini Archiepiscopi, præsidentem.*

1. ARCHIPRESBYTERI seu Decani rurales contractus dotationis seu fundationis Capellarum de novo erectarum aut approbatarum exhibere tenebuntur, uti exemplaria in Secretariatu Archiepiscopali & originalia Archivis deponantur, quò faciliùs usus & cultus integer ac illibatus posteritati demandetur, idque in præsentia nostri Pœnitentiarij, ac Promotoris generalis.

2. Mandata missionum pro temporibus Adventûs & Quadragesimæ disjunctim dabuntur, & Archipresbyteri seu Decani rurales nec non Rectores Ecclesiarum Parochialium prohibentur admittere quemlibet Concionatorem temporibus Quadragesimæ, nisi ad hunc effectum secum ferat Mandatum particulare, quo constet rationem villicationis suæ pro Adventu sedi Archiepiscopali reddidisse.

3. Mandatis missionum Quadragesimæ, ordo & dispositio Visitationis generalis (quæ vulgò Major Calenda vocatur) inseretur: utì Clerus & populus muneri suo sedulò incumbant, & vigilantiæ respondeant pastorali.

4. Archipresbyteri seu Decani rurales providebunt ne quis Concionator Quadragesimæ temporibus recipiatur, qui non promiserit sese ibidem per octavas sacrosancti Sacramenti, & Assumptionis beatissimæ Mariæ Virginis, in honorem voti regij & consecrationis Regni, verbum Dei prædicaturum. Laïci autem votis nostris per opera caritatis obsecundare non recusent.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et infrà, De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. mei, ESPRIT, *cum sigillo.*

STATUTA SYNODALIA
Synodi Æstivalis, Diœcesis Rotomagensis, Anni 1639.

1. QUOTQUOT Ecclesiastici ordinis, ante præsentem annum degunt extra Diœcesim, Canonicis tribus bannis ad Diœcesim, revocentur: ne proprijs Clericis spoliata Ecclesia, ad alienos cogatur confugere, aut Clericorum penuriâ laboret.

2. Sacer Clericorum novitiatus, post assumptum in Visitatione

generali Religionis habitum, ad Regulam dirigatur Sacerdotalem: & apud non Claustrales æquè, ac apud Claustrales, Ecclesiastica colatur disciplina; sitque inter Clericos & Laïcos non solùm in superioribus gradibus, sed etiam in inferioribus notabilis differentia, quæ apud eos qui communiter Regulares vocantur, hodiéque vim habet.

3. Post restitutum sacro Clericatûs novitiatu Ecclesiasticum ordinem, nihil antiquius, quàm ut qui curam impendunt Mysterijs, reverentiam Mysterijs concilient. Quapropter ad vitandos frequentiores abusus nefas sit, his potissimùm hæreticis temporibus, extra festum Corporis Christi, in quo spreta Dei omnipotentia juxta verbum Apostolicum triumphat nos in Christo, tremenda Mysteria non tàm prodire quàm prodere, ni Archiepiscopali licentiâ in scriptis tradendâ, consolationi Fidelium aliter inter occurrentes casus provisum sit.

4. Quoniam verò impietas grassatur etiam inter viventes post mortem, raraque est ætate nostrâ Cœmeteriorum cura, ubi corpora Fidelium titulo Religionis ac in spem Resurrectionis tumulata, societatem gloriæ, specie depositi expectant, vanáque apparet antecedentium statutorum Synodalium cautio ac pietas; post tres menses polluta declarantur quotquot juxta Ecclesiasticas Regulas non fuerint clausa ac decenter servata: contráque eos ad quos cura pertinet, viâ juris tamquam contra sepulchrorum effossores, ac contemptores Canonum, diligentiâ Promotoris, Generalis, procedetur.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et infrà, De mandato Domini D. mei Illustrissimi, MORANGE.

STATUTA ARCHIEPISCOPALIA.

Publicata in Synodo Autumnali Diœcesis Rotomagensis, anno 1640.

1. UT multorum error amputetur ex occasione Concilij Provincialis novissimi, existimantium licere sibi ab altera Synodorum Diœcesanarum abesse, ejusdem Concilij verba subjici placuit in hunc modum.

Synodi Diœcesanæ quotannis suis temporibus celebrentur. Liceat tamen Episcopis ad levamen sui Cleri, si ita expedire videbitur, de duabus in eodem anno unam remittere, & alteram diligentiùs convocare.

Ex quibus verbis conſtat diſpenſationem ab altera Synodorum ad ſolum pertinere Epiſcopum. Quapropter omnibus ad Synodum de jure obſtrictis præcipitur, ut utrique ſub pœnis juris interſint, niſi cum eis canonicè fuerit diſpenſatum.

2. Ut omnes ad Synodum convenientes, à tempore pulſationis campanæ horam Synodi prænuntiantis, omni impedimento poſthabito, Cathedralem Eccleſiam ſub pœna ſuſpenſionis maturè intrare feſtinent, veſtimentis decentibus induti ex Manualis regula.

3. Ut omnes Parochiales Eccleſiæ in Curſu Eccleſiaſtico peragendo hujus ſanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ ritum teneant, nec alijs quàm Diœceſanis libris utantur.

4. Ut ordo ad divina Officia celebranda in Manuali præſcriptus ab omnibus ſervetur.

5. Ut Decanorum ſtudio per opportuniora Civitatis & Diœceſis loca ſcholæ cantûs & cærimoniarum Eccleſiaſticarum inſtituantur, ad quas Clerici certis diebus è vicinia diſcendi cauſâ conveniant.

6. Ut in Paraſceve Corpus Domini non in vaſe oſtenſorio, nec in pixide, ſed in Calice juxta Diœceſanum ritum ſervetur.

7. Ut juxta antiquum ſtatutum Eccleſiæ Rotomagenſis Parochi Parochianos confirmandos ad Eccleſiam Parochialem horâ competenti convocent, & ordine in Proceſſionibus conſueto ad Eccleſiam Chriſmatis adminiſtrationi præparatam deducant, moneántque non diſcedere, niſi Benedictione acceptâ.

8. Ut nullus Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ miniſtret, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, niſi autoritate Archiepiſcopali ad audiendas Confeſſiones approbatus fuerit.

9. Altero conjugatorum quantocumque tempore abſente, alter, niſi de morte abſentis factâ fide ab Ordinario ſibi permittatur, contrahere cum alio Matrimonium non præſumat: nec Parochus niſi habitâ ab eo ejuſmodi Matrimonij celebrandi licentiâ, ullum ad contrahendum admittat: qui autem ſecus facere præſumpſerit, ſuſpenſionem ipſo facto incurrat.

10 Ne Matrimonia celebrentur noctu, etiam mœtu præſtigiorum, nec ante Solis exortum, ſed interdiu, publicè, nec aliter quàm utroque ſponſo jejuno, Diſcat verò cum utroque conjuge Populus Dei hoſtem non timere quem vicit.

11 Ut Ordinandi legitimæ ætatis teſtimonium in forma Tranſ-

ſumpti è Baptiſmali libro depromptum Examinatoribus exhibeant.

12 Ut formulæ Inſtrumentorum in Manuali diſpoſitæ ſub pœna nullitatis ab omnibus Parochis obſerventur.

13 Ad Audientiam Archiepiſcopalem perlatum eſt, quoſdam Clericos falsâ honeſtatis ſpecie deceptos, eò licentiæ deveniſſe, ut neglecto Officio, vel certè præcipitanter expleto, dies noctéſque venationibus, ludis, aut comeſſationibus impendere non erubeſcant. Tales admonentur, ut conditionis ſuæ ac divinorum judiciorum memores, otium & voluptates vitæ fugiant, Bibliothecam & Scholam Archiepiſcopalem, quæ Religioſiſſimi Domini ſtudio præcipuè in uſum Cleri inſtauratæ ſunt, qui in Civitate degunt, aſſiduè frequentent, alijſque ſerijs operibus ſe exerceant. Ne verò intolerabilis ille abuſus latiùs ſerpat, aut diutiùs vigeat, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Præpoſitis præcipitur, ut autoritate ſibi conceſsâ hujuſmodi ſervos inutiles ad puræ mentis obſequium Deo debitè perſolvendum, & temporis, cujus jactura inæſtimabilis cenſeri debet, rationem reddendam canonicè compellant. Quòd ſi Præpoſitis non obtemperaverint, privatione fructuum, interdictione Chori, alijſque Juris ſeverioribus pœnis, quas culpa exegerit, ſciant ſe eſſe coercendos.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiſcopus Rotomagenſis.

Et infrà, de Mandato Domini D. mei Illuſtriſſimi, MORANGE.

ECCLESIASTICÆ REGULÆ SYNODALES.

Promulgatæ Rotomagi in Synodo Æſtivali, anno 1641.

1. UT Hierarchia ſplendeat, ac Metropolitanæ Eccleſiæ, velut Matri & Magiſtræ ceteræ tamquam filiæ ad nutum pareant, laudabilis conſuetudo antiqua ſervetur, quâ Miſſarum ſolemnia apud Parochiales Eccleſias in Civitate Dominicis diebus non inchoabantur antequam Cathedralis Eccleſia reliquis publici conventûs ſignum dediſſet: ne ſacer militiæ noſtræ ordo turbetur, aut, quod cavendum Apoſtolus monet, incertam vocem dante Evangelicâ tubâ, Chriſti Milites in caſtris ipſis, & ſub vexillis, non tam parentur ad bellum, quàm incautè atque ordinatè tumultuentur.

2. Quoniam verò primum Statutum Synodale Synodi Æſtivalis Diœceſanæ anni 1639. cujus tenor ſequitur : *Quotquot Eccleſiaſtici Ordinis ante præſentem annum degunt extra Diœceſim, Canonicis tribus bannis ad Diœceſim revocentur: ne proprijs Clericis ſpoliata Eccleſia, ad alienos cogatur confugere, aut Clericorum penuriâ laboret*, nondum eſt executioni mandatum; ad Promotoris Generalis diligentiam pertinebit intra proximam Synodum Hyemalem viâ Juris, ſparſos Eccleſiæ milites ad ſigna revocare, ac Cenſuris ab Officiali Rotomagenſi juridicè obtinendis, per alienas Provincias ac Diœceſes quærere ac compellere intrare.

3. Conſtitutâ militiâ Chriſtianâ atque diſciplinâ, æquum eſt de ſtatu militarium Stationum ſive Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſtatuere. Quapropter prædictus quoque Promotor Generalis diligenter inquiret, quinam Beneficiarij ſeu Titulares litem Poſſeſſione adeptâ contenti clauſerint, nec ultrà ad Petitorium, ut vocant, proceſſerint, ſæculare judicium Eccleſiaſtico tribunali præferentes, nec de re Eccleſiæ, ſed de propria utilitate ſolliciti.

4. Clerus ſæpiſſimè admonitus fuit, ut conditionis ſuæ memor, congruenti Tonſurâ, Coronâ & habitu ceteris Fidelibus honeſtatis ſpecimen exhiberet. Multi tamen ex junioribus præſertim Clericis & Monachis hac in parte non ſolùm à veræ diſciplinæ obſervantia vano ſæculi pudore abſtrahuntur, verumetiam à Præpoſitis & ſenioribus quantumvis correpti, ſacris Canonibus pertinaciter contradicunt. Ut tam enormis abuſus ab Eccleſia Dei prorſus eliminetur, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Præpoſitis ſub divini judicij interminatione mandatur, ut cujuſvis gradus Clericos & Monachos ſollicitudini ſuæ commiſſos ad prædictorum Canonum obſervationem, adhibitis, ſi opus fuerit, competentibus Juris remedijs, diſtrictè compellant. Magiſtris etiam ſcholarum præcipitur, ut eoſdem Clericos & Monachos cum Tonſura, Corona, & decenti tantùm habitu ad lectiones ſuas admittant, ceteros verò diſcipulos moneant, ut eis Dominicæ Coronæ ſimilitudinem ſic geſtantibus, tamquam Dei famulis, debitum honorem impertiantur Ne verò circa innovandæ hujuſmodi Tonſuræ & Coronæ tempus ignorantia prætexatur, Placuit dies ſolemnes ad hoc in Manuali præſcriptos, in Directorijs Officij Diœceſani deinceps adnotari. Prohibetur inſuper, ne quis in Clericorum aut Monachorum Congregationibus tamquam hebdomadarius ſacris Altaribus miniſtrare præſumat, qui juxta

vetus hujus ſanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ præſcriptum tonſus non fuerit.

5. Dominici gregis cura per falſos diſtracta Paſtores ac doctores, varijs luporum incurſibus ac morſibus patet, niſi ſuppoſititijs Libris ac Libellis nullo modo aut temerè approbatis, maturiùs occurratur. Quocirca nefas ſit in hac Diœceſi Libros ſine Archiepiſcopali autoritate ac cenſorio Majoris Pœnitentiarij Examine imprimi aut divendi. Qui ſecus faxit, aut conſilium vel opem tulerit, perpetuæ Excommunicationi Sedi Archiepiſcopali reſervatæ ſubjaceat, donec publicè pœnituerit, ac de tentata Eccleſiæ corruptela Canonicè Eccleſiæ ſatisfecerit.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiſcopus Rotomagenſis.

Et infrà, De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini D. mei Archiepiſcopi, MORANGE.

ECCLESIASTICÆ REGULÆ SYNODALES,

Promulgatæ Rotomagi in Synodo Autumnali, anni 1644.

1. UT lapſorum neceſſitatibus miſericorditer ſubveniatur, eiſque, opportunior emergendi præbeatur occaſio; placuit per diverſa Diœceſeos loca minores Pœnitentiarios antiquo more conſtitui, qui divinæ Gratiæ thronum adeuntibus Abſolutionem à quibuſvis Cenſuris & Caſibus Religioſiſſimo Domino Archiepiſcopo reſervatis impertiantur, exceptis criminibus Hæreſeos, Schiſmatis, Duelli, Homicidij voluntarij, & oppreſſionis parvulorum ex notabili negligentia, quorum Abſolutio ad majorem dumtaxat Pœnitentiarium pertinebit, necnon Cenſuris ab eodem Religioſiſſimo Domino, vel alio Judice Eccleſiaſtico prolatis.

2. Ut feſtivitas Depoſitionis beati Patris noſtri Romani, quæ negligentiùs in quibuſdam Eccleſijs colitur, ubique per Diœceſim ſolemni Officio, ſicut alia Feſta Triplicia primæ Claſſis, devotiſſimè celebretur.

Ut unuſquique Parochus pauperum ſuorum nomina deſcripta habeat, eorúmque ſaluti frequenti prædicatione & viſitatione tantò ſtudioſiùs invigilet, quantò pretioſiora Chriſti membra ſunt, & majoribus indigent auxilijs. Nullatenus autem permit-

tantur per ædes ſacras mendicandi cauſâ vagari, vel orantibus obſtrepere : ſed in qualibet Eccleſia opportunus eis locus ad portam aſſignetur, ubi modeſtè & ordinatè ſedentes, ac orationibus inſiſtentes, Chriſtianam eleemoſynam, quæ Deum eam erogantibus debitorem faciat, patienter colligant.

4. Ut Feriâ quintâ in Cœna Domini Mandatum Dominicum in ſingulis, ſi fieri poteſt, Eccleſijs; maximè verò in Congregationibus Clericorum & Monachorum, religiosè peragatur, pauperum pedes lavando, tergendo, deoſculando, eiſque miniſtrando, cum omni humilitate, ſicut in hac ſancta Metropolitana Eccleſia, omnium noſtræ Provinciæ Eccleſiarum Matre ac Magiſtra, laudabiliter obſervatur.

5. Ut Canonici Clauſtrales, qui ad animarum regimen aſſumuntur, Inſtituti ſui inſignia Officij prætextu non deſerant : nec tam ipſi, quàm Monachi, aſque Cœnobitica veſte in publicum prodeant.


6. Ut nullus Parochus, aut alius verbi divini Prædicator, abſque Archiepiſcopali licentia ſcripto habenda Indulgentias publicare præſumat: quòd ſi quis ſecus fecerit, graviſſimè ut in ſacrarum Legum contemptorem animadvertatur.

7. Ut Rectores Eccleſiarum Parochialium, in quibus Clericorum ad hæc ſufficiens eſt numerus, ſingulorum ſaltem menſium Kalendis, aut aliâ die proximâ Feſto, aliquo vel alijs Eccleſiaſticis functionibus non impeditâ, hora competenti, Collationem cum eis habeant, & de Regula Sacerdotali, alijſque ad miniſterium ſuum pertinentibus, unanimi ſtudio tractent. Ubi verò pauciores Clerici degunt, ex tribus aut quatuor vicinioribus Eccleſijs eligatur maximè opportuna, in quam ex unaquaque memoratis diebus convenientes, ſalutaribus ſe colloquijs invicem ſolari ac in Lege Domini inſtruere poſſint.

Signatum, FRANCISCUS ARCHIEP. ROTOM.

Et inferiùs, MORANGE.

MANDATA




MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Æstivali Rotomagensi, Anno M. DC. XLII.

1. PRÆCIPITUR omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, ut Parochiarum suarum pueros & puellas in Fidei rudimentis Gallico sermone diligenter instruant juxta tenorem Catechismi à Religiosissimo D. Archiepiscopo recogniti. Moneant autem patres familias, ne tam pio studio desint: sed liberos & servos doctrinâ Christianâ imbuendos sedulò ad Ecclesias mittant, hortentur, ducant, compellant.

2. Officium Ecclesiasticum in omnibus Ecclesijs Parochialibus, non alio quàm Diœcesano ritu deinceps peragatur. Singuli verò Clerici sacras cæremonias & ministeriorum suorum praxim assiduis lectionibus, collationibus, exercitijs diligenter ediscant.

3. Cœmeteria juxta Ecclesiasticas Regulas claudantur & decenter serventur.



MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Autumnali Rotomagensi, Anno M. DC. XLII.

1. UT celeberrima Sanctorum omnium Festivitas debitâ Fidelium exultatione integrè peragatur, publicæ preces pro Defunctis in Ecclesijs ante Vespertinum ejusdem Festivitatis Officium in posterum non inchoentur, quarumvis etiam fundationum prætextu, quas ad regulæ Ecclesiasticæ rationem reduci placet. Quòd si prædicta Festivitas in Sabbathum incidat, cùm eo anno Commemoratio omnium Defunctorum ob resurrectionis Dominicæ reverentiam, nostræque præfigurationem ac memoriam, ex generali sanctæ Ecclesiæ instituto, in Feriam secundam differenda sit, prædictæ preces in Sabbatho nullatenus in contrariam significationem, symbolique resurrectionis confusionem, anticipentur; sed unà cum prædictæ Commemorationis Officio pariter differantur. Festum verò Patroni vel Titularis loci in eadem Feria secunda tunc occurrens transferatur in Feriam tertiam proximè sequentem, ne publica lætitia cum luctu publico misceatur, & discrepantium

obſervationum concurſus devotionem diſtrahat vel obtundat.

2. Curent Eccleſiarum Rectores ut piæ voluntati Fidelium qui terrenas opes ad cæleſtia patrimonia tranſtulerunt, ab omnibus & ſingulis Clericis regimini ſuo commiſſis, etiam Capellanis Titularibus, juxta fundationum tenorem, ſervatâ in omnibus Diœceſanâ diſciplinâ, religiosè ſatisfiat: ac propterea fundationum ipſarum indicem in libris aut tabellis deſcriptum habeant, nec ſibi licitum exiſtiment, eas motu proprio, vel alio quovis modo, etiam prætextu graviorum onerum, aut defectus ſeu diminutionis redditaum, abſque Archiepiſcopalis Sedis autoritate abrogare, vel minuere.

MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Autumnali, Anno M. DC. XLIII.

1. UT vagi & acephali Sacerdotes, qui ceteris probro ſunt & oneri, ab hac Diœceſi faciliùs eliminentur: inhibetur omnibus Eccleſiarum præpoſitis & Sacriſtis, ne quemquam in poſterum ad Miſſam celebrandam admittant, qui priùs autoritate Religioſiſſimi Domini Archiepiſcopi approbatus, certæque Eccleſiæ, ſaltem ad aliquod tempus nondum elapſum adſcriptus non fuerit.

2. Cùm in diſtributione ſacrorum munerum non minor habenda ſit vitæ ratio quàm doctrinæ: admonentur qui Titulos Eccleſiaſticos obtinere, vel ad Confeſſiones audiendas approbari cupiunt; ne ſedi Archiepiſcopali examinis cauſa ſe deinceps ſiſtere audeant abſque literis teſtimonialibus, Diœceſani quidem Decanorum, extranei verò Ordinariorum, in quorum diſtrictu proximè converſati ſunt: alioquin ſciant ſe ab hujuſmodi examine rejiciendos.

MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Æſtivali Rotomagenſi, Anno M. DC. XLIV.

1. AD reprimendos vagorum & acephalorum Sacerdotum abuſus, qui ceteris oneri ſunt & ſcandalo, prohibetur omnibus & ſingulis Præpoſitis, Rectoribus, Sacriſtis, & Clericis Matricularijs quarumvis Eccleſiarum etiam

Collegiatarum & Conventualium, ne deinceps ad Miſſas celebrandas quempiam ex hac vel aliena Diœceſi, quovis etiam fundationum, exequiarum, aut votivarum peregrinationum, vel alio neceſſitatis aut pietatis prætextu, ullatenus admittere præſumant, quem ex legitimis teſtimonijs, aut peculiari notitia, certæ Eccleſiæ non conſtiterit eſſe adſcriptum. Quia verò abuſus hujuſmodi in civitate latiùs ſerpunt, ubi haud pauci ex hoc vagorum acephalorum numero, ingenti Cleri dedecore gregatim in omnium oculis ſtant totâ die otioſi, & mercenariorum more fortuitam lucri occaſionem præſtolantur: eiſdem Præpoſitis & Rectoribus præcipitur, ut præſentis Statuti tranſſumpta in Eccleſiarum ſuarum Sacriſtijs affigi curent. Præterea admonentur prædicti vagi & acephali Sacerdotes, ut militiæ ſuæ memores infra quindenam aliquem Stationis eligant locum, cui ſuffragantibus vitæ moribus & meritis, de Archiepiſcopali licentia, ac Rectorum conſenſu, & non aliàs, adſcribantur: alioquin ſciant ſe ad inſtantiam venerabilis Promotoris Generalis omnibus Juris remedijs, implorato etiam, ſi opus fuerit, ſæculari brachio, coercendos, & ab hac Diœceſi, ſi diutiùs in effrænatæ vitæ licentia perſtiterint, eliminandos.

2. Sacrorum miniſteriorum contemptus & prophanarum novitatum affectatio ita in dies invaleſcit, ut apud nonnullos in Vigilijs tridui ante Paſcha non modò laïci, ſed etiam, quod deterius eſt, ſæculares feminæ ad divinarum Scripturarum tribunal aſcendere, & Propheticos Jeremiæ threnos, quos ſancta mater Eccleſia Fidelibus ad refricandam tunc Dominicæ Paſſionis memoriam lamentabili cantu proponit, importuna in luctu muſica, modiſque ad laſciviam compoſitis audeant deturpare: Ut hujuſmodi licentia coerceatur, præcipitur Eccleſiarum Præpoſitis, ut juxta Canonicas ſanctiones ſinguli probabiles Lectores habeant, nec, ubi numerus ſuppetit Clericorum, ſacras Lectiones à laïcis decantari permittant. Si quis verò in prædicto triduo mulieres non tam Chriſtum quàm Adonidem plorantes in Chorum induxerit, à divinis ſuſpendatur.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiſcopus Rotomagenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini mei D. Archiepiſcopi Rotomagenſis.

MORANGE.



MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Autumnali Rotomagensi, Anno 1644.

1. O processit licentia temporum, ut nonnulli Sacerdotes, aliorumve Ordinum Clerici, non solùm ex opulentibus & juxta sæculum potentibus, qui in incerto divitiarum confidentiùs gloriantur, verùm etiam (quod intolerabilius est) ex eorum numero qui de Altari vivunt & solis Fidelium oblationibus sustentantur, omisso vel præcipitanter expleto Officio, totos ferè dies ludis & comessationibus in locis etiam Clero probibitis turpiter impendere, & peccatorum pretia in occasionem peccati prodigere non erubescant. Ut hujusmodi abusibus efficacia tandem adhibeantur remedia, præcipitur omnibus & singulis Parochis, præsertim urbanis, ut Clerum sibi subditum in disciplina contineant, & puerorum institutione, sollicitudine pauperum, alijsque pijs exercitijs ab otio & voluptatibus vitæ divertant: Omnibus verò & singulis cujusvis gradûs Clericis sub pœna suspensionis inhibetur, ne deinceps in hortis meritorijs, alijsve similibus locis, quæ cùm omnibus pretio pateant, publica censenda sunt, globos lusorios versare præsumant. Prætereà absque derogatione priorum Statutorum, sed ea, quantùm opus est, interpretando & ampliando, eisdem sub simili pœna prohibetur, ne tabernas seu popinas, etiam ubi aquæ distillatæ veneunt, potandi causa ullatenus adeant.

2. Prohibetur omnibus Parochis, ne Diœcesanos Presbyteros ex alienis Parochijs migrantes, ad sacras functiones absque Decani & Parochi testimonio recipiant.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

De mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini mei Domini Archiepiscopi Rotomagensis. MORANGE.



MANDATA SYNODALIA.

Publicata in Synodo Autumnali, anno 1645.

1. Um ad Dominicæ vineæ propagationem necessaria sit novarum plantarum irrigatio: nósque auxiliante Dei gratiâ post fundatam insignem Bibliothecam, Scho-

lam Archiepiſcopalem in Domo Eccleſiæ inſtauratam, varijſque diſciplinarum generibus inſtructam, eo potiſſimùm fine in publicos uſus aperiendam duxerimus, ut de maternis uberibus ſalubrior prodeat educatio filiorum: Omnes & ſingulos, quibus ſub regimine noſtro cura imminet animarum, quantâ poſſumus dilectione monemus & obteſtamur in Domino, ut ſollicitudini noſtræ pijs, ut par eſt, ſtudijs cooperantes, ſacræ Religionis Altaris candidatos, ſicut mos Canonicus olim fuit, præparent, ac certatim ad Palatium noſtrum dirigant divinis humaniſque literis imbuendos. Hac enim ratione Eccleſiæ neceſſitatibus, votiſque noſtris abundè ſatisfiet; ſimúlque comprobabitur veteris illius ſacri proverbialis dicti veritas, admonentis, ut qui interrogant, interrogent in Abela; necnon & Doctoris Gentium, Epiſcopalem Scholam apud Corinthios aperientis, Hierarchica Regula ſervabitur, quâ declarat, præ Pedagogis audiendos Epiſcopos Patres eſſe.

2. Præterea, ad noſtram perlatum eſt audientiam, adeò apud nonnullos æternæ ſalutis invaluiſſe contemptum, ut Chriſtianæ, immò naturalis pietatis immemores, liberorum Baptiſmum, ob patrinorum abſentiam, in multos dies differre, atque ita parvulos imminentibus utriuſque mortis periculis non vereantur exponere. Contra temerariam hujuſmodi parentum fiduciam clamat ad Deum de Terra vox ſanguinis, auditur in Rama maternus Rachelis ejulatus præreptorum ſibi pignorum damna inconſolabili dolore lamentantis, meritóque luctuoſa illa Prophetici oris inſurgit exprobatio: *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: Filia Populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* Ut igitur tam pernicioſo abuſui Eccleſiaſtica obſiſtat autoritas, præcipimus Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, ut ſummam Baptiſmatis neceſſitatem populo ſibi credito ſæpiùs & diligenter inculcent, eúmque à tam neceſſarij Sacramenti dilatione crebris monitionibus avertere ſtudeant, quarum contemptores excommunicationis alijſque Eccleſiaſticis pœnis decernimus ſeveriſſimè coercendos. Abſit enim, ut propter humani favoris appetentiam, divinæ gratiæ irrecuperabilis perdatur occaſio; & de blandimentis amicitiæ, detrimenta naſcantur animarum.

Thren. c. 4. v. 3.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiſcopus Rotomagenſis.

De mandato Illuſtriſſimi ac Religioſiſſimi Domini mei Domini Archiepiſcopi,
MORANGE.



MANDATA SYNODALIA

Promulgata in Synodo Autumnali, anno 1646.

1. AMPRIDEM quæ Dei ſunt cogitantes, & de vero domus ejus decore ſolliciti, arguendo, obſecrando, increpando, omnem adhibuimus operam, ut Clerus ſuæ conditionis memor, effrænem crinium reſecaret luxuriam, & Dominicæ coronæ ſimilitudinem in ſe ſtudioſiùs reformaret. Et his ſollicitudinis noſtræ monitis tam efficax obſecuta eſt attentio, ut quod Eccleſiaſtica autoritas damnavit in omnibus, in ſingulis emendaverit, paucis exceptis, quos Spiritui ſancto obturatis auribus reſiſtentes, non minùs in ludibrium plebis, quàm in conſervorum exercitium relinquit Deus, & in medio gentis electæ tamquam incircumciſorum reliquias patitur habitare. Verùm cùm eo in numero Clauſtrales aliquot reperiantur, tantam deſertorum hujuſmodi licentiam eo difficiliùs ferre poſſumus, quò ſtrictioribus pactis ad Dei caſtra acceſſerunt, ut ſeveriori militent diſciplinâ. Ut igitur tam enormis abuſus à Diœceſi noſtra penitus amputetur, diſtrictè prohibemus, ne Clerici ulli Regulares, aut Monachi, etiam extranei, quocumque ſtudiorum aut negotiorum prætextu extra Monaſteria degant, ad Eccleſiaſtica Sacramenta, vel miniſteria, ſeu Chriſtianas Scholas, abſque decentibus Tonſuris deinceps admittantur. Eiſdem quoque præcipimus, ut Tonſuras ipſas ſtatis diebus, juxta Diœceſanas aut Clauſtrales Conſtitutiones renovare ſtudeant, & capitijs, cucullis, alijſve proprijs Ordinum ſuorum veſtibus, ſine intermiſſione utantur, aut, ubi legitima ex cauſa longiùs à Monaſterijs abſunt, Scapularia ſaltem deferant congruentis latitudinis, nullâve novitatis affectatione notandâ, quibus à reliquo Clero facilè diſcerni poſſint. Quod etiam ad prædictorum Ordinum Preſbyteros, qui Parochialibus Eccleſijs inſerviunt, decernimus extendi oportere. Officiarijs verò noſtris mandamus, ut contra præſens Statutum delinquentes exactè obſervent, & rigoroſè coerceant, in promptu habentes omnem ulciſci inobedientiam, cùm prædictorum Clauſtralium impleta fuerit obedientia. Non obſtantibus quibuſcumque Privilegijs, quorum vigorem nullatenus ijs æquum eſt ſuffragari, qui ſuis in Eccleſiam donis pugnare non metuunt, & in propriæ dignitatis injuriam maternâ indulgentiâ

pertinaciter abutuntur.

2. Novus abusus publicæ pietatis aut solatij specie in urbanas aliquot Parochias sensim irrepsit, ut festi dies integri votivis ad longinqua loca Processionibus impendantur. Quò fit ut desertæ interim maneant Ecclesiæ, dierúmque vilescat celebritas, & Canonica Officia, quæ certis horis in templis Deo dicatis à sedentibus vel stantibus persolvi debent, cursim in itinere decantentur. Monendi sunt Fideles à Parochis, ordinarias Stationes, quæ in Natalitijs Sanctorum, vel aliàs ex laudabili consuetudine ad vicinas Ecclesias fieri solent, ita commodè juxta antiqua Diœceseos Statuta peragendas, ut propterea populus à Parochialibus non abstrahatur obsequijs: longiores verò supplicationes in opportuniora tempora referendas. In quibus, si quando judicatur, non alias Preces, aut cæremonias usurpare liceat, quàm quæ in Processionali Diœcesano præscribuntur. Si enim in militia sæculari alius est excubiarum, alius expeditionum ordo; quantò major in Dei castris observanda est sacrarum exercitationum distinctio? ne mysticæ varietatis confusio inæqualitatem pariat disciplinæ.

3. Cavendum est ne populus sibi blandiens ex Ecclesiæ indulgentia inducendarum novitatum occasionem arripiat, & necessitatis remedium frequentioribus exemplis in rituum transeat corruptelam. Proinde quamvis in novissima Sacerdotalis editione præscriptus sit modus defunctorum exequijs adhibendus, quas casibus interdum exigentibus Dominicâ die celebrari contingit; nemo tamen existimet hac nuperâ regulâ veteribus Statutis fuisse derogatum, quibus exequiarum hujusmodi celebratio Dominicâ die matutinis horis arctiùs inhibetur.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et infrà, de Mandato Illustrissimi ac Religiosissimi Domini Domini mei Archiepiscopi, MORANGE.

MANDATA SYNODALIA

Publicata in Synodo Autumnali, anni 1647.

1. D nostram pervenit audientiam, nonnullos forenses Parochos, dùm Dei gratiâ viget apud nos æquè ubique Canonica Disciplina, non tam residentes quàm

resides, ita suis adesse Ecclesijs, ut minimè præsint, immò plurimùm obesse videantur: sacris se Altaribus subtrahere, Christiano populo verbi denegare ministerium, Pœnitentium curam negligere, cursitare per domos, venationes, aliáque Sacerdotali statui indecora exercitia frequentare, &, quasi regnum Dei sit in cibo & potu, comessationibus & ebrietatibus diu noctúque indulgere. Ad coercendam tam effrænis vitæ licentiam; Decanis præcipitur, ut inutilium hujusmodi servorum actionibus invigilent, & semel atque iterùm admonitos, nisi resipuerint, Promotori Generali deferant, acrioribus stimulis ad salutis & rationis iter, ut casus exegerit, reducendos. Non enim in sola corporis præsentia stat Ecclesiastici summa regiminis, aut utiliter oculus pascuis infigitur, nisi manus ovibus impendatur.

2. Non minori dolore auditur, multas in hac Diœcesi Capellas sollicitâ majorum pietate fundatas, debitis fraudari obsequijs; aliquas etiam (quod pejus est) Titularium aut Patronorum incuriâ in solitudinem redigi, earúmque fundos & proventus à filijs iniquitatis, qui Christum patrimonio, ejúsque Sponsam Ecclesiam dote spoliare non timent, in prophanos usus spectante & silente Clero converti. Adversus hanc somnolentiam insurgit ruina maceriæ, clamant lapides, audiuntur sub Altaribus voces querentium, illudque Propheticum improperantium: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël.* Ne igitur taciturna virtus diutiùs peccatis serviat alienis, eisdem Decanis mandatur, ut singuli omnium Capellarum suorum Decanatuum titulos, qualitatem, statum, valorem, & onera, unà cum Titularium & Patronorum nominibus, in talibus accuratè describant, earúmque exempla intra proximam Synodum apud Acta Cancellariæ Archiepiscopalis perferant, aut transmittant: quibus diligenter inspectis, tantis Ecclesiæ damnis efficax tandem adhibeatur remedium: & si quæ forsan Capellæ tamdiu vacaverint, earum Collatio propter negligentiam Patronorum ad Sedem Archiepiscopalem devoluta sit, ipsarumque regimini canonicâ personarum idonearum institutione consulatur.

3. Ut Christianæ doctrinæ rudimenta in omnibus Parochialibus Ecclesijs juxta formam Catechismi Diœcesani Dominicis & Festivis diebus, horâ competenti, rudioribus planiùs explicentur,

tur, Presbyteri, Diaconi, & Lectores in tam necessario opere Præpositis suis sedulò collaborent. Ne verò salutarem hujus constitutionis usum laïcorum negligentia præpediat, in Baptismi & Nuptiarum celebratione servetur quartum Synodale Mandatum anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi, cujus publicationem in proximis Calendis Decanalibus propterea expedit iterari.


4. Solemnem Sacramentorum administrationem utilis exhortatio semper, si fieri possit, præcedat, aut sequatur : nec inepta novitatis affectatio apud urbanos vanosve politulos hac in parte generalem enervet disciplinam. Nullus enim tantæ pietatis est aut doctrinæ, cui vel cum Religionis simplicitate Sacerdotalis prodesse non possit instructio.

5. Nullus Sacerdos quarumvis Indulgentiarum prætextu, à Casibus Sedi Archiepiscopali reservatis, nisi de expressa Archiepiscopali licentia, quempiam præsumat absolvere.

6. Cùm amplissima hæc Diœcesis, fœcundus virtutum ager, varijs olim Sanctorum Reliquijs abundaverit, quarum partem haud exiguam benigna Dei providentia hæreticorum sacrilegijs in posterorum subtraxit solatium : æquum est & honorificum, pretiosas illas beatarum mentium exuvias, tamquam inæstimabiles thesauros, non solùm fideli servari custodiâ, sed etiam congruâ devotione publicari. Quapropter statuitur, ut omnes quarumvis Ecclesiarum Præpositi, intra eamdem proximam Synodum, Reliquiarum suarum indices unà cum Translationum, si quæ supersint, actis, syncerâ fide contextos exhibeant ad perpetuam memoriam in Archivi archiepiscopalis tabularia referendos. Eosdem etiam Præpositos religiosè monere convenit in Domino, ut probatas Sanctorum Tutelarium Historias, & cetera Basilicarum monimenta certatim evulgari curent. Sic enim fiet, ut Rotomagensis Provincia, quâ nulla in totâ Galliâ rerum Ecclesiasticarum varietate illustrior fuit, quid Fidei suæ satoribus & propagatoribus debeat, agnoscat & testetur. Quod ut omnes faciliùs & alacriùs præstent, Archiepiscoporum, qui huc usque in hujus sanctæ Ecclesiæ administratione præcesserunt, seriem Statutis Synodalibus in exemplum decernitur esse deinceps inserendam.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et infrà. De mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. mei Archiepiscopi, MORANGES.



STATUTA SYNODALIA
Rotomagensis Synodi Autumnalis, anni 1650. Die 8. mensis Novembris promulgata.

Donec Mandata antecedentia executioni mandarentur, aliquandiu supersedit à pluribus promulgandis Archiepiscopalis Legislatio, Pastoralisque vigilantia & autoritas: Nunc verò cùm res novæ nova Decreta requirant, tempus est sequentes Regulas suggerere.

REGULA PRIMA.

De nova ac novissima editione Manualis.



Tanti fuit perfectum condere sub Hierarchico nomine Parochialis, Manuale sive Sacerdotum in docendo & administrando Rituale, ut mirum non sit, si tot sæcula decurrerunt antequàm extaret illud Opus omnium Pastorum ac Temporum, tandémque in Autumnali Synodo serior ille frugifer & fructuosus Autumnus votis omnium appareret. Quapropter Ordini Sacerdotali cautum esto, ut præfatum Parochiale sive Manuale avidè excipiat, curiosè scrutetur, diligenter promulget, Clerúmque ac Populum in Lege Domini meditantem Evangelico illo nexu vinciat: nec in primâ Parte Doctrinali nunc primùm edita, utilitati publicæ exponendâ, secundæ Partis Practicæ editionem expectet, ne gratia novitatis deflorescat, tempúsque studij ac disseminandi verbi, quod Dominus agri de manu operariorum suorum exiget, tempore commodo brumali retardetur aut effluat. Qui legerit, intelliget; qui intellexerit, non negliget: Cetera Decani, seu Archipresbyteri & Propœnitentiarij, sub interminatione Divini Judicij à Parochis velut jam suum opus observari, legíque in Missis & Vesperis, sæpiúsque repeti publicè ac privatim curabunt, de fructúque Sedem Archiepiscopalem certiorem facient.

REGULA SECUNDA.

De Archidiaconorum cum ædificatione visitandi & docendi Manualis cura.

Cum Diaconorum Evangelizandi munus sit, ad Archidiaconos maximè spectat invigilare Gregi ut bono gramine pas-

catur, & Manualis Doctrinæ Parochi ac sibi-ipsis (quæ duo Apostolus præcipit) attendant. Diaconis ergò exemplo præeant, Pastoralésque Ecclesias cum ædificatione perlustrent atque circumeant, potentes opere & sermone : quorum alterum si vel in habitu vel in moribus desit, & ab ingressu Ecclesiæ abstinent, aut Eccl esiam visitandam seculariter seu ilitariter adeunt (uti ad Audientiam nostram à quibusdam tentari, jam aliquoties est Famâ perlatum) à Parochis non admittantur ; à Decanis, qui non Archidiaconorum asseclæ, sed fidei comites sunt, moneantur ; à Synodis amoveantur ; tandémque nisi resipiscant, servatâ formâ juris, à Sede Archiepiscopali ab officio suspendantur, indéque à gradu excidant. Si enim vel minimus in visitando aut in docendo defectus intolerandus est, multò magis peccandi affectus in eo qui scandala pro ædificatione substituit, vindictâ Publicâ est coercendus.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et infrà, De Mandato Illustrissimi & Religiosissimi Domini D. mei Archiepiscopi, MORANGE.

---

87. FRANCISCUS III. DE HARLAYO, Achillis & Eduardæ *de Vaudetar* filius, Parisijs natus, S. T. Licentiatus, olim Ecclesiæ Canonicus, Abbas Gemeticensis in Rotom. Diœcesi, Francisco II. Patruo superstiti laboribus ac morbis fesso accessit successor ab Innocentio X. datus, A. C. 1652. 2. Februarij die Deiparæ sacrâ Pontificatûs exordia indefessis studijs gessit, Diœcesim totam disseminato Dei verbo sæpiùs perlustravit, bono Populis exemplo ac divinis operibus præfuit, pacem cujus nutritor fuit per omnes ordines abundantiùs disseminavit Evangelicæ concordiæ filius, ac Plebis Christianæ parens. Dum autem ei feliciter Ecclesiæ Rotomagensis regimen moderanti multos annos Grex pius adprecatur, Ludovicus XIV post decessum Harduini *de Perefixe* Parisiensis Archiepiscopi ad nobiliorem Gallicani Imperij sedem evexit, quò tanti viri consilijs uteretur summo totius regni ac Ecclesiæ bono, ejusque merita dignis honoribus cumulavit.

STATUT SYNODAL,

Publié au Synode d'Esté de l'an 1652.




RANÇOIS par la permission divine Archevêque de Roüen, Primat de Normandie, Protecteur & Conservateur Apostolique de l'Université d'Angers. Pour donner au Peuple de Dieu qui nous est commis, des Fruits de nôtre premiere Visite Generale, & pour nous réjoüir avec nôtre Troupeau de

l'état merveilleux où nous avons trouvé ce grand Diocese, qui doit être le modele de tous ceux de la Province, Nous ne pouvons rien declarer ny de plus pressant ny de plus édifiant pour la satisfaction & pour la consolation des Peuples, que de nous voir en état de n'être point obligez à établir aucunes Ordonnances nouvelles dans ce premier Synode, & de laisser le mysterieux langage des Prêtres, pour nous servir en même temps de la parole populaire qui nous fasse entendre de tout le Monde; & tandis que nous nous assemblons en Corps d'Eglise, pour seconder le zele de nôtre Troupeau, & pour demander incessamment à Dieu par une Procession generale, la Conservation de la personne du Roy, l'entiere reünion de la Maison Royale, & l'entretenement de cette Province dans une tranquillité publique, faire connoître à un chacun qu'il n'est pas tant necessaire de composer de nouveaux Reglemens, que d'executer fidellement les anciennes Ordonnances, principalement en deux points, où le Peuple a pareil interêt de veiller aussi bien que Nous. Si mandons pour le premier, que tous les Chrestiens nous aydent à faire detester la hantise, & même la seule entrée des Ecclesiastiques dans les Tavernes, sur tout dans la ban-lieuë, que l'on a cy-devant rigoureusement interdite par Censure de suspense actuelle, dont nous renouvellons presentement la défense, sous les mêmes peines; Nous en reservant l'Absolution, comme elle a été par le passé judicieusement reservée à la personne de l'Archevêque. Et pour le second Point, Nous exhortons tous les Fidelles de travailler soigneusement avec Nous, à ce qu'aucun Prêtre n'exerce aucune fonction de Vicaire dans l'étenduë de nôtre Diocese, ny ne deserve aucun Benefice, soit dans le temps du Deport, soit dans quelqu'autre rencontre, sans une Commission speciale qu'il ait reçû de Nous; Le tout avec le zele exemplaire qu'il convient à des Peuples qui meritent par leur pieté d'être religieusement conduits, & qui se font paroître d'eux-mêmes si desireux de la Discipline. Ce qui obligera dorénavant nos Officiers à redoubler leurs soins dans l'étroite observance de nos Reglemens, & à ne plus présumer desormais de Nous faire recevoir, en cas de desobeïssance, aucune excuse sur ce sujet.

Signé, FRANCOIS Archevêque de Roüen.

Et plus bas, Par le Commandement de Monseigneur,

MORANGE.



MANDATUM

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI in Christo Patris ac Domini Domini FRANCISCI III. Archiepiscopi Rotomagensis, Normaniæ Primatis.



FRANCISCUS miseratione divinâ Archiepiscopus Rotomagensis, Normaniæ Primas, Universitatis Andegavensis Protector sive Apostolicus Conservator: Universis Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis salutem ac benedictionem. Quemadmodum ea est Ecclesiastici regiminis firma constánsque lex, ut cum à statutis Patrum deflectitur, non tantùm illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodò Fidei, & Catholicæ disciplinæ irrogetur injuria: ita nihil tam sanctum, támque venerabile est ac semper fuit, quàm penitùs non discedere ab itinere majorum, quorum Canonica Instituta veluti quædam fundamenta sunt ferendis Fidei jacta ponderibus. Unde sapienter admodùm Philippenses suos, nósque in ipsis Philippensibus monuit tanta cum animi dilectione Magister Gentium Paulus noster, ut quotquot pervenimus ut perfecti simus, idem omnes sapiamus, & in eadem permaneamus regulâ. Scilicet existimavit idem Apostolus ut si imitatores parentum facti, quos accepimus in Evangelio, observemus eos, qui in Disciplinâ tam feliciter ambulant, habeamúsque ante oculos formam nostram quam sequamur Apostolicam: Primò, nec eorum liceat exempla sequi, quos flens simul ac illacrymans inimicos appellat Crucis, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione. Secundò, nostra conversatio in cælis tota sit, ut qui perficiendo iniquitates, terrena desipuerimus. Tertiò, cum fiduciâ Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum expectemus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, quâ subjiciendo sibi omnia, de omnibus triumphos aget. Quapropter, Fratres dilectissimi, quas præ manibus habemus Illustrissimi ac Religiosissimi Patrui, Benefactoris, ac Decessoris nostri Ecclesiasticas, atque Hierarchicas Sanctiones, placuit in unum Corpus (breviusculum licet) adigere, vobísque spargere quantociùs colligendas. Nec mirum si ho-

minem Dei, si Virum Apostolicis sudoribus redundantem, uno verbo, si quem vos cum omni imperio monentem audivistis Archiepiscopum ac Primatem, nos talem Antecessorem conspicimus ac veneramur, sedulâ imitatione assequi enixè desideramus. Quis enim post domitam debellatámque per tot annos hæresim, post tot & tantos ubique exantlatos labores, opus istud inter virentes ipsius laureas, ceterósque gloriæ suæ apparatus apponere dubitet? ubi Disciplinam sine defectione perspicere, suavitatem boni sine amaritudine degustare, allocutionem spiritûs simul ac tædij experiri, mixtam denique tanti Præsulis zelo sapientiam, suæ veluti virtutis, ac Apostolicæ facundiæ fidelem interpretem demirari necesse sit. Si enim ut ex Atheniensi Christianóque Philosopho Athenagora didicimus, in certaminibus Agonothetæ qui præsunt, & munera victoribus proponunt, non citharædis neglectis, citharas eorum coronant; quomodo post impositam à Christo remuneratore citharædo nostro æternitatis in cœlis coronam, ipsam citharam (hoc est corpus istud Ecclesiasticorum Canonum) non coronabimus in terris, undè tantus in Rotomagensem Ecclesiam concentus, támque felix ac concors harmonia derivetur. Vos itaque qui Neustriacæ vitis, & Apostolici seminis traduces & propagines (ut Tertulliani verbis utar) qui Apostolicâ ac certissimâ missione, insitiones Evangelicæ, & veluti cœlestes quædam emissiones estis: accipite à Generatore vestro Disciplinam per sermones meos, perque istas regulas, & proderit vobis. Vites claviculis adminicula tamquam manibus apprehendunt, atque ita, se erigunt ut animantes; quasi homines, quorum symbola sunt, docturæ ipsæ religionem atque solertiam, quâ quidem sibi sursum versùs, suorum adjumenta quærant ac comparent, nitantúrque majoribus suis, majorúmque regulis & exemplis, ac demùm à quibus regendi sint, ab ijsdem se erigendos in cœlum sperent. Gaude itaque Provincia Rotomagensis & exulta!
Apoc. 10. *Librum accipe, & devora illum & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Non recedat volumen Legis*
Josué 1. *hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo; tunc diriges viam tuam & intelliges eam. Ecce præcipio tibi: Noli metuere & noli timere quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* Datum Rotomagi in Archiepiscopali nostro Palatio, anno

Dominicæ diſpenſationis ac Evangelicæ Diſciplinæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, Pontificatûs noſtri ſecundo, die verò vigeſimâ quintâ menſis Octobris.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiſcopus Rotomagenſis.

Et infrà, de Mandato Illuſtriſſimi ac Religioſiſſimi Domini Domini mei Archiepiſcopi, MORANGE.



STATUTUM SYNODALE

Promulgatum Rotomagi in Synodo Autumnali, anno 1665.



RANCISCUS miſeratione Divinâ Archiepiſcopus Rotomagenſis, Normaniæ Primas. Univerſis præſentes literas inſpecturis, Salutem. Cùm dicata Deo in privatis ædibus oratoria ad eum dumtaxat finem inſtituta ſint, ut devotioni proſpiciatur fidelium, longa à Parochijs diſtantia maximè verò tempore hyemis, arcet ab aſſidua Divinorum myſteriorum participatione; non ita ſancta mater Chriſtianorum Eccleſia filijs ſuis liberaliter indulſit, quin ſimul Parochiarum juri atque Eccleſiaſticæ communioni proſpiceret: inhibendo omnibus cujuſcumque ſtatûs Preſbyteris, ne contra ſtatutum Hierarchicæ diſciplinæ ordinem inter Miſſarum Parochialium ſolemnia Miſſæ celebrarentur, aut quovis emendicato prætextu pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrarentur, etiam enixè petentibus. Tamen ad aures noſtras non ſine animi dolore pervenit, errori tam noxio pravam in plurimis Diœceſis noſtræ locis ſuffragari conſuetudinem; cui ut efficaci remedio provideatur, Mandamus ſub pœna interdicti prædictorum oratoriorum, atque ſub pœna ſuſpenſionis omnibus Sacerdotibus ipſo facto incurrendæ, ne Miſſas ſacræ Synaxis temporibus, aut etiam Sacramenta ſupradicta abſque ſpeciali noſtro favore in literis expreſſo, audeant fidelibus miniſtrare. Quod ſi quis ſecus attentare præſumpſerit, Mandamus locorum Archipreſbyteris, ut contrà eum velut præſentis ſtatuti contemptorem viâ juris inquirant; ut juxta Canonum præſcripta, ſeveriori Cenſurâ ſi opus fuerit atque condignâ pœnâ coerceatur. Datum Gallioni in arce noſtra Archiepiſcopali, anno

Dominicæ dispensationis millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, die verò trigesimâ Octobris.

Signatum, FRANCISCUS Archiepiscopus Rotomagensis.

Et inferiùs, de Mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini D. mei, MORANGE.

Et sigillatum sigillo ejusdem Domini Archiepiscopi.

---

88. FRANCISCUS ROUXEL DE MEDAVY, ex antiqua Granceyorum Comitum Familia oriundus: è militia Castrensi in qua juveniles annos feliciter exercuerat, ad Ecclesiasticam transijt. Abbas primùm S. Andreæ in Gofferno Sagiensis & Cormelij Lexoviens. Diœceseon. Anno 1651 ad Sagiensem sedem à Ludovico XIV nominatus & ab Innocentio X confirmatus, mense Octobri in Ecclesia Patrum Societatis Jesu Pontificatus consecrationem suscepit anno 1652 Maij 21, cùm antea fidei sacramentum exhibuisset Regi apud castrum S. Germani in Laya 29 Aprilis 1652. Ecclesiam suam adijt, & in ea splendido excipitur apparatu Maij 27. Comitijs Cleri Gallicani pluries summâ sapientiæ laude interfuit. Ad Lingoniensé Episcopatum nominatus, tandem ad Metropolitanam Rotomag. Ecclesiam à Rege in locum Francisci *de Harlay de Chanvalon* suffectus anno 1671, per Procuratorem mense Decembri possessionem inijt ac 15. Januarij proximè sequentis personaliter accessit, & postridiè in Cathedrali Ecclesia solemni ritu receptus est. Suam Diœcesim quotannis cum ingenti fructu perlustravit, deviantes ab officio Clericos summo animi vigore Prælatus æqui amantissimus in ordinem redigens, largas egentibus eleemosynas liberalissimè impertiens, præsertim occultâ paupertate oppressis, longè plura in Ecclesiæ suæ bonum peracturus nisi hominem præstantis ingenij, ac profundioris sapientiæ & ad altiora quæque natum regalis majestas ad se evocaret, cui administrationis publicæ curas ac sollicitudines partiretur, dum eum ut sanctioribus, suis interesset consilijs ad se evocavit. Ampliori elogio evehendus nisi summa Prælati modestia, & sapientum autoritas, quæ laudandum hominem post mortem jubet, silentium indiceret,

Ceterùm nulla de novo Statuta condidit, satius ducens ea quæ sapienter à prædecessoribus suis facta fuerant executioni demandari, quàm eorum numerum incassum augere.



NOTÆ ET OBSERVATIONES
AD CONCILIA PROVINCIALIA METROPOLIS ROTOMAGENSIS.

Ad Concilium Provinciale ſub ſancto Anſberto, anno 693.

pag. 18:  IGRADUM Fontanellenſis Cœnobij Monachum, prodit ejuſdem præfatio ad vitam ſancti Anſberti, Hildeberto Abbati, ſucceſſori S. Anſberti dicata; ubi ijs eum verbis compellat, ut proprium Prælatum palam deſignet, in ipſo præfationis ſuæ limine apud Surium. Is variè à varijs appellatur: Alijs ANGRADUS ut [a] Surio & Molano. Alijs ANSGARDUS ut [b] Baronio, Alijs ANSGRADUS & AUSGRADUS. Eſt tamen AIGRADUS magis tritum nomen.

ibid. [S. PATRIS BENEDICTI REGULAM] cap. 64 ubi hæc habentur. *In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, ut hic conſtituatur quem ſibi omnis concors congregatio ſecundum timorem Dei, ſive etiam pars quamvis parva congregationis ſaniori conſilio elegerit:* quam ſibi regulam aſſumendam cenſuerunt tum ſummi Pontifices, tum etiam Concilia, in condendis Canonibus monaſtica inſtituta ſpectantibus.

ibid. [ABBATEM ELIGERENT] fuit antiqua tum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ conſuetudo, communi & conſtanti utriuſque calculo recepta, ut Monachi ſibi ſuum Abbatem eligerent. Id præſcribunt antiquorum Patrum regulæ, & Eccleſiaſticæ Civilesque Sanctiones. Vide libri primi Decretalium titulum ſextum, de electione & electi poteſtate. Item Concilium Lateranenſe ſub Gregorio magno, ubi etiam præcipitur ut *Abbas de ipſa congregatione eligatur, niſi fortè inter ſe idoneam perſonam nequeant invenire: quo caſu ſolerter* (verba ſunt Concilij) *ſibi curent de alijs Monaſterijs ſimiliter ordinari.* Idem habes capite: *Abbas*, capite: *Abbatem*, primo & ſecundo apud Gratianum cauſa 18 quæſt. 2.

Cui conſonat [c] capitularis Caroli & Ludovici Imperatorum & praxis antiqua, in Epiſtola Monachorum Laubienſium ad Rothardum Cameracenſem & Notkerum Leodienſem Epiſcopos, apud [d] Baldericum: *In cujus electione noveritis non deeſſe noſtram unanimitatem, ſecundum Regulæ noſtræ inſtitutionem, quæ præcipit vel omnino concordem in hoc fieri congregationem, vel ſaniori conſilio quamvis minimam partem.* Eadem lege vivunt Græci ex præcepto [e] Juſtiniani. *Iubemus* (inquit) *ſanctiſſimum Epiſcopum ſub quo Monaſterium conſtitutum eſt, eum qui ita electus eſt modis omnibus Abbatem ordinare.* Quod ipſum ante decreverat [f] codice lib. 1. Vide ejuſdem novellam 5 cap. 10 & conſtitutionem 2. tituli primi novellarum apud [g] Photium ubi hæc habet. *Epiſcopus Abbatem vel Archimandritam unuſquiſque Monaſterij, non omnino pro gradu promovent, ſed quem Monachi omnes vel qui bonæ ſint exiſtimationis elegerint* &c. Quod etiam probavit uſus Eccleſiæ veteris in libro [h] Pontificali Græcorum conſervatus, ubi hæc leguntur: *Debet reverentia tua, ſic ubi Monaſterij Patriarlis præſes (ceu fieri conſentaneum eſt) diem obierit, eum qui ab univerſis eligitur ad nos ablegare, non alium quem ipſi Monachi non poſtulant, ſed quem elegerint omnes.*

ibid, [SECUNDUM REGULAM S. PATRIS BENEDICTI FIDELITER PRO CHRISTO DESERVIRENT.] * Plura heic congeſſerat obſervationum autor ex antiquioribus & melioris notæ ſcriptoribus collecta, quibus S. Benedicti Regulam, ante Ludovici pij tempora receptam in omnibus fere Monaſterijs comprobaret, contra criticorum aliquot obtrectationes. At cum luculentiùs datâ operâ id præſtiterint noſtri Lucas Dacherius Notis ad Epiſtolam 22 Lanfranci, ac noviſſimè D. Joannes Mabillonius varijs locis 1, 2 & 3 ſæculi Benedictini ac R. P. D. Philippus Baſtideus Prior S. Cornelij compendienſis in ea diſſertatione quam contra R. P. Caroli Cointij opi-

[a] *Surius to. 1 9. Febr.*
[b] *Baron. Notis ad Martyrol. Rom.*
[c] *Capitular. lib. 1*
[d] *Balderic lib. 1. Chronic. Camerac. c. 115*
[e] *Novell 133 c. 54*
[f] *Cod. lib. 1 tit. 3*
[g] *Photius nomoc. tit. 11 de conſtruc. Monaſt.*
[h] *Pontificale græc. in edicto ad Exarchos.*

nionem conscripsit quæ in 2 parte sæculi tertij per modum appendicis posita est; actum agere credidissem, iteratò hìc ea recantare.

[SUB ANNO INCARNATIONIS DOMINICæ 682.] Certum quidem est olim in temporum serie constituenda variam à varijs nationibus habitam esse rationem. Communem tamen Romano Imperio fuisse eam quæ per annos Imperatorum & Consulum fastos deducitur. Nonnumquam tamen ab ea deflexit consuetudo Ecclesiæ Christianæ ac in primis Alexandrinæ, cùm universa Ægyptus detestata chronologiam illam quæ ab impio & immanissimo Christianorum hoste deducebatur, illud præstitit ut non à Diocletiano, ut moris erat, sed à Martyrum tempore qui sub Diocletiani persecutione passi sunt annorum numerum derivaret: qui hactenus apud eos usus viget, ut videre est in literis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem VIII. datis. Quam quidem religiosam pietatem æmulata Ecclesia Gallicana annos ab excessu S. Martini, cui potissimum addicta semper fuit, diu olim numerare consuevit, relicto veteri computandi ritu. Non negaverim tamen antiquos quosdam Galliæ nostræ scriptores, ea tempora describentes quibus Romani rerum adhuc in Gallia potiebantur, res gestas ad eorum Imperatorum & Consulum Epocham ordinatas per sua tempora distribuisse. Talis est Gregorius Turonensis libro 1 & initio libri 2 historiæ. Verumtamen excusso Romanæ dominationis jugo ab stabilita jam Francorum Monarchia, ipsemet Gregorius Turonensis & alij, Fredegarius, Fortunatus, Audoënus, Ursinus & quicumque conscribendis sanctorum sui temporis actis operam suam navarunt, Francorum dumtaxat Regum tempora & annos in signum qualecumque assertæ libertatis observarunt. pag. 19

At quod annos Christi spectat. Apud eruditos omnino compertum est, nullam primis quinque sæculis consuetudinem fuisse ab Incarnatione Christi aut Nativitate annos singulos numerandi, cujus instituti autor fuit Dionysius cognomento exiguus Abbas Romanus, qui 6 sæculo sub Justiniano Imperatore tum primum in Cyclo suo annos non per olympiades aut Consules aut Indictiones more majorum, sed à Christi Incarnatione numerare cœpit, teste [a] Beda venerabili.

[a] *Beda de temporum ratione c. 45*

Porro Francorum Regum ac præsertim stirpis merovingicæ temporibus discernendis non fuisse adhibitos annos Christi, testantur innumera propemodum vetera monumenta, quæ solis Regum annis observatis, reliquos temporum characteres fuisse neglectos ostendunt. Si qui verò à posteris intrusi reperiuntur gravi prorsus chronologiæ errore, & veritatis dispendio factum est, quod non modicam viris alioqui eruditis à vero aberrandi occasionem præbuisse compertum habemus. Unde colligas huic nostræ Synodo Rotomagensi non absque gravi mendo annum Christi insertum, cujus apponendi ratio apud Gallos tempore quo Aigradus scribebat nondum in usu haberetur, nec ante Pipini & Caroli magni tempora. Buchenio teste qui tractatu de chronologia Regum Francorum, sectione primâ observat ad supputationem à Christo nato non posse dari perfugium quòd ea in antiquis historijs ante annum 750 Christi aut circiter non usurpetur: quo tempore usus paulatim invaluit annos à Christo nato aut incarnato computandi. Et certè eâ ætate multi prodierunt scriptores, qui in chronicis à se conscribendis hanc computandi viam inierunt: Plures extant hujusmodi apud [b] Andream Quercetanum, quorum ætas ex eo maxime innotescit quòd cœptos annales suos ab Pipini Herstalli ævo & Caroli Martelli ejus filij (circa quorum tempora major autorum consensus accrevit) non ultra initium noni sæculi annos nempe alij 6 alij 8 aut 13 supra 800 perducant; quod usque adeo verum est, ut autores non pauci inter quos Aimoinus in Historia Francorum, & Monachus Sandionisianus in vita Dagoberti, licet supputationi à Christo nato jam introductæ longe subpares, ut syrtes & scopulos ex annorum Christi numero consurgentes declinarent, eos solùm adhibuerint temporum characteres quos ab antiquis & coævis scriptoribus animadverterunt admotos: Nec desunt inter recentiores qui ad annum 885 aut circiter protelent, & Carolo Crasso Imperatori ac Francorum Proregi tribuant de observandis in actibus publicis Christi annis decretum, quo primùm apud Gallos invectum hunc morem tradit [c] Aventinus.

[b] *Quercet. to. 2. Hist. Franc.*

[c] *Aventinus lib. 4 Annal Boiorum.*

Annum verò Dominicæ Incarnationis 682 perperam intrusum à posteriore quopiam librario vel ex eo maxime convincitur, quòd cum S. Ansberti anno 5 consignetur hæc Synodus, quo superstite adhuc ad 8 fermè annos S. Audoëno, privatus tum in Monasterio degebat, nec ante annum 689 Præsulatum inijt sublato è vivis S. Audoëno, ex cujus actis habemus, Clodovei II. Regis III, æræ Christianæ 646 juxta plerosque melioris notæ chronologos ad sedem Rotomagensem evectum, sedisse verò tribus annis supra quadraginta, mensibus tribus, diebus 10. Porro 9 Kalendas Septembris ad superos translatum, ac proinde gloriosum ejus obitum ad annum 689 prorogari, prout referendum censet Sigebertus in chronico, licet eum corrigendum putaverit perperam Cardinalis [a] Baronius eorum testimonio fretus, qui non satis perpensâ chronologiæ ratione obitum S. Audoëni ad annum 677 contulerunt, contra veterum historiæ Francicæ scriptorum fidem, penes quos indubitatum manet, Varadonem interfecto Ebroïno ad annum 688, qui est à nece S. Leodegarij 3 palatij præfecturam sortitum, vitam agente incolumem S. Audoëno, qui pacis ineundæ gratia ad Pipinum Austrasianorum principem jam nonagenarius legatione defungitur, ac tandem vitâ post præfati Varadonis in gradum pristinum restitutionem, unde à Gislemaro filio pulsus fuerat: qui quidem Varado brevi elapso tempore, S. Pontificis exequias prosecutus legitur in [b] Historia Childebrandi jussu conscripta, ac postea extremum diem obijsse.

[a] *Baron. Notis ad Martyrol. 9 Febr.*

[b] *hist. Child. jussu scripta cap. 99.*

Adde quòd ad stabiliendam prædicti Concilij epocham multum conferunt quæ in actis S. Genesij Lugdunensis Archiepiscopi legimus: eum scilicet anno Christi 684 Kalendis Novembris ultimum diem clausisse, quo vitâ functo, ex Abbate Fontanellensi ordinatus est Lugdunensis Antistes S. Lambertus, cujus mox præfecturam adeptus est S. Ansbertus, itidem Abbas Fontanellensis tertius.

Sed & [c] Aigradus meminit donationis cujusdam à Schivardo factæ S. Condedo, ad 6 idus Octobris, sub anno 3 Theodorici Regis, qui erat S. Lamberti tum Fontanellæ Abbatis annus 9, Christi verò 682 ut ex actis S. Wandregisilli manifestè colligitur quem anno 673 fatis concessisse indicant.

[c] *Aigrad' in act. S. Cond. ad 21 Octob.*

Alteram ipsemet in vita S. Condedi commemorat his verbis: *Præfatus nobilis Schivardus aliam dedit Largitionis autoritatem* &c. quæ celebrata est anno 7. Regis Theodorici, gubernante anno 2 Fontanellense Cœnobium S. Ansberto, quoniam vir Domini Lambertus præsulatum jam susceperat Ecclesiæ Lugdunensis. At is annus erat Christi 686, quod ne à nobis gratis confictum quis criminetur, unicum suffecerit ex [d] Balderico proferre testimonium. *Anno 7 regni Theodorici*, inquit, *8 idus Maij datum est privilegium Ioannis V. Papæ, quo res Attrebatensis Ecclesiæ confirmantur sancto Vindiciano Episcopo* &c. Unde perfecta anni 686 cum 7 Theodorici Regis comparatio manifestè deprehenditur ex eo quòd ad summum Ecclesiæ thronum assumptus est Joannes 5 Julij mensis 22, anni 685, cujus obitus 11 Augusti sequentis anni 686 annotatur, quo 8 idus Maij dictum privilegium emanavit. Ex quibus liquidò colligitur dictam Synodum anno Incarnationis 682 præpostere fuisse assignatam, utpote quo, adhuc viventibus Sanctis Præsulibus Audoëno Rotomagensi, Genesio Lugdunensi, & Lamberto Fontanellensi, sanctus Ansbertus Monasticen Fontanellæ profitebatur, ad annum usque 684, quo in sancti Lamberti locum cooptatus est. Quoto vero anno tribuenda sit, mox videbimus.

[d] *Balderic. l. 1. chron. Camerac. c. 25*

Pag. 7 [INDICTIONE 10.] de indictione ac de anno Christi par est ratio: quam à posteris obtrusam haud levis suadet conjectura. Tametsi enim nonnulla Galliæ Concilia sub primis Francorum Regibus habita, Indictionum aut etiam Consulum notas præferant, suspicione non vacant interpolationis; propter creberrima quibus scatent menda, ac varias cum ceteris temporum characteribus discrepantias, quibus tum emendandis tum conciliandis aut ordinandis, posteri non modicùm desudarunt. Ceterùm quòd ad alia veterum monumenta attinet, cum indictionum apud antiquiores rerum nostrarum scriptores nullum extet vestigium, earum usus posteris tribuendus censetur, ac potissimùm à Regibus Francorum in Romanos Imperatores assumptis originem ducere facile probant permulta Ludovici Pij & subsequentium Imperatorum ac Regum quæ passim occurrunt diplomata. Si qua verò

earum apud antiquos ſcriptores habetur mentio, ideo factum eſt quòd cùm recentiores animadverterent hiſtorias majorum ſuorum hiſce indictionum notis quaſi ſingulari ornamento carere, eas proprio labore ſupplere, & ſuo calculo aptare curarunt, gravi licet, ut plurimum chronologiæ errore.

a Vinc. Bell. ſpec. hiſt. l. 23. cap. 100.
b Sirm. to. 1. Conc. Gall.

[QUI EST ANNUS PRÆFATI GLORIOSI REGIS THEODORICI XIII.] Secus ſentiunt [a] Vincentius Bellovacenſis & [b] Jacobus Sirmondus ex codice MS. S. Michaëlis in periculo maris, anno 16 Theodorici Regis Synodum noſtram conſignantes, quantumlibet alij veteres nonnulli, necnon & acta S. Ansberti excuſa refragentur, annumque Theodorici XIII exprimant. Verum quia 16 annorum numerus regno ejus non convenit, immo hiſtoria juſſu Childebrandi ſcripta 14 dumtaxat tribuit, cui adſtipulantur Annales Metenſes, dum ultima ejus fata anno 693 aſſignant; poſtquam victus à Pipino, ſub eodem regnaſſet tribus annis: ideo nobis annus 13 magis probatur, quem retinendum cenſemus. pag. 19

[ET PRÆFATI VENERANDI PONTIFICIS ANNUS 5.] anno Chriſti 693 reſpondens, ineunte autumno inchoatus, in quo ſaltem convenit 13 Theodorici. Nec obſtat quòd hiſtoria juſſu Childebrandi ſcripta reſumpti regni exordium in æſtate conſtituat, ac proinde ſubſequenti æſtate recurrente expiret 13; duplex enim ſtatui poteſt Regni ejus epocha. Altera qua ſtatim à cæde Childerici fratris, dimiſſo cucullo Theodoricus Imperium inijt, anno ſcilicet 680, renitentibus licet Ebroïno ejuſque aſſeclis. Altera, quâ feriùs eodem reconciliato in regem ab optimatibus ſolemniter ſublimatus eſt. Hujus potiſſimùm rationem habuiſſe videtur Aigradus in definiendis Theodorici annis. Cum autem de tempore præcisè non conſtet, quo (accedente Regni procerum conſenſu) pacificam Regni poſſeſſionem adeptus eſt, ac communibus omnium votis exceptus, non eſt quòd multum in componendis Theodorici & Ansberti annis laboremus, maximè cùm potuerit perinde ab autumno ac ab æſtate regni ejus exordium deſumi. ibid.

[IN SYNODO GENERALI ROTOMAGO URBE HABITA] non longe abſimili ratione ei quæ alibi ſæpe œcumenicis non ſolùm Synodis nomen generalis competit, ſed etiam alijs quæ ex pluribus regni aut nationis provincijs collectæ ſunt, ut patet ex multis ſub Symmacho, ubi ſemper dicitur Symmachus Concilio Generali præſidens, cui ſolùm aderant Italiæ Epiſcopi: ſic in [d] Concilio Toletano 3°: *Præcipit hæc ſancta & univerſalis Synodus*, ex ſolis Hiſpaniæ Epiſcopis conſtans; necnon & Carthaginenſi 4, ac Milevitano 2. Multa etiam ſuppetunt apud Noſtrates hujus generis Univerſalium nomine appellata. Tullenſe in Gallia apud Saponarias ab Epiſcopis 12 Provinciarum ſub Carolo Calvo celebratum, tale & Duziacenſe 2 Engilheimenſe, ut plura alia taceam quæ generalium Conciliorum nomine cenſentur, hoc eſt, majorum Synodorum ſeu multarum Provinciarum. Ea verò generalium nomen obtinent ad differentiam Metropolitanarum, quæ unius dumtaxat Provinciæ, iſtæ autem plurium regni Provinciarum ſunt, quale fuit Rotomagenſe noſtrum, ſi uſum loquendi veterem ſpectes, utpote ex quinque Provincijs conflatum, nempe Rotomagenſi, Remenſi, Turonenſi, Senonenſi, & Burdigalenſi. ibid.

c Conc. Tolet. cap. 18
d To. 3. Conc Galliæ anno 859. Concil. Tribur. in Germania anno 895.

[ANSBERTUS EPISCOPUS] S. ANSBERTUS Epiſcopus ſubſcribit, ut & duo ſequentes licet Metropolitanâ dignitate fulgentes juxta morem illius temporis, qui etiam nunc in Romanis Pontificibus perſeverat, qui Epiſcopi Eccleſiæ Catholicæ ſubſcribunt. ibid.

[RADBERTUS EPISCOPUS] juxta Veterum morem ſequentibus pleriſque ſubſcriptionibus deſunt civitatum nomina quæ cuique Epiſcopo aſcribenda forent: unde non levis emergit difficultas in diſcernendis Prælatorum ſedibus propter variam ac multiplicem eorum nomenclaturam, quam diverſa exhibent monumenta. *Radbertus* Epiſcopus, alijs *Rutbertus*, *Ruotbertus* & *Robertus* Archiepiſcopus Turonenſis. *Hic S. Leodegarij corpus cùm anno 688 Pictavium deferretur cum choris pſallentium & lampadibus per mediam civitatem Turonenſem, uſque ad ſoli Pictavienſis terminos duxit* Ita ejus vita. ibid.

[REGULUS EPISCOPUS] ſeu potius *Reolus* Remenſis Archipræſul. Nivardi ſucceſſor, is Baſilicæ Elnonenſis Cœnobij Encænijs à S. Amando vocatus adfuit: cujus ibid.

jus etiam testamento sub die 15 Kalend. Maij anno Theodorici Regis 2 subscriptus reperitur, hoc est, anno 682 dies Novembris 25 sanctæ ejus memoriæ sacra celebratur.

pag. 19 [AIRARDUS] aliis *Haigrandus* Episcopus Carnutensis, cui Sebastianus Roüillardus [a] annos Episcopatûs quatuor duntaxat assignat, & ferme sub Clodoveo III. filio Theodorici, ex cujus sedis tempore superior nostra chronologia non parum accipit firmamenti.

[a] *part. 2. hist. Carn. cap. 1.*

ibid. [ANSOALDUS] Episcopus Pictaviensis qui translationem S. Leodegarij 688 procuravit: cujus etiam vitam ejusdem mandato Ursinus conscripsit. Ejus obitus tabulis Ecclesiasticis 2 Octobris adscriptus reperitur.

ibid. [AQUILINUS] Ebroïcensem Episcopatum annis 24 sanctissimè rexit [b] Baronio teste, licet illius vitæ scriptor apud [c] Surium ejus Pontificatum ad annos 42 protendere videatur; ejus festivitas Februarij 15 in Diœcesi Ebroïcensi celebratur.

[b] *Baron. to. 2 anno 682.*

[c] *Suri⁹ to. 1. Febr. 9.*

ibid. [CADOENUS] forte *Gadocanamus*, seu *Cadocanamus*, in Britannia Armorica Episcopus Maclovienſis, si quidpiam liceat conjecturæ tribuere in densissimis tenebris involuta.

[ARNONIUS] alijs *Arnolphus* seu *Arnulphus* Episcopus Catalaunensis, vel fortè *Armonius* Virdunensis Episcopus, Gerebetti successor electi anno 665. Sedit circa annum 700 aut certè extremis sæculi 7 annis.

ibid. [SALVIUS] hic toto cœlo differt à Salvio Ambianensi quem ætate longè superiorem extitisse multis conficitur: licet enim sedis ejus annos ad Theodorici I. Francorum Regis tempora nonnulli referant, ad alterius nihilominus Theodorici filij Childeberti Austrasianorum Regis ætatem pertinere suadent imprimis ipsa beati *Salvij* acta, quæ habent S. Autcharium Noviomensem Episcopum audito S. Honorati Ambianensis obitu à Theodorico Rege mandatum accepisse Ambianum adeundi, ut novi Antistitis electioni operam suam navaret: At verò S. Autcharius, quem S. Eligij Noviomensis acta, necnon S. *Salvij* vita ab Hugone Menardo conscripta Acarium expresſè appellant, Eligij decessor, [d] sedit Theodorici Burgundiæ Regis Clotarij II. & Dagoberti temporibus, ut acta ejus ad 27 Novembris docent & ex Jona liquet in vita S. Eustasij Abbatis Luxoviensis. Adde quod Theodoricus S. *Salvio* restituisse fertur cives omnes quos Mommolus quondam patricius captâ civitate Ambianensi captivos abduxerat. Porro vixisse Mommolum sub Guntramno certum est, cujus jussu interfectus est anno regni ejus 25. Christi 587: his etiam adstipulantur S. Firmini Martyris acta translationis, quæ sanctum Honoratum *Salvij* decessorem tempore Childeberti Regis virum clarissimum extitisse apertè pronuntiant, quæ quidem omnia *Salvio* qui Concilio Rotomagensi subscripsit, tribui prohibent omninò. Alteri potius reor convenire *Salvio* cujus meminit S. Audoënus in vita Eligij Noviomensis tacito Episcopatûs nomine, qui in Concilio Aurelianensi hæreticum hominem egregiè confutasse narratur, & ad hæc usque tempora superstes esse potuit.

[d] *cap. 4. apud Quercetan. Hist. Franc. tom. 1.*

ibid. [DESIDERIUS] hic Joanni Bolando videtur esse *Desiderius* Rhedonensis, cum Rainfredo Archidiacono suo Martyrio coronatus, in territorio Vesontinensi, in pago deinceps suo nomine appellato, qui quidem in serie Rhedonensium Antistitum apud Sammarthanos desideratur.

ibid. [FULCRANNUS] an fortè Laudunensis, alijs *Fulsandus*, *Wlfandus*, *Wlfridus* & *Winfridus*. Huic locum octavum assignant Sammarthani in recensendis Episcopis Laudunensibus, Attolæ successorem constituunt.

ibid. [JOANNES] hìc augurio est opus ut & alibi passim ubi de subscriptionibus Conciliorum agitur, vel hoc maximè sæculo, quo in plerisque Ecclesijs plurima Episcoporum nomina excidere, unde contigit ut *Ioannes* tum temporis nec in Catalogis Episcoporum, nec in subscriptionibus Conciliorum ullus inveniatur. Alicujus forsitan suffraganeorum quorum hìc subscriptiones desunt, suppleverit locum.

ibid. [WILLEBERTUS] an sanctus *Hildebertus*, seu *Hildevertus* Episcopus Meldensis S. Faronis successor, cui ad meliorem vitam translato post annos Pontificatûs 66. suffe-

-ctus est circa annum 686 vel 87. Ejus memoriam colit Ecclesia Meldensis 27 Maij; licet obitus 7 Kalend. Junij contigerit.

[GEREBALDUS] Bajocensis Episcopus, colitur 7 die Decembris. pag. 19

[TAURINUS] Hic videtur esse Nannetensis successor S. Pascharij, Lamberti Fontanellæ Abbatis æqualis, cujus meminit Aigradus in vita S. Ansberti. Sed tum alius erit Episcoporum Nannetensium ordo statuendus, quàm apud Sammarthanos legitur, penes quos Pascharium non excipit, sed præcedit Taurinus, & sequitur Salappius, qui nihilominus per Legatum suum Concilio Cabilonensi anno 650 subscripsisse memoratur, ac proinde Lambertum excesserit ætate, quem Acta S. Wandregisili Fontanellensem præfecturam adeptum referunt, anno circiter Clotharij III duodecimo, Christi 673 aut 74.

[ANNOBERTUS] seu *Aunobertus* Episcopus Sagiensis, colitur 16 Maij. ibid.

[CELSUS ABBA. AUDOMARUS ABBA, &c.] Hos Abbates ex urbe aut Diœcesi assumpserit S. Ansbertus, quorum nulla alia superest memoria propter barbarorum clades & documentorum Ecclesiæ excidium. ibid.

[a] Malebrancus & Baronius S. *Audomarum* ex Abbate Sithivensi Morinensem Episcopum, hìc Abbatem subscripsisse putant. Verùm præterquam quòd jam tum è vivis excesserat, ut Acta ejus 9 Septembris indicant; non potuit Abbas subscribere, jam ante annos triginta & amplius Episcopus creatus.

[ABBA] antiquiatis notam præfert hæc vox *Abba* ab Hebræis, Chaldæis & Syris deducta. Qui enim, Abbas, græcâ latináque inflexione dicitur, Hebræis est, *Ab*, Syris & Chaldæis, *Abba*, quâ terminatione apud veteres tum græcos tum latinos passim legitur, [b] Justinianum, Odilonem in vita S. Maïoli. Et ab omnibus Domnus & *Abba* honoratur. Abonem Floriacensem in carmine dædaleo ad Othonem Imperatorem quod refert [c] Aimoinus in vita ipsius, [d] Bernardum Morlacensem & alios. ibid.

[GENNARDUS] alijs *Genardus*, aut *Gemardus*, Sirmundo ex MS. S. Michaëlis in mari, *Gerardus* qui Abbatibus Flaviacensibus accensetur, numero 3, secundi enim nomen excidit. Ejus meminit chronicon Fontanellense in Benigno Abbate. Hujus Benigni inquit propinquus S. *Gennardus* Vicedominus Ecclesiæ Rotomagensis & Abbas Cœnobij Flaviacensis extitit, qui post recessum ipsius *Gennardi*, Flaviacensis factus est rector. Is S. Ansberto adeo charus fuit, ut eum juxta se in Fontanellensi Cœnobio sepeliri mandaverit. ibid.

[VICEDOMINUS GLORIOSUS] quod Græcis οἰκόνομος, hoc Latinis est Vicedominus; ubi enim occurrit apud veteres vocis hujus mentio, Vicedominum passim reddunt interpretes: inter quos Paulus Diaconus in vita S. Theophili pœnitentis, & Marbodus Rhedonensis Episcopus & insignis Poëta gallus undecimi sæculi. Sed & quem Theophanes Petrum Adriani Papæ legatum ad Synodum 7. generalem directum οἰκόνομον vocat: Anastasius Bibliothecarius in sua historia ex Theophane translata, Ecclesiæ Romanæ Vicedominum appellat, quibus accedit Flodoardus historiæ Remensis lib. 2. cap. 13. Eamdem porro utriusque nominis dignitatem esse, ex Gratiani [e] decreto docemur: ubi præfixo hoc titulo quod sit officium Vicedomini, allegatur S. Gregorij magni responsum [f] Clementinæ patriciæ datum; cum canone Calchedonensi [g]: in quorum altero Vicedomini, in altero œconomi promiscua est mentio, quippè cùm sit eadem utriusque nominis notio; cum eo tamen discrimine quòd ampliore apud latinos interdum autoritate polleret Vicedominus, quàm œconomus apud græcos, utpotè qui in se uno & œconomi munia & judiciariam Cartophilacis potestatem in multis Ecclesijs complecteretur. Id enim habebat cum eo commune quandoque quòd Judex omnium causarum temporalium quæ Episcopale forum *spectabant*, nomine Pontificis sententiam laturus sederet. ibid.

Itaque Vicedominus, Gallis nostris *Vidâme*, juxta nominis etymon dicitur, qui vices gerit Episcopi: cujus munus tum ex sacris Canonibus & [h] Conciliorum decretis, tum ex Ecclesiasticis scriptoribus licet investigare. Ad eum pertinet Episcopi in temporalibus partes agere, ac in omnibus tum publicis tum privatis negotijs Episcopalem jurisdictionem exercere, ut ex capitularibus Caroli Magni liquet. Ei incumbit possessiones Episcopatûs tueri ac defendere. Eam ob rem Carolus Cal-

[a] Maleb. l. 4 de morimis c. 20. Bar. to. 8. ad annum 682. n. 13.

[b] Iustin. novella 123.

[c] Aimoin' in vita Abonis cap. 13.

[d] Bern. Mor. de contempt. mund.

[e] Decr. dist. 90. c. 3. & 4

[f] lib. 1. epist. 11. ad Clementinam.

[g] Conc. Calched. act. 5. Can. 26.

[h] Concil. Tolet. 4. Can. 47.

pag. 19. vus res Episcopatûs Laudunensis, Romam proficiscente Episcopo apud [a] Adrianum Papam se purgaturo in Regia potestate suscipere renuens, Regium non esse pronuntiavit Reges esse Vicedominos Episcoporum, quia Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini, sed terræ domini computati sunt. Feudalem etiã jurisdictionem Episcopi nomine exercuisse satis probant [b] Capitularia suprà memorata, ubi servum Ecclesiæ super furto non præsumentem sine audientia Vicedomini, aut Archidiaconi detinere &c, sub interminatione gravis pœnæ judex publicus prohibetur. Item aliud alibi pravos edicit deponendos, talesque constitui jubet Vicedominos &c, qui sciant & velint justè causas discernere & judicare.

[a] *Inter epist. Hincmari à Sirm. editas.*
[b] *Capitul. lib. 5. Cap. 120. lib. 3. C. 11.*

His consonum est [c] Concilij Hispalensis sub S. Isidoro ejusdem civitatis Antistite Decretum, quatenus prohibet laïcos contra mores Ecclesiæ œconomos ordinari, indecorum judicans laïcum Vicarium esse Episcopi & sæculares in Ecclesia judicare. En Vicedomini potestas judiciaria.

[c] *Conc. Hisp. 2. Cap. 9.*

Ad quem spectat ex æquo domum Episcopi regere, Episcopali familiæ præesse, ac pro diversa Ecclesiarum consuetudine pauperum & hospitum curam suscipere, rem prædiariam ac redditus Ecclesiæ percipere & dispensare, ut ex S. Isidori Epistola ad Leudefredum Cordubensem Episcopum liquet. [d] *Cùm enim sacris Canonibus cautum sit ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet, eum par est talem sibi adsiscere adjutorem & administrum, cujus fidei concreditam velit domûs suæ dispensationem, ut moris olim fuisse scimus in Ecclesia Romana ex* [e] *Gregorio magno suprà laudato: Anatolium* (inquit) *constituimus Vicedominum, cujus arbitrio Episcopium commisimus disponendum.*

[d] *Conc. Cart. 4 Cap. 20. anno 436.*
[e] *Greg. lib. 1. Epist. 11.*

Quin etiam ampliori potestate præditum docet Vigilij Papæ factum: is enim Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem è Sicilia navigaturus, retransmisit Romam *Ampliatum* Presbyterum & Vicedominum suum, ad custodiendum Lateranas, & gubernandum clerum, ut in libro Romanorum Pontificum legitur.

Paris in Ecclesia Rotomagensi sub S. Ansberto autoritatis extitit *Gennardus*, gloriosi Vicedomini titulo insignis, eximiæ sanctitatis vir, cujus operam aliquatenus exhibent acta Sancti Audoëni, ubi de ejus translatione à sancto Ansberto solemni pompâ factæ, agitur. „Intererat autem in hoc sancto Conventu inter alios viros venerandos „etiam clarissimus *Genardus* Vicedominus, qui magna præparari fecit convivia, quia „plebs innumera ad tam venerandi Præsulis translationem convenerat.

Olim penes Imperatores Constantinopolitanos œconomi creandi potestas resedit: verùm ab Isacij Commeni tempore, à Patriarcha ordinatos fuisse [f] Zonaras est autor. Religiosiores in hoc extitere Occidentis Principes, totum hoc negotium Episcoporum dispositioni relinquentes: ad quos, ut eorum pertinuit institutio, ita & electio de proprio clero libera remansit, exclusis Laïcis, prout sanxerunt sacri Canones, ac imprimis Conciliorũ Hispalensis supra memorati & Calchedonensis can. *placuit. Placuit omnes Ecclesias habentes Episcopos etiam œconomos habere de proprio clero, qui gubernent res Ecclesiæ cum arbitrio sui Episcopi.* Insuper & Episcoporũ propinquos arcet ab hoc munere cap. indicatum apud Gratianum, & Concilium Mediolanense quintum de Episcopo & Episcopali jurisdictione agens. *Eum verò œconomum* (vel ut alio canone cavetur) *Vicedominum* (nota) *constituat Episcopus, non Laïcum neque sibi cognatione, amore, aut affinitate conjunctum, sed Ecclesiasticum hominem, qui & de clero suo, & verò si talem qui idoneus sit habere potest, Diaconatu initiatus sit.*

[f] *Zonaras in Isaac Com.*
Conc. Calch. Act. 15. C 26 dist. 89.
Concil. Mediol. 6. de Episcopo & Episcopali.

Ejus ut magni semper habita dignitas, ita inter ceteros Ecclesiæ gradus imprimis in Ecclesia Constantinopolitana præcipuum œconomis obtinuerit locum post Episcopum, eumque in primæ pentadis capite constituit [g] Codinus Curopalates, primum inter Exocatacœlos, qui fere Romanis Cardinalibus coæquantur: ij teste Codino, [h] sedent in sacra Synodo cum Patriarcha ante Episcopos, tametsi ordine inferiores ut pote Diaconi. De quibus in Concilio Florentino legitur: „Patriarcha „Petram stantem osculatus est in gena: nos verò cum Exocatacœlis sedentis dexteram atque genam &c.

[g] *de offic. Ecclesiæ Constantinop. c. 1.*
[h] *16 cap. 2. apud Gretserum notis adc. 2. cod:*

Solebant autem olim primi è clero & fermè Presbyteri assumi, unde in Orientali Imperio tempore Zenonis Joannem Tabennesiotam refert Theophanes [i] ex

[i] *apud Iacobum Goar,*

Notis ad c. t. Codini. Presbytero & œconomo, Ecclesiæ Alexandrinæ Patriarcham consecratum; & sub Heracleona eodem officio Presbyterijque dignitate Paulum pariter Patriarchatu Constantinopolitano donatum. De Romana Ecclesia par est ratio, ita enim supradictus Petrus ad Synodum 7 Romani Pontificis Legatus sub initium singularum actionum dicitur Petrus religiosissimus Archipresbyter, sed & Protasium Aquensem Episcopum ante Episcopatum Arelatensis Ecclesiæ Vicedominum fuisse testis est Gregorius magnus. Attamen superioribus temporibus tum Græcis tum Latinis Diaconos huic muneri præficere in more positum fuit: quos per pecuniam ordinari prohibent Canones, sed maximè can: *Si quis Episcopus*, ab Urbano II. relatus capite: *Salvator*, & caput: *Consulere de simonia*. pag. 19.

Greg. lib. 5. Epist. 55. Conc. Calch. cap. 2. 1. quæst. 3.

Verùm lapsu temporis Ecclesia opibus & latifundijs aucta, invalescente in dies laïcorum hominum studio rerum Ecclesiasticarum, ut quæstuosum & honorificum ambiere Vicedominatum Episcoporum. Ceterùm jam à multis sæculis in Galliam invectos ejusmodi sæculares Vicedominos, testis est Guillelmus Tyrius de Stephano agens, qui ex Carnutensi Vicedomino Abbas, ac demum Patriarcha Jerosolymitanus est creatus. Ambianensem, Bellovacensem, Laudunensem & plures alios taceo, quibus amplissima Ecclesiæ patrimonia eo titulo obvenerunt, cum nomine dignitatis ab Episcopatu aut Ecclesia assumpto, cujus clientelam gerebant. Eo nomine præcipuis Regni Proceribus annumerati, Marchiones & Comites præcessere dignitate. Eumdem quoque apud exteros morem obtinuisse autor est Paulus Langius, qui tempore Conradi salici Ludovicum nomine Barbatum, Giselæ Augustæ gratia per Bardonem Moguntinum Antistitem Vicedominum Turingiæ constitutum refert.

Guill. Tyr. lib. 13 cap. 25

in Chronico Citizensi.

Sed ut plerumque in deterius abeunt omnia, quos sibi adsciverat Ecclesia Episcopalis curæ adjutores, postmodum passa est rerum suarum prædones, qui ad exemplum Comitum & Vicecomitum sæcularium, sibi jure beneficij hæreditario arrogarunt dominia rerum Ecclesiasticarum, quas clientelæ & administrationis titulo fidei suæ commissas acceperant ab eadem Ecclesia; quos temporis processu varijs Conciliorum decretis in ordinem redigere frustra tentavit, ac in primis Moguntini & Remensis: quibus sopita potiùs quàm extincta est eorum ingluvies; cum enim Ecclesiasticæ disciplinæ impatientes sæpiùs in bona Ecclesiæ grassarentur, eamque novis censibus ac oneribus tamquam proprios villicos attererent, tandem Lucij 3. Decreto ad antiquos & moderatos redditus ab Episcopis institutos revocati sunt, donec tandem in plerisque Ecclesijs explosi, eorumque nomen & officium penitus abrogata fuerunt.

Mog. Syn. Can. 1. & Rem. C. 24.

Cap: Præterea de jure Patronatûs.

[ADERAT QUOQUE PRESBYTERORUM RESIDENTIUM &c.] antiquissimus in Ecclesia usus obtinuit, ut in publico consessu sive Concilio, stante reliquo clero Presbyteri à tergo Episcoporum sedeant, juxta ordinem ex Concilio Toletano quarto desumptum, & à multis jam retro sæculis observatum. Quamquam verò in Romana Synodo secunda sub Sylvestro Clerus Romanus à tergo residentium Episcoporum stetisse legatur, id modestiæ ac reverentiæ singulari tribuendum esse credendum est: cùm alioquin Romanæ Ecclesiæ consuetudinis olim fuisse testis sit sanctus Hieronymus, ut coram Episcopis Diaconi tantum stent, Presbyteri verò sedeant; ad Evagrium enim scribens hæc habet: *Ceterùm in Ecclesia Romana Presbyteri sedent, & stant Diaconi: licet paulatim crebrescentibus vitijs, inter Presbyteros, absente Episcopo sedere Diaconum viderim*; hæc ille. Sed in Ecclesia Africana statutum reperitur Concilij Carthaginensis sancito Canone, *ut Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.* Ac rursum Canone sequenti. *Vt Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam Presbyterorum se esse cognoscat.* Quod quidem institutum Ecclesiam constanter tenuisse imprimis constat ex Concilio Romano 2. sub Gregorio magno & ex nostris habita Synodo apud S. Medardum in causa Hincmari. *Residentibus (inquit) in Synodo venerabilibus Episcopis Hincmaro &c. & quàmplurimis alijs Sacerdotibus & Abbatibus, stantibus Diaconibus, adstante quoque reliquorum graduum Clero.* Ita Synodus. ibid.

S. Hyeron. ad Evagr. Epist. 85.

cap. 34 & 35

anno 595

Synod. ad S. Medardum.

NOTÆ

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Conventum Fiſcanenſem primum Epiſcoporum Normaniæ, anno 989, pro conſecratione Baſilicæ Fiſcanenſis.

pag. 60. EGO RICHARDUS CONSUL] Conſul, ab autoribus mediæ ætatis uſurpatur pro Comite, & juxta Eduardi Confeſſoris leges apud Spelman, quod modo vocatur Comitatus, olim apud Britones temporibus Romanorum in Regno Britanniæ vocabatur Conſulatus, & qui modo vocantur Vicecomites, tunc temporis Viceconſules appellabantur. Ille verò dicebatur Viceconſul, qui Conſule abſente illius vices ſupplebat in jure, & in foro: nomenclaturæ hujus frequentiſſima occurrunt exempla apud Ordericum Vitalem, Guillelmum Gemeticenſem, Dudonem S. Quintini, Guillelmum Pictavienſem &c. Verùm diſtinguere videtur charta Friderici Romanorum & Siciliæ Regis apud Baronium, data anno 1220. inter Conſulem & Comitem. *Fridericus &c. Poteſtatibus, Conſulibus, & Comitibus univerſorum Comitatuum & Caſtrorum Italiæ &c.* Niſi forte ſynonymiâ videatur uſus, explicationis gratia.

ibid. [ACCITIS TOTIUS NOSTRÆ DIŒCESIS EPISCOPIS] Pias Regum ac Principum fundationes Eccleſijs factas ab Epiſcopis Synodaliter adunatis ratas olim haberi voluerunt majores noſtri: quod multis exemplis teſtatum manet. Eo nomine Concilium Valentinum ſecundum ſub Guntramno, Clipiacenſe ſub Clodoveo II. coacta hoc ſunt ſanciendo S. Dionyſij privilegio: illud confirmandis à Synodo quæcumque Guntramnus, ejus uxor ac liberi in diverſas Eccleſias contulerant. Haud abſimili ratione Sangermanenſe ſub Chariberto à ſancto Germano, Corbeïenſe à Betfrido Ambianenſi ſub Clodoveo II. & alia plura à Synodis Epiſcoporum robur acceperunt.

pag. 61. [ASSENSU FIDELIUM NOSTRORUM] Fideles dicuntur omnes qui in Principis alicujus ditione ſunt, vulgo ſubjecti, de quibus Gregorius Turonenſis: *Nos, piiſſime Rex, ſubjecti atque fideles vobis gentique veſtræ eſſe deſideramus.* Hi ſunt qui apud ſcriptores dicuntur fideles Regis; magis autem propriè ad præſens inſtitutum, qui in alicujus clientela ſunt ratione prædij vel miniſterij: & hi quidem ſunt quos reſonat jus feudale, reſcripta forenſia ac crebræ veterum Hiſtoriarum paginæ: hic autem aulæ Principes Palatinos, Magiſtratus & Provinciæ Proceres accipe, qui ſubſignati reperiuntur.

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Conventum Fiſcanenſem alterum, in cauſa privilegij ejuſdem Cœnobij anno 1026.

pag. 63. ANNO AB INCARNATIONE DOMINI 1027.] Hic Amanuenſis incuriâ mendum irrepſit. Itaque pro anno 1027 reponendus eſt 1026.

[INDICTIONE 8] Indictionem fortè à menſe Septembri numeraverit more Majorum: ſicque ante Septembrem non 9, ſed 8 menſe Auguſto numeranda fuit.

ibid. [REGNANTE ROBERTO ANNO 36.] Ab ejus coronatione in Regem, ſuperſtite ac volente Hugone, Remis facta.

ibid. [MAUGISUS] Alijs *Maingiſus*, Epiſcopus Abrincenſis, Norgoti ſucceſſor.

RES

In Concilium ſub Malgerio Anno 1050 celebratum.

ET OMNE CONCILIUM] *Ad Epiſtolam Synodalem.* Hìc duorum dumtaxat Comprovincialium nomina exhibet Epiſtolæ Synodalis epigraphe. Frequentiores nihilominus conveniſſe produnt verba: *& omne Concilium*, ceterorum nomina ex integris exemplaribus reſtituenda expectamus. pag. 66

[BONIS PRINCIPIBUS] Guillelmo I. Richardo I. & II. quorum inſignis erga Eccleſiam pietas effulſit. ibid.

[PARTIM IMBECILLIBUS] Richardi III, & Guillelmi Nothi adhuc impuberis teneram ætatem commemorat, quæ turbarum ac bellorum civilium occaſiones plurimas miniſtrarunt, unde Eccleſiaſticæ diſciplinæ exitium. ibid.

[UT AIT B. GREGORIUS] Gregorius magnus Moralium libro 14. capite 13. ibid.

[A SANCTIS PATRIBUS TRADITA &c.] Quæ à Concilio hìc ſtatuuntur, non tam ejus Decreta ſunt quàm antecedentium Conciliorum ſanctiones, quas ad uſum priſtinum revocare contendit: quod quidem conſilij noſtri fuit demonſtrare. ibid.

[IN PRIMIS UT CATHOLICÆ &c.] *Ad Canonem 1.* Majorum ſuorum exemplo Concilij Patres à Catholica fide conſtituenda ſuas ſanctiones adoriuntur, ut & in Concilijs antiquioribus [a] Arelatenſi 6. Moguntino [b] & Remenſi [c], Pariſienſi [d] 6. & alijs uſitatum noſcitur. ibid.

[NE GRATIAM S. SPIRITUS] *Ad Canonem 2.* Vix aliud quidquam æque ſacrorum Canonum cenſura perſtringitur ac ſimoniæ labes, quam procul ab Eccleſiâ amandari ſummopere optaverunt ſancti Patres, quorum frequentiſſimas ſanctiones eo nomine editas recenſere in promptu eſſet; ſed quia notiſſimæ ſunt, prolixum earum texere catalogum ſuperſedemus, paucas quæ preſſiùs ad propoſitum noſtrum faciunt commemorare contenti, imprimis Canonem [e] Apoſtolicum à Concilio Nicæno 2. relatum proferre lubet. *Si quis (ait) Epiſcopus ſæcularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur & ſegregetur, & omnes qui illi communicant.* Eodem ſpectat Symmachi Papæ Epiſtola prima c. 5. quæ eos potiſſimùm damnat qui ad Epiſcopatus conſequendos potentium gratiam datâ pecuniâ ambitioſiùs aucupantur, ac ſuffragia demereri geſtiunt, & alij innumeri Canones [f] quos conſultò prætereo, eos conſule ſi lubet. pag. 67

[DE CIVITATE IN QUA ORDINATUS EST] *Ad Can. 3.* Hoc ipſum velut quoddam adulterij genus, maximè ſi ambitionis aut avaritiæ ſtudio fiat, antiqua prohibet Eccleſiæ diſciplina, Concilij [g] Sardicenſis, [h] Antiocheni, Carthaginenſis [i] 3 & [k] 4 poſt Canonem Apoſtolicum 27. Turonici [l] ſub Carolo magno, Aquiſgranenſis [m] ſub Ludovico, Ravennatenſis [n] ſub Joanne IX. His accedunt ſummorum Pontificum Epiſtolæ, Hilarij [o] ad Aſcanium, Pelagij II. Epiſtola, 2 Nicolai I. ad Hincmarum Remenſem. Præ ceteris autem S. Leonis [q] ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, eos qui propriæ civitatis mediocritate deſpectâ loci honoratioris adminiſtrationem ambierint, non ſolùm à cathedra depelli aliena, ſed etiam à propria deturbari jubentis, quem ſequitur Concilium Nannetenſe. ibid.

[APOSTOLICI PRÆDICATORES] In alienum ſenſum detorquere videntur Epiſtolam 2 Pelagij II, & alteram ſub nomine Anteri, tum temporis evulgatam, per quas licet graſſantis perſecutionis cauſa, relictâ propriâ, ad aliam demigrare. ibid.

[SIMILIS SENTENTIA DE MONACHORUM ORDINE &c.] *Ad Can. 4.* Ex hujus Canonis initio colliguntur poſtrema præcedentis quæ excidere verba, ſimoniam in conſequendo Epiſcopatu ſpectare: ex eo quòd pari ſententiæ ſubjiciat eos qui oblatâ pecuniâ ad Monachatum aſpirant, juxta [r] Concilium Nicænum 2. [s] Francofordienſe, & alia. ibid.

[PER PECUNIAM ORDINARE PRÆSUMAT] *Ad Can. 6.* Totæ ſunt Priſcorum Patrum in extirpando ſimoniacæ pravitatis vitio ſanctiones: adeo ut vix ullum reperias Concilium, cujus cenſuram effugiat. Ejus tanta fuit hac ipſâ ætate frequentia, ut publicè ac impunè res ſacræ haud ſecus ac prophanæ venales in Eccleſia proſtarent. Unus omnium inſtar prodeat morum ſui temporis teſtis [t] Petrus Damiani opuſculo de actis à ſe Mediolani: ubi ſe cum Anſelmo Lucenſi Epiſcopo ibid.

[a] Sub Carolo mag. 813 c. 1.
[b] Mog. eodē anno c. 1.
[c] eodem c. 1.
[d] Par. 6. c. 1. ad an. 829.
[e] Can Ap. 29
[f] Conc. Aurel. 2. c. 3. & 5. c. 10. Tolet. 8. c. 3. Tol. 11. c. 9. Vern. c. 24. Pariſ. ſub Lud. & Lot. lib. 1. c. 11.
[g] Nic. c. 15.
[h] Sard. c. 1.
[i] Ant. c. 21.
[k] Carthag. 3. c. 38.
[l] & 4. c. 27.
[m] Tur. c. 14.
[n] Aquiſgran. c. 44.
[o] Ravennat. c. 3. & 5.
[p] c. 1. & 2.
[q] Ep. 82. c. 8.
[r] Nic. c. 19.
[s] Francoford. c. 16.
[t] Petrus Damian. opuſc. 5.

Mediolanum à Nicolao II. missum refert, ut Ecclesiam illam à simoniaca labe re-
pag. 66. purgaret. Mediolani verò tum consuetudinem obtinuisse scribit, ut quisquis ad Clericatûs ordines provehendus accederet de Subdiaconatu 12 numnos, de Diaconatu verò 18, postremò de Presbyteratu suscipiendo 24, quasi per præfixam conditionis regulam daret; quo in negotio ambo illi insignes Pontifices Legati, ita solerter & prosperè rem egerunt, ut Guidonem Archiepiscopum ad resipiscentiam & suscipiendam pro tam immani scelere pœnitentiam flecterent. Itaque Archiepiscopo in genua provoluto centum annorum pœnitentia indicta, ejusque redemptio per unumquemque annum taxatâ certâ pecuniæ quantitate, præfixa est, unde corruptissimos ævi hujus mores liceat conjectare.

ibid. [NULLUS EX OFFICIALIBUS EPISCOPI &c.] *Ad Can.* 7. Insigne extat hujus argumenti apud sanctum Gregorium [a] Decretum in Synodo Romana [b] editum quo antiquam patrum Regulam secutus, nihil omnino de ordinationibus Clericorum accipiendum esse constituit, neque ex datione pallij, neque ex chartarum traditione: *Quia sicut* (inquit vir sanctus) *non decet Pontificem manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus, vocem suam vel calamum vendere.* Hæc Gregorius: quem imitati sunt Patres Concilij Bituricensis [c] apud Synodum Lemovicensem [d], qui pravam apud eos invectam consuetudinem abrogarunt, quâ solebant scriptores pro recensendis ordinandorum nominibus pretium accipere: quod sanè hac nostrâ ætate innovari interest plurimum, aut certè ut novis Concilij Tridentini [e] regulis vigor illibatus constaret.

ibid. [AD SACROS ORDINES NISI ERUDITI] *Ad Can.* 8. Peritiam literarum postulant sacri Canones maximè in sacris Ordinibus suscipiendis; ut patet ex Synodo Romana sub Hilario apud Antonium Augustinum, Concilio Aurelianensi 3. [f] Tolet. 4 [g]. Meldensi [h], Nannetensi [i], Narbonensi: quibus accedunt Gregorij magni [k] Epistolæ, altera Joanni Scillitano Episcopo, Januario Calaritano altera, necnon Gregorij II. [l] Epistola 2. in principio.

ibid. [ÆTATE LEGITIMA] Hoc est, non ante trigesimum ætatis annum in Presbytero, quem decet æta e & sapientiâ pollere, juxta nominis significationem, sumpto ab ætate Christi exemplo, qui ut observat Concilium Neocæsariense [m] & S. Isidorus Hispalensis [n] apud Concilium Aquisgranense [o] trigesimo anno baptizatus prædicandi Evangelij exorsus est officium: Levitæ autem quia in veteri lege, cujus autoritatem in Canonibus sancti Patres sequuntur, ut loquitur Concilium Toletanum 4 [p], ab anno 25 servire mandantur, eamdem in Levitis suis Ecclesia requisivit: Hypodiaconos verò 20 annis minores non admisit Concilium Trullanum [q] & Toletanum 2 [r]. Et hæc quidem ex antiquis Patrum & Conciliorum [s] sanctionibus: donec Concilij Tridentini [t] jure novo ad 25 in Presbyteris, in Diaconis ad 23 in Hypodiaconis 22 definitæ sunt ordinandorum ætates, cui præiverat jampridem Clementina, [u] *Generalem. De ætate & qualitate ordinandorum*, decimum octavum Subdiaconis, Diaconis vigesimum præscribens.

ibid. [NISI SUB LEGATIONE] *Ad Can.* 9. Per legationem, literas proprij Episcopi intellige, quas veteres commendatitias, sine quibus alienum Clericum ordinare aut suscipere antiquis Canonibus tum Græcis tum Latinis prohibetur Nicæni Concilij [x], Sardicensis [y], Calchedonensis [z], Trullani, Canonibus Apostolicis; ex Latinis vero Carthag. 1. [a] & [b] 3. Bracarensis 1 [c]. Tolet. 13 [d]. & alijs innumeris. Has porrò literas quas Nicænum Concilium formatas vocat, posteri vulgato nomine dimissorias appellarunt, quarum mentio est in Synodo Romana sub Zacharia Papa, & inter Græcos meminit Concilium Trullanum: [e] varias earum formulas ex antiquis monumentis exhibet Jacobus Syrmondus, in appendice ad Tomum 2. Conciliorum Galliæ.

[a] *lib. 4. Ep. c. 88.*
[b] *Cap. 5.* *Vide Petrum Blesensem in Epistola ad Officialem Episc. Carnut. Ep. 25.*
[c] *Cap. 3.*
[d] *Act. 2.*
[e] *Sess. 21. c. 1 de Reform.*
[f] *Cap. 6.*
[g] *c. 18 & 19*
[h] *Cap. 52.*
[i] *Cap. 11.*
[k] *lib. 2. Epist. 25*
[l] *Idem lib. 3 Epist. 26*
[m] *Cap. 11*
[n] *L. de Offic. Eccles. c. 5.*
[o] *Cap. 9*
[p] *Cap. 16*
[q] *Cap. 15*
[r] *Cap. 1.*
[s] *Conc. Carthag. 3. c. 4. Agath. c. 16 Aurelian. 3. c. 1. & 6. Tol. 4. c. 16 & 19. Arelat. 3 c. 1. Trull. c. 14 & 15. Turon. sub Carolo magno.*

[t] *Sess. 23. c. 12. de Reform. Clericorum, &c.* [u] *lib. 1. tit. c. 3.* [x] *c. 16.* [y] *c. 15.* [z] *c. 13. Can. Apost. 15, 16 & 32.* [a] *c. 5.* [b] *Carth. 3. c. 21.* [c] *c. 26.* [d] *c. 11.* [e] *c. 17.*

ibid. [CLERICORUM ECCLESIÆ STIPENDIA] *Ad Can.* 10. duo ex hoc Canone observanda occurrunt, bonorum scilicet Ecclesiæ Cleri stipendijs addictorum divisio,

juxta veterem Ecclesiæ usum, quorum una pars cederet Pontifici, alia Presbyteris & Diaconis, omnique clero, tertia Ecclesiarum fabricæ, quarta pauperum ac peregrinorum necessitatibus sublevandis applicanda. Ita Synodus Romana [a] 280 Episcoporum sub Sylvestro, Simplicius [b], Gelasius [c], Gregorius magnus [d] & Gregorius 2 [e]. Alterum est, quòd horum omnium dispensationem penes Episcopum statuerunt Canones, tum veteres tum recentiores; in primis vero Canon Apostolicus 38. Concilium Antiochenum [f], Aquisgranense 2. [g] sub Ludovico Pio, Parisiense [h] sub Ludovico & Lothario, & Wormatiense 2. [i] Synodus [k] Nicæna generalis 2 & œcumenica [l] sub Hadriano II. Concilium Aurelianense 3 [m] & 4 Tolet. 3 [n] & 4 [o] Emeritense [p] & alia quamplurima, quibus res tota Pontificum fidei ac providentiæ committitur. Verùm ingravescente onere Episcopatûs atque aucto fidelium numero, ut tandem eorum subsidio consuleretur, œconomos Ecclesiasticæ substantiæ dispensatores Concilium Calchedonense [q] instituit. Antiquæ hujus disciplinæ frequentissima suppetunt exempla, maximè apud divum Augustinum duobus Sermonibus *De communi vita Clericorum*, in Gallijs apud sanctum Prosperum [r] *De Vita contemplativa*, Romæ & in Anglia apud divum Gregorium *ad quæstiones Augustini Anglorum Apostoli*: tum maximè cùm Clerici in commune Regularium more vitam instituentes, claustro communi atque ædibus utentes Episcoporum imperijs parerent, Gratiano [s] teste; quemadmodum in Ecclesia Rotomagensi factum ex antiquioribus statutis Ecclesiæ, & ex libello [t] qui de divinis officijs à Joanne Abrincensi editus est, plane testatum manet: ac vel ex eo conjicitur, quòd Episcopis Clericorum suorum stipendia sive prædia quoquo modo distrahendi aliò, facultas abrogatur, quod ex Symmachi Papæ [u] Epistola 1, Nicæna [x] Synodo 2 desumptum est, & alijs multis apud Gratianum, quæ quidem indicasse [y] suffecerit. Huic decreto ansam præbuisse suspicor alienationem terræ, quam Martini Ecclesiam vocant, olim juris Ecclesiæ Rotomagensis, ad Canonicorum sustentationem concessam, à Roberto Malgerij decessore sæcularibus viris traditam: quam tandem pactione initâ Guillelmo Bonâ animâ appellato, Galterius Gifardus, & Guillelmus filius Gaufridi, Ecclesiæ restituerunt anno 1080, ut ex chartis Ecclesiæ Metropolitanæ constat.

pag. 67.

[a] c. 4. [b] Epist. 3. [c] Epist. 1. c. 29. [d] ad August. interrog. 1. alijs 2. [e] Epist. 3. [f] c. 25 [g] part. 2. c. 78 [h] lib. 1. c. 15 [i] c. 6 [k] c. 12 [l] Syn. 8. gen. cap. 15. & 19 vel 17 [m] c. 5. & 4. c. 8. [n] c. 18. [o] c. 32. [p] c. 14. [q] c. 26. [r] c. 2. & à c. 9. ad 15. [s] C. necessaria 12 q. 1. [t] Ioan. Prevot. in Annal. Ecclesiæ Rotomag. in Roberto. [u] Ep. 1. c. 1. [x] Syn. Nicæn. c. 12. [y] Synod. 8. gener. c. 15. Romana sub Symmacho c. 4. ad 8. Conc. Agath. c. 7. Ravenn. sub Ioanne 8 p. 2. c. 10. Aurel. 3 c. 12. Aurel. 4 c. 9. & 18 & 33. Tolet. 3. c. 3. Paris. sub Ludov. & Loth. lib. 1. c. 17. Gratian. 12 q. 2. per totam.

[LAÏCIS BENEFICIARE] Beneficiare idem omnino est in jure Civili & Canonico, quod in nostro infeodare, seu feodo aliquem afficere: ut & beneficium ac beneficiarius, nihil aliud nisi feodum & feodatarium sonant: ibid.

Hinc porro benefici & beneficiarij appellationes in Ecclesiasticam disciplinam translatas censent scriptores, vel ex eo potissimùm tempore quo possessiones Ecclesiasticæ & redditus qui olim communes erant, paulatim progressu temporis singuli singulis Ecclesiæ ministris, ob ministerium stipendij loco ascripti, aut certe à fundatoribus attributi sunt, quibus tamquam re propriâ fruerentur; eaque ipsi arbitrio jam suo, sine ullius œconomi, Archidiaconi, vel Episcopi dispensarent. Certam instituti hujus epocham ad Ludovici Pij ætatem nonnulli referunt, beneficiorum institutionem Gregorio 4 tribuentes, ut inter alios notat [z] Vicecomes: quibus suffragatur insigne Concilij [a] Aquisgranensis ab eodem Pontifice tum temporis celebrati fragmentum, quod ex vetustissimo Cœnobij sancti Petri Vivi Senonensis chronico edidit domnus Hugo Matoudius ejusdem Asceterij tunc Prior in suis ad Robertum Pullum Commentarijs, in quo statutum legitur pro Canonicis qui sub præpositis vivebant, (quia præpositi temporalia malè tractabant, & nobiliores fortioresque Canonici possessiones usurpabant) *Ut quilibet Canonicus, personis ad certum numerum redactis, suum temporale proprium possideret, & ut de communi camera cuilibet distribueretur, prout in choro divinis Officijs resideret.* Hæc ibi. Prævaluit nihilominus in plerisque Ecclesijs ad plures annos antiqua vitæ communis ratio, quam ad posteros promanasse, frequentiores Pontificum sanctiones ac variarum Ecclesiarum instituta demonstrant.

[z] lib. 4 de Baptismo c. 4.
[a] anno 836

[Ut

pag. 68 [Ut sacrum chrisma] *Ad Can. 14.* Non recens, sed à multis jam inde sæculis pravus invaluerat usus toties ab Ecclesia explosus, totiesque resumptus, sacrum Chrisma pecuniæ pretio commutandi, qui quidem multis Canonibus condendis occasionem præbuit. Necdum tamen apud posteros usus obsolevit, ut observavit Petrus Arcudius [a] ex veteri manuscripto codice Vaticano, qui inter Orientalium ab Ecclesia Romana defectionis causas, non minimam recenset eam quæ ex Capellanorum Romani Pontificis avaritia orta creditur, qui deferentes à sede Apostolica annuatim sacrum Chrisma, donec 80 auri libræ à Clero & populo, præter alia dona & munuscula sibi penderentur, non recedebant. Romanis subinde Græci eo in negotio haud longè religiosiores extiterunt, quos præfatus Arcudius in Russia exiguam Chrismatis ampullam ducentis aureis venditasse scribit.

[a] *lib. 2. c. 9.*

ibid. [Ut in dedicandis Ecclesijs &c.] *Ad Canonem 15.* Quod Concilijs [b] Bracarensi 2. [c] Wormatiensi, Aquisgranensi [d] 2. sub Ludovico Pio, & [e] Cabilonensi sub Carolo magno maximè consentaneum est.

[b] *C. 5.* [c] *C. 3.* [d] *P. 1. c. 5.*

ibid. Pro baptisandis cathecumenis &c.] *Ad Canonem 16.* Ut vel levissima simoniæ absit suspicio, baptisandis consignandisque fidelibus à Sacerdotibus pretia ullatenus præfigi vetat [f] Gelasius I. nec quibuslibet illationibus impositis exagitari permittit renascentes, Gelasij verba sunt; secus facientes honoris periculo fore obnoxios edicit. *Quoniam* (inquit) *quod gratis accepimus gratis dare mandamur* : sed nec à baptizandis quidem offerri voluit Concilium [g] Eliberitanum : *Qui baptizantur* (inquit) *nummos in concham non mittant, ne Sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur.* Nonnihil subinde temperamenti huic Decreto attulit Concilium [h] Bracarense 2, dum sponte à baptizatis oblata recipere indulsit. Quod etiam usum posteriorum temporum probasse liquidò demonstrant pleræque constitutiones Synodales diversarum Ecclesiarum, maximè Odonis Parisiensis, Lingonienses, & Trecenses annis 1404 & 1400.

[e] *C. 16.* [f] *Ep. 1. c. 7.* [g] *C. 48.* [h] *C. 7.*

ibid. [Ut in albis baptisatorum] *Ad Canonem 17.* Albis baptisatorum dies designantur quibus neophyti albati ad Ecclesiam confluere tenebantur teste [i] Rabano. *Dies* (inquit) *albas vocitamus propter eos qui in sancta nocte baptisati albis per totam hebdomadam utuntur vestibus*, quas sabbatho sequenti deponebant : & ex Græcis Jobius [k] Monachus apud Photium [l] ait, Αλλὰ τοῦτο φοτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροῦσι, id est, qui baptisantur septem dies candidas gerunt vestes.

[i] *de instit. Cleric. lib. 3. c. 39.* [k] *lib. 3. de Verbo incarnato c. 18.* [l] *Biblioth. n. 222.*

ibid. [Chrismale.] De quo Ordo [m] Romanus, [n] Alcuinus, & Honorius [o] Augustodunensis. Quoddam est capitis operimentum lineum, caputij instar, quo tum temporis neophytorum capita tegebantur, atque etiamnum parvulorum in baptismo involvi consueverunt, ut ex plerisque Manualibus libris notum est : eapropter Honorius Augustodunensis Chrismale recens baptisatorum mitræ comparat, ac disertis verbis eidem mysterio tribuit Rabanus [p] Maurus. *Tegitur* (inquit) *post sacram Unctionem caput ejus* (baptisati) *mystico velamine, ut intelligat se diadematis regni & Sacerdotalis dignitatis portitorem, tum ratione Chrismatis quo inungitur; ut indicat Concilium* [q] *Laodicenum, tum velaminis, quod sabbatho in albis depositum juri Ecclesiæ cessit*; Ac in quibusdam Ecclesijs Clericorum superpellicijs conficiendis usui esse solitum Guillelmus Durandus [r] docet. Unde amplioris quàm nunc formæ fuisse oportuit ut superpellicijs conficiendis usui esse posset.

[m] *in sabb. Paschæ.* [n] *ibid.* [o] *Gemma animæ lib. 1. c. 243. & lib. 3. c. 109.* [p] *de instit. Cleric. lib. 1. c. 29.* [q] *C. 48.* [r] *Ration. divin. lib. 3. c. 1. n. 12.*

ibid. [Ut pœnitentes gravare &c.] Sacerdotum avaritiæ locum dedere pœnitentiarum redemptiones impositâ pecuniæ mulctâ ab Anglis ad Gallos profectæ, atque eâ tempestate passim in Normania usurpatæ. Quæ tametsi æqui nonnihil à primæva sui institutione præ se ferrent, haud multo post in vitium deflexerunt. Siquidem Sacerdotes proprijs commodis inhiantes, mulctas pecuniarias pœnitentibus imponendas in usus proprios convertere cœperunt. Atque adeo in deteriora proruente flagitio, culparum lethalium veniam aut animadversionem proprijs commodis & utilitatibus metientes, pro cujusque criminis, non ratione, sed pecuniæ solvendæ pœnitentes aut ligabant aut solvebant. Quibus malis ut occurrerent olim Anglicani patres 8 sæculi, adversus ejusmodi redemptiones, cùm primùm apud eos exortæ sunt, graviter invehi cœperunt in Concilio [s] Clovesovieni sub S. Cuth-

[s] *C. 26.*

berto Cantuarienſi Archiepiſcopo congregato ad annum 747.

[Per octavos dies in albis repræsententur] *Ad Can. 19.* Juxta priſcum veteris Eccleſiæ morem, cujus meminit divus Auguſtinus in Sermone ad Compe- tentes in octavis Paſchæ. Ordo [a] Romanus, Rabanus [b] Maurus, Alcuinus [c], Amalarius [d] & Honorius [e] Auguſtodunenſis : *Quam Unctionem* (inquit) *per octo dies in albis ſervant, in octava die lavant*, idcirco ab antiquis Patribus diebus qui à ſabbatho ſancto ad octavam Paſchæ excurrunt, hebdomadæ in albis nomen inditum eſſe legimus; utpote cujus ſabbatho albas veſtes neophyti deponerent. Quod haud dubiè ſublatum, cùm adultorum baptiſmus ceſſavit; ac ſtata baptiſandi tempora deſierunt, cum propter imminentia parvulis pericula, tum propter auctam ſupramodum fidelium multitudinem, ut obſervat Rupertus [f] Abbas. Cui certam epocham definire non erit ita facile. Divus [g] Thomas, Bonaventura [h], & alij morem hunc ad Caroli magni & Ludovici Pij uſque tempora viguiſſe volunt, quod etiam leges ab eis conditæ ab Anſegiſo Abbate collectæ palam demonſtrant, quibus cavetur : *Ne quis citra mortis periculum audeat extra Paſcha & Pentecoſten baptizare.* Ceterùm longe ulteriùs progreſſum demonſtrant Nicolaus I. [i] circa annum 866 Concilium [k] Wormatienſe ad annum 868. Triburienſe [l] anno 895 Rotomagenſe [m] ſub Joanne II. anno 1072 & Romanum [n] incerti temporis ſub Gregorio VII. apud Antonium [o] Auguſtinum. Attamen vix Ruperti ætatem, hoc eſt, annum 1110. exceſſiſſe facile ex eo colligitur, quòd de temporibus Paſchæ & Pentecoſtes ſolemnitati Baptiſmi conſtitutis agens, viſum eſſe docet [p] ſanctæ Eccleſiæ paſſim indulgentiâ Baptiſmi conceſſâ, immo oblata cuncta antevertere pericula; Baptiſmi tamen ſolemnitatem vel in paucis cum Dominica Reſurrectione, cui ſimilis eſt celebrare. pag. 68

[a] *In die Paſchæ.* [b] *lib. 2. de inſtit. Cleric. c. 39.* [c] *De Offic. divin. c. de ſab. ſancto & in albis, & Epiſt. ad Carol. magn.* [d] *de Offic. divin. l. 1. c. 32 & 33.* [e] *Gemma anim. l. c. 113* [f] *lib. 4. c. 12* [g] *3. parte q. 66.* [h] *in 4. diſt. 6*

[i] *ad conſulta Bulg. c. 69.* [k] *c. 1.* [l] *c. 12.* [m] *c. 23.* [n] *c. 29.* [o] *juris Pontif. p. 2. l. 22. tit. 19. c. 2.* [p] *lib. 4. de divinis Offic. c. 18.*

[Cum cereis ardentibus &c.] *Quidam* (ut docet Honorius [q] Auguſtodunenſis) *mox de fonte levatis lumen dare ſolent.* Meminit etiam lucernarum quæ dabantur in manus jam baptiſatorum S. Gregorius Nazianzenus Sermone *de Baptiſmo*, Gregorius [r] Turonenſis, & Nicephorus [s] Calixtus, quem ritum hucuſque ſervant pleræque Galliarum Eccleſiæ. ibid.

[q] *Gemma animæ lib. 3. c. 112.* [r] *lib. 5. hiſt. c. 11.* [s] *lib. 3. c. ult.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Concilium Lexovienſe, Anno 1055. in cauſa depoſitionis Malgerij.

APostolici Vicario] *Ad Guillelmi Pictavenſis verba.* Præfuit huic Concilio Hermenfridus, alijs Armenfredus Sedunenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus, alijs nonnullis legationibus clarus, ut ex antiquis Eccleſiæ Rotomagenſis monumentis & ex Guillelmo [a] Malmeſburienſi conſtat. Is ab Alexandro II. item Legatus à latere in Angliam ad Concilium Wintonienſe [b] miſſus, in quo Stigandus Eccleſiæ Cantuarienſis invaſor coram Guillelmo Rege depoſitus fuit. Ejus mentio eſt in donatione ab Henrico Imperatore facta, ac interfuiſſe etiam legitur Philippi I. Francorum Regis inaugurationi anno 1059. pag. 69

[a] *in Guillelmo I.* [b] *anno 1070.*

[Per decretum Papæ deposui] *Ad verba Orderici Vitalis*) Leonis ſcilicet IX quo autore ſede Pontificali dejectum inſinuant tum ſcriptores ſuprà laudati, tum veteres Eccleſiæ Rotomagenſis membranæ; nec obſtat quòd jam anno ſuperiori 1054 jam extremum diem clauſiſſet Leo, cujus obitus 3 Kal. Maij conſignatur : Sed ita intelligendum, ut conſilium de deponendo Malgerio vivo adhuc Leone conceptum, poſt ejus obitum, in ipſo Pontificatûs Victoris II. exordio, qui Idibus Aprilis anni ſequentis 1055. Pontifex & Leonis ſucceſſor eſt renuntiatus, effectum obtinuerit. pag. 70

NOTÆ ET OBSERVATIONES.

Ad I. Concilium Rotomagense ſub Maurilio anno 1055.

pag. 71. ANNO 1055.] Hoc Concilium ab eo planè diverſum eſt, quod in Encœnijs Eccleſiæ Cathedralis celebratum veteres Eccleſiæ membranæ produnt, prout diſcernit Sammarthanus in Maurilio: Ejus acta hactenus deſiderantur.

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Concilium in Encœnijs Eccleſiæ Rotomagenſis ſub Maurilio Anno 1063.

pag. 73 INDICTIONE II.] Hic lapſus eſt Ordericus, ut in pleriſque Indictionum deſignationibus, ut vel pauliſper attendenti planum eſt. Idcirco pro undecima prima eſt reponenda.

ibid. [INGENTI TRIPUDIO &c.] Conſecrationis hujus cauſa celebratum à Maurilio Concilium commemorant antiqua Eccleſiæ Rotomagenſis monumenta, ejuſque meminerunt Joannes [a] Dadræus, Joannes [b] *le Prevoſt* & Sammarthanus in Maurilio, cui haud inſolens viſum eſt tantæ ſolemnitatis cauſa totius Provinciæ Antiſtites ad Cōcilium more Majorum evocari, quibus olim ſolemne fuit Eccleſiarum dedicationes Synodorum congregatione illuſtrare: ut de Concilio Jeroſolymitano in Encœnijs inſignis Baſilicæ, Conſtantini magni impenſis, Jeroſolymis extructæ, autor eſt [c] Euſebius, Socrates [d], Theodoretus [e], & Sozomenus [f]; Concilium Arelatenſe 3. ſub Cæſario Arelatenſi pari ex cauſa collectum anno 524, Arauſicanum 2 pro conſecratione Eccleſiæ Liberij Galliarum præfecti, ut de pluribus alijs taceam.

pag. 74 [MENSE OCTOBRI] Kal. Octobris, quâ die hucuſque dedicationis dies colitur.

[PHILIPPI ANNUS 4.] Ducto Regni ejus exordio ab inauguratione Remis facta, ſuperſtite adhuc Henrico patre, anno 1059.

a *in Chronol. Archiepiſc. Rotomag. in Maurilio*
b *ibidem.*
c *de vita Conſtantini lib. 4. & ſequentibus.*
d *lib. 1. c. 28.*
e *lib. 1. c. 31.*
f *lib. 2. c. 25.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES

In Concilium pro electione Joannis *de Bayeux*, anno 1069.

pag. DEFUNCTO MAURILIO] Circa tranſlationis hujus æram nonnihil ſuboritur dubij, dum Chronicon Rotomagenſe MS. necnon anonymus ſcriptor Chronici S. Audoëni, altero ab exceſſu *Maurilij* è vivis anno deputant, nempe 1068, contra Orderici Vitalis & Chronici Cadomenſis fidem, qui ad annum 1069 palam referunt: quorum ſententiam utpote veriorem amplectimur, eâ tum maximè ratione ducti, quòd cùm de Joannis morte ad annum 1079 apud omnes conſtet; ſi decem quos in Pontificali munere exegit annos juxta Orderici Vitalis calculum numeres, annum haud dubiè 1069 ejus electioni aptari manifeſtum eſt. Nec urget S. Audoëni Chronicon duodecim regiminis annos Joanni tribuens; nam à deſignatione à Guillelmo Rege facta, non ab adepta poſſeſſione, aut Canonica electione computatos ibi haud abſurdum forſan fuerit dicere.

pag. [OMNIUM COMPROVINCIALIUM &c.] Inſigne hic apparet Eccleſiaſticæ antiquitatis veſtigium, dum ad Joannis electionem comprovincialium Epiſcoporum expetita fuere ſuffragia, more majorum noſtrorum qui in Concilio Aurelianenſi [a] 2 priſcorum Patrum in ordinandis Metropolitanis veterem formulam renovantes, quam per incuriam fatentur excidiſſe, ita loquuntur: *Itaque Metropolitanus Epiſcopus à comprovincialibus Clericis vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Epiſcopis ordinetur*, &c. Et rurſus Aurelianenſe item 3. *Ipſe tamen Metropolitanus à comprovincialibus Epiſcopis ſicut Decreta ſedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu Cleri vel*

a *C. 2.*
b *C. 3.*

a Epist. 82 ad Anast. Thessal. c. 6. *civium eligatur.* Hæc Concilium. Decretum[a] Leonis magni indicat quo statuitur : ut *Metropolitano defuncto, cùm in loco ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam conveniant, ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussâ, ex Presbyteris Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur,* &c. pag. 77

Hoc porro à posterioribus sæculis abrogatum hucusque Græci retinent, apud quos excluso Clero & populo jus electionis penes solos Episcopos Provinciales residet, quod jam inde à Concilio Nicæno statutum contendit Theodorus[b] Balsamon. De Metropolitanorum institutione, res est manifesta ex Synodi Sardicensis Can. 6. quo totum electionis Metropolitani negotium, Episcoporum juri cedit; quem usum utrobique in summa licet rerum ac temporum varietate, usque ad Concordata Leonem X. inter & Franciscum I. Gallia nostra frequentavit : nec usque adeo abolitum subinde voluit, quin in Comitijs[c] Aurelianensibus, sub Carolo IX. ad annum 1560 speciali Decreto sancitum fuerit, ut sede Archiepiscopali vacante, mox ab Episcopis Provincialibus & Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ, adscitis primùm Proceribus duodecim, votis nobilium Diœcesis ipsius electis, ac præcipuis loci civibus vocatis, trium fieret electio, ex quibus Regi oblatis unus pro libito ejus assumeretur ordinandus in Archiepiscopum.

b ad Can. Nicæn. 4.

c artic. 1.

NOTÆ ET OBSERVATIONES
Ad Concilium primum sub Joanne *de Bayeux* celebratum Anno 1070. in causa electionis Lanfranci ad Archiepiscopatum Cantuariensem.

SEDUNENSI] A *Seduno* civitate in Valesio, quæ sita est in amœna planitie inter montes Alpinos ad Rodanum, ubi olim *Seduni*, de quibus frequens apud Julium Cæsarem[a] mentio. Illùc translata fuit sedes Episcopalis, deleto Octoduro Veragrorum, regionis Valesiæ inferioris civitate, quæ & Valensium in Provincia Alpium Graïarum & Penninarum dicitur in notitia Provinciarum antiqua, unde Octodurenses Plinio quod nunc *Sedunum* dicitur, vulgo *Sion*, Tarentesiensi Metropoli parens, in temporalibus verò æque ac spiritualibus Caroli magni singulari beneficio juris Episcopalis facta. pag. 84

a de bello Gall. l. 3. c. 10

[IN CONCILIO EPISCOPORUM] Cujus meminit scriptor vitæ Lanfranci ex pervetusto codice manuscripto Beccensi à domno Luca Dacherio Asceta Benedictino editæ. ibid.

[HUBERTUS] ab alio toto cœlo diversus ejusdem nominis *Huberto* sylvæ candidæ Episcopo Cardinali, qui sub Leone IX, Victore II, Stephano X, Nicolao II, & Alexandro item II. varijs legationibus de Ecclesia gloriosè meruit, ac paucis ab Alexandri II. obitu mensibus defunctus est. Is porro cujus hìc incidit mentio, in sacrum Ecclesiæ Romanæ Collegium cooptatus à Stephano X. qui vulgo IX dicitur, sub Gregorio VII. vixit[b], quem sacri Palatij Apostolici Subdiaconum appellat Lanfrancus Epistolâ 8 ad Gregorium VII scriptâ. Subscripsit Decreto Concilij Anglicani de primatu Cantuariensis Ecclesiæ super Eboracensem anno 1072 edito, de quo vitæ Lanfranci scriptor, & Guillelmus Malmesburiensis : legationibus tum in Britania Armorica, tum in Normania ad Guillelmum conquestorem Anglorum Regem sub Gregorio VII. nobiliter functus, ut ex Epistolis libri 5, 19 & 22, & libri 7, 21 notum est. pag. 85

b ex Ciaconio in Stephano X.

NOTÆ ET OBSERVATIONES
Ad Concilium anni 1072.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI 1072.] *In Præfatione.* Circa Concilij hujus epocham scrupulum movent variæ scriptorum sententiæ, dum alijs ad annum pag. 86

pag. 86 1072. alijs verò 1074: placet referre. Orderico Vitali fides potior debetur utpote eorum temporum viciniori, qui res suorum temporum accurato ac fideli stilo prosecutus est annoque 1072 consignat. Cujus sententiæ nihilominus refragantur plerique neoterici, Robertum de Monte & Chronicon Cadomense secuti, ad annum 1074 referentes. Verùm id errore factum crediderim: quasi verò unum & idem sit Concilium ab Orderico commemoratum cum eo de quo apud Robertum Montensem est mentio: ea enim planè diversa haud leves suadent conjecturæ, quas enucleatiùs juverit indagare. Ac imprimis advertere liceat quòd in assignato ad annum 1072 nihil de Rege præsente agatur, in alio secus, ut ex authentico Diplomate patet in gratiam Cœnobij SanVictoriani apud Caletes in Abbatiam instituendi dato ad annum 1074. ubi interfuisse Regem docet Joannes Archiepiscopus. Ipsa ejus verba accipe. *Petitio Rogerij de Mortuomari & Aduisæ uxoris ejus ad nos venit, ad Dominum Guillelmum Regem Anglorum & ad me, sedentes & tractantes de negotijs Ecclesiasticis & sæcularibus, cum Episcopis in quodam Concilio congregato in urbe Rotomagensi &c. anno ab Incarnatione Domini* 1054. Præterea priori Concilio quinque Suffraganei unà cum Archiepiscopo subscripsisse reperiuntur, posteriori quatuor dumtaxat: Siquidem non plusquam quatuor dictum privilegium suo calculo roborasse dignoscuntur, scilicet Gislebertus Ebroïcensis, Odo Bajocensis, Hugo Lexoviensis, Robertus Sagiensis. Sed & rerum in eis gestarum alia atque alia argumenta diversas omnino arguunt Synodos. Ceterùm omnem scrupulum adimunt acta posterioris Concilij, quæ quidem ex codice manuscripto beatæ Mariæ de Fontaneto in lucem prodeunt.

Ibid. [IMPRIMIS DISPUTATUM EST DE FIDE &c.] *Ad Can.* 1. Hìc de professione fidei Concilijs frequenter præmitti solita, non de fidei nostræ dogmatibus expendendis sermo est, ut ex verbis posterioribus palam est. (*Post hanc professionem* &c.) antiquorum patrum in hoc morem secuti, quibus solemne fuit à Symbolo fidei suas Synodos auspicari, uti licet videre in Concilio Carthaginensi ultimo sub Genedio anno 425. Toletanis 2 4, 8, & 11, Aurelianensi 5 anno 549 sub Vigilio Papa tempore Childeberti Regis. Emeritensi in Luzitania 666 sub Vitaliano Papa & Recesuindo Rege, Bracarensi 3. 675, temporibus Adeodati Papæ & Wambæ Regis Hispaniarum, ut alia plura prætercam; quam etiam consuetudinem universalis Ecclesia hucusque retinuit in Concilio Tridentino, ubi in ipso limine Symbolum recitatur.

Ibid. [STATUTUM EST &c. UT CHRISMATIS ET OLEI &c.] *Ad Can.* 1. Olim liberum fuit Episcopis sacrum omni die Chrisma conficere, ut patet ex Concilio Toletano 1. Can. 20. *Episcopo sane certum est quòd omni tempore licet Chrisma conficere.* Postea tamen mos invaluit ut dumtaxat in Cœna Domini conficeretur, ut ex omnibus Sacramentarijs nostris & Euchologio Græcorum planum est, & videre licet in Homilia 8. S. Eligij in Cœna Domini, nec non Sermone de Unctione Chrismatis inter opera S. Cypriani, & statuitur in Concilio Meldensi Can. 46: *Vt nemo sacrum Chrisma nisi in quinta feria majoris hebdomadæ, id est, in Cœna quæ specialiter appellatur Dominica conficere præsumat.*

Ibid. [COMPETENTI HORA, ID EST, POST NONAM.] Nimirum post tertiam pomeridianam, juxta antiquam incipiendi diei & horarum numerandarum rationem.

Ibid. [SECUNDUM STATUTA SANCTORUM PATRUM FIAT &c.] Hìc respicit Concilium ad antiquum Ecclesiæ morem celebrandæ Missæ post Nonam aut certè ad Vesperam Quadragesimali tempore, & alijs jejuniorum Ecclesiasticorum diebus, quibus olim ad Vesperam refectio protrahenda erat, prout sacrorum Conciliorum Canones sanxerunt: ac in primis [a] Cabilonensis apud Gratianum, Bracarensis [b] 1. & [c] 2. Moguntini [d] 1. sub Riculpho, ac etiam communis Ecclesiæ usus obtinuit, ut docent Walfridus Strabo [e] *de rebus Ecclesiasticis*, Amalarius Fortunatus [f] lib. 3. *de divinis Officijs*, Micrologus [g] *de Ecclesiasticis observationibus*, penes quos frequens instituti hujus mentio est; quod quidem ad sua usque tempora viguisse testis est S. Thomas [h] ad annum nempe 1270. Cùm igitur sacri Chrismatis consecratio inter Missarum solemnia fieri consueverit, ideo ad Nonam perfici decernitur &

[a] *de consecr. dist.* 1. *cap. Solent.*
[b] *C.* 16.
[c] *C.* 9.
[d] *C.* 34.
[e] *Cap.* 23. *de reb. Eccles.*
[f] *C.* 43. & *lib.* 4. *c.* 40.
[g] *C.* 4.
[h] 6. *p. q.* 80. *art.* 2. *ad* 3.

quidem secundum statuta sanctorum Patrum, de quibus non æque constat. Nusquam enim ab antiquis Patribus statutum legimus, nec ab ullo vetere scriptore traditum morem hujusmodi invenio, si Albinum Flaccum excipias, qui ad Nonam cùm scilicet dies longiores sunt, ad quintam si breviores fuerint, novi ignis benedictionem quam Missa excipit fieri solitam scribit, immo verò ad Tertiam fieri jubent tum veteres libri Sacramentarij S. Gregorij, tum Ordo Romanus ante annos octingentos in Ecclesia observatus, tum etiam vetutissimus liber MS. in sacrario Rotomagensis Ecclesiæ asservatus, qui Remensis Ecclesiæ olim fuisse videtur, & alij plures, anticipatâ scilicet hora propter multiplicium diei hujus officiorum prolixitatem, quibus ritè celebrandis quod ab horâ nona superesset diei vix par esse posset: ad eam enim pertinent pœnitentium convocatio & absolutio, olei utriusque benedictio ac sacri Chrismatis consecratio, utrumque mandatum seu pedum ablutio, novi ignis hoc triduo benedictio, necnon Ecclesiæ sacrorumque vasorum purificatio. Quo verò ordine singula, quibusve temporibus peragerentur, dubio non vacat, maximè cum apud plerosque Officiorum Ecclesiasticorum scriptores librosque Sacramentarios, omnia hæc promiscuè & inordinatè congesta reperiantur; ac præsertim quoad pœnitentium reconciliationem attinet quânam diei horâ, an ad Missam quove Missæ loco, eam ne præcedat an sequatur, non adeo facile est definire propter diversos Ecclesiarum ritus: cujus explicatio ad horam Chrismatis consecrandi indagandam, juverit plurimùm.

lib. de div. Offic. de cœna Domini. — pag. 86

Ex præscripto Ordinis Romani antiqui Missam antecedere & extra eam omnino reponi videtur pœnitentium reconciliatio ad Tertiam inchoanda. *Mediante* (inquit) *horâ primâ diei, Episcopus Concilium solemnibus vestimentis indutus, cum Presbyteris cet. risque ad hoc dispositis celebrat, secundum Canonum instituta. Peracto autem Concilio. horâ tertiâ sonetur signum, ut omnes veniant in Ecclesiam, in qua chrisma debet consecrari. Tunc egreditur pœnitens de loco ubi pœnitentiam gessit, ut gremio præsentetur Ecclesiæ* &c. Hìc nihil de Missa meminit. Peractis autem omnibus quæ ad pœnitentium absolutionem pertinent, tum ordo Missæ Chrismatis sequentis, quasi ab integro retexitur, nullâ prorsus mentione reconciliationis pœnitentium in ea factâ.

in Cœna Domini.

Hunc ritum confirmant manuscripti codices antiqui duo: alter S. Victoris Parisiensis 500 fermè annorum, recentior alter S. Dionysij in Francia 400 abhinc annis conscriptus: quos sequitur tertius Ecclesiæ Rotomagensis ante annos 300 exaratus. Peractâ enim more solito reconciliatione, disertè addit: *His ritè peractis præparet se Episcopus ad Missam.* Hunc etiam usum hucusque retinet Romana Ecclesia, ut ex ejus Pontificali liquet.

Verùm inter Missarum solemnia, aut certè in actione quæ Missæ Officium præcedit, ut nunc in Luminum, Cinerum & Palmarum benedictionibus fieri videmus, priscis temporibus pœnitentes fuisse reconciliatos probant tum Patres, tum Concilia, tum etiam antiqui libri Sacramentarij manuscripti. S. Leo[a] inter ea quæ Chorepiscopis illicita enumerat, hoc recenset: *Nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare.* Quæ quidem verba Concilijs Hispalensi[b] 2. & Wormatiensi[c] ad annum 868 inserta legimus ex Concilio Carthaginensi[d] ultimo quod vulgo secundum dicitur sub Genedio desumpta. S. Ambrosij[e] Leone antiquioris vulgare effatum est. *Quotiescumque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.* Ambrosio consentit Cyprianus[f] disciplinæ Ecclesiasticæ antiquioris fidelissimus testis, lapsorum præposterum pacis obtinendæ desideriũ carpens, *Ante purgatam sacrificio &c. extortam pacem* damnat. Tertullianus idipsum pari consensione demonstrat[g], cùm ait: *Maxima quæque non sine prædicatione donari.* Prædicatio autem publica sacrificio conjungi solebat, & Evangelij lectionem sequi, utì præcipiunt Constitutiones Apostolicæ Clementis[h], & Concilia Carthaginense[i] 4 & Valentinum[k] Hispaniæ. Hunc morem nono sæculo viguisse testis est coævus vitæ Ludovici Pij Imperatoris scriptor: *Inter Missarum celebrationem,* inquit, *septem Archiepiscopi, septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationes super eumdem Imperatorem cecinerunt.*

a Epist 88.
b C. 2.
c C. 8.
d C. 3.
e de sacram. lib. 2. c. 3.
f tr. de lapsis.
g lib. de pudicitia c. 13.
h l. 2. c. 57.
i C. 84.
k C. 1.

His accedunt plerique libri tum Riuales tum Pontificales antiqui, qui Missæ ascribunt, locumque designant proximè post Evangelij lectionem. Ita antiquissimi codices Bibliothecarum Petavianæ & Thuanæ à Joanne *Morin* relati, statim post enarratum ritum addunt: *Postea offert plebs & conficiuntur Sacramenta.* Quod etiam ex codice Remensi apud D. Hugonem Menardum videtur observari, *Perfectâ siquidem reconciliatione, sequitur Oratio super oblata.* Expressiùs verò alter Corbeïensis Ratoldi Abbatis jussu scriptus, unde nomen sortitur: Is totam ejus rationem & modum disertis verbis exhibet, *Lecto Evangelio: Ante diem festum Pascha* &c. *Postea sedeat Episcopus in sede, & non dicat: Dominus vobiscum, sed Archidiaconus legat coram populo rotulam,* &c. Notatu digna, apud eumdem Menardum videnda.

pag. 86 — *de pœnit.* — *Notis ad Sacram. S. Greg.* — *pag.* 231.

In Ecclesiæ igitur synaxi post Evangelium pœnitentes fuisse reconciliatos constat: priscis tamen temporibus proximè ante Orationem Dominicam docet Optatus Milevitanus: *Etenim inter vicina momenta dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam Orationem prætermittere non potestis: Pater noster qui es in cœlis, - - - - dimitte nobis debita & peccata nostra.*

lib. 2. contra Parmen.

Ad quam porro Missam pertinuerit, Chrismalem ne an aliam peculiarem, dubio adhuc superest locus; Propriam enim assignat Alcuinus manè celebrandam, alteram ad Chrisma. Similiter & codex antiquus insignis Bibliothecæ Thuanæ sexcentis annis superior, Missæ specialis meminit, cujus oblationi præponitur reconciliationis ritus: & antequam offerat, postulat his verbis Archidiaconus: *Adest venerabilis Pontifex,* &c. ut in Ordine Romano. Multa ejusdem moris apud Græcos vestigia etiamnum in eorum Euchologijs deprehenduntur ibi videnda, & apud Jacobum Goar, in eo quod latinè reddidit, & utraque linguâ ex codice manuscripto edidit. Nonnihil parit difficultatis quarumdam Ecclesiarum consuetudo plures Missas solemnes hac die celebrandi, cujus rei luculentum extat testimonium in vetustissimo codice MS. Bibliothecæ S. Remigij Remensis à domno Hugone Menardo laudato, apud quem ante primam Missam recõciliatio describitur: post Missam autem sequitur: *Item feriâ 5. Missa Chrismalis. Oratio: Domine Deus,* &c. quæ omnia ordine exhibet. Tandem exactis omnibus quæ ad sacri Chrismatis confectionem pertinent, additur: *Ad Missam serò. Deus à quo Iudas* &c. Huic codici Remensi alter Pontificalis liber illustrissimi domini *de Monchal* Tolozani Archiepiscopi consentit, ac præ ceteris omnes reconciliationis partes ac circumstantias sigillatim prosequitur, tresque Missas eo die consequenter fuisse celebratas demonstrat: *Quibus Matutina cum laudibus huic officio congruis persolvenda præmittuntur, quibus expletis Missa prima decantatur pœnitentium propria, in qua tamen non omnis absolutionis ordo completur, sed ad tertiam à Pontifice ritu maximè solemni celebrandam ejus perfectio confertur. Istam altera sequitur in secunda statione cantanda: tum denique Pontificalis quæ & Chrismalis dicitur in majori Ecclesia celebranda; in qua lecto Evangelio, Pontifici à Diacono pœnitentes sistuntur dicente:* Adest venerabilis *&c. super quos semel atque iterum preces reconciliatoriæ funduntur, quibus absolutis ita reconciliati ut finem Missæ expectent à Diacono admonentur, in qua cum alijs fidelibus ordine suo, hoc est, medij inter Clerum & populum sacris mysterijs communicant. Tum fusis iterum super eos designatis precibus Missa absolvitur, cœtuque soluto à Pontifice ad prandium invitantur.* Hactenus Pontificale Tolozanum vetus. Unde pœnitentium reconciliationem ad Missam Chrismalem post Evangelium factam habemus. Licet autem de hora præcisè non constet, ex eorum tamen quæ suprà commemorata sunt multitudine, facilè concluditur vix ante 6 aut certè 9 inchoatum Chrisma confici potuisse, quantumvis officium horâ 2, aut juxta Romanum Ordinem 3. pulsari jubeatur.

De Divin. Offic. c. de Cœna Domini.

Fortasse ad Rotomagensis Ecclesiæ morem respexerit Concilium in designanda Chrismati hora 9, quem revocare satagit Joannes Abrincensis libello *de divinis officijs.* Ibi Officij diurni hujus diei seriem eo ordine exhibet. *Ipso die hora 6 populus ad Ecclesiam conveniat. Si Episcopus fuerit, convocatio pœnitentium & absolutio, Chrismatis & olei consecratio juxta Episcopalem ritum ordinetur; ubi verò defuerit, imprimis tam Clerus quàm populus prostrati in terra cum lacrimis & gemitu absolutionem criminum à majori Sacerdote, accipiant & post cum processione in Porticum:* Miserere

Lib. de Div. Offic. pag. 41

mei Deus, *dicendo, ad novum ignem de petra excussum pergant. Quem cum aqua benedicta & incenso benedicant &c.* Et paucis interjectis sequitur: *Mox ignem accipiat Sacerdos in hasta cum cereo, revertaturque ad altare, Psalmum:* Dominus illuminatio mea, *cantando. Sonantibus cunctis campanis & inductis duobus Cantoribus cappis, Diacono Dalmaticâ: Subdiacono Tunicâ festivè celebretur* &c. Et post pauca, *in hac verò die olei consecratio celebratur & pœnitentibus absolutio tribuitur.* Quæ quidem disertis verbis Missæ solemni præponit, ac immediatè post Nonam collocat ordo antiquus divini Officij manuscriptus Ecclesiæ Rotomagensis, qui in omnibus ferè cum Joanne Abrincensi convenit ac, usu frequenti etiamnum venit.

Offic. Cœna Domini. [12 SACERDOTES &c.] juxta Ordinem Romanum, apud quem frequens iis Presbyterorum fit mentio, quos vocat testes & cooperatores hujus sacrosancti Chrismalis mysterij. Ij formam gerunt 12 Apostolorum secundum mentem Ruperti Tuitiensis. *12 Presbyteri (inquit) qui ordinantur circa Episcopum testes & coadjutores ejusdem mysterij 12 Apostolos significant, quorum in præsentia summus Pontifex Christus hodie testamentum conscripsit* &c. Ideoque testes appellat, cooperatores verò Chrismalis mysterij vocantur. Cujus appellationis eam proferunt rationem Amalarius[a] Treverensis & Durandus[b], quia nimirum simul cum Pontifice sacrum peragunt ac Chrisma conficiunt, quod certè ex veteri quodam Sacramentario & Ordine Romano desumpsisse videntur, ut ex Amalario constat. *Mos est (inquit) Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint Presbyteri & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant. Et quia in ipsa pertocha concluditur consecratio olei hujus, oportet ut simili modo sicut & cetera cum Pontifice Presbyteri oleum conficiant* &c. Nonnihil amplius adjicit Durandus, ubi ait, *consecrat autem oleum* &c. vel tractum est ab antiqua consuetudine quâ consueverat Ecclesia primitiva simul cum Pontifice verbis & manibus conficere corpus Christi fortè ad testimonium, prout hodie in Missa de ordinibus, cum ordinatore faciunt ordinati &c. pag. 87.

De divin. Offic. l. 5. c. 18.

[a] *l. 1. de Eccl. Offic. c. 12.*

[b] *Rat. divin l. 6. 74. n. 8*

idem ibidem

Hujus moris egregium superest monumentum in veteri manuscripto Pontificali Ecclesiæ Rotomagensis, seu potius Remensis, superiùs allegato, in quo Pontificis & Sacerdotum commune ministerium per singulas Missæ partes distinctè exponit, ab introitu ad altare incipiens, has paucis hic subjicere, & in pauca contrahere non gravabor.

De Cœna Domini.

Digestis ergo per ordinem ijs quæ Missæ propria sunt, tandem incipit. *Stans autem Pontifex & Presbyteri cum ceteris in ordine ante altare dicunt:* Confiteor *&c.* tum Kyrie eleïson decantato, *incipit Pontifex:* Gloria in excelsis *cum Presbyteris, quo finito dicat Pontifex cum Presbyteris:* Pax vobis, Oremus. Deus à quo Judas *&c.* dein eodem modo reliqua Pontificis & Sacerdotum munia persequitur: *perlecto Evangelio, dicat Pontifex cum Presbyteris* Credo *&c.* Mox additur. *Tunc dicat Pontifex cum Presbyteris* Dominus vobiscum *&c.* Oremus; *Offertorium* Dextera Domini *&c. Peractâ item in commune oblatione ab eisdem,* sequitur: *Inclinati ante altare Pontifex & Presbyteri, persequuntur Secreta Missæ dicentes:* In spiritu humilitatis *&c. usque dum ad illa verba,* Per quem hæc omnia Domine *&c. Offeratur Episcopo Oleum ab ijsdem pariter benedicendum.* Subjungit: *Tunc offeratur Pontifici oleum ad ungendos tam infirmos quàm energumenos, & benedicat illud tam ipse quàm omnes Presbyteri qui adsunt.* Paulo inferiùs habet, ex veteri Sacramentario Romano. *Antequam dicatur:* Per quem hæc omnia *&c. Levantur de ampullis quas offerunt populi & benedicat tam Dominus Papa quàm omnes Presbyteri.* Nec omittendum quòd rationis vice statim subnectitur: *mos est Romana Ecclesiæ &c.* Ut suprà ex Amalario & Durando referebamus. Unde tandem peractis exorcismis olei præscriptis Missam prosequendo, additur; *Pontifex autem & Presbyteri prosequuntur:* Per quem hæc omnia *&c.* Per omnia *&c.* Libera nos *&c.* Per omnia sæcula sæculorum, Amen. *Tum sequitur communio Episcopi solius, Presbyteris ac reliquo clero post perfectam sacri olei consecrationem sub utraque specie communicantibus, & ita absolvitur Missa ordine suo.* Hactenus ritus Missæ Chrismalis in Cœna Domini, qui etsi non sit hodierni usûs, in gratiam tamen studiosorum venerandæ antiquitatis attexendum putavimus.

[UNUSQUISQUE ARCHIDIACONUS OLEUM &c.] *Ad Can.* 2. Usus posteriorum ibid.

Nec

pag. temporum huic Canoni derogavit, ab eo maximè quo Innocentij emanavit De-
87. cretum Cap. *Quod in dubijs. De Consecratione Ecclesiæ vel Altaris*; Estque hujusmodi: *l. 3. tit. 40.*
Nec negamus quin Oleum non consecratum consecrato possit Oleo commisceri. Cui favet glossa & regula solemnis communi Canonistarum calculo recepta & in jure civili *ff. de rei vendit. qua religiosis.* fundata: *Sacrum tamquam dignius trahit ad se minus sacrum.* Quam etiam Theologi jampridem amplexi sunt cum divo Thoma, quatenus docet aquam communem benedictæ permixtam totam effici benedictam; communis ac verior Theologorum sen- *q. 77. art. 8.* tentia duplicem adhibet modum, primum; si compellat urgens necessitas: alterum, modo id quod additur minus sit eo cui accedit: quod nonnullis non ita videtur necessarium, verè ne an secus, ipsi viderint. Manuale Rotomagense illustrissimi do- *cap. de Bapt & Extrema unct.* mini Archiepiscopi Rotomagensis jussu anno 1640 editum eam approbat cum duplici prædicta limitatione, ne periculi quidquam Sacramenta subeant: cujus respectu commixtionem hanc prohibuit Concilium, ut ex verbis illius palam est.

ibid. UT CHRISMATIS &c. A DECANIS &c.] *Ad Can. 3.* Pro summa sua religione Patres antiqui sacro Chrismati summum honorem exhiberi volentes, solis Presbyteris aut sacris saltem ministris tractandi & deferendi per Provinciam demandarunt, ut ex antiquis Conciliorum statutis liquet. Concilium Valentinum Galliæ Canone 2. *C. 2.* apud Gratianum & Carthaginense 4. *Non per juniorem Clericum, sed per ipsos Par-* *C. 36.* *rochiales Presbyteros, aut per illum qui ejusdem ordinis sit deferri jubet.* Vasense [a] apud [a] *C. 10 aut 3* Yvonem [b]. *Non quilibet ex Clero, sed ipse suscipiat qui in tradendo usurus est* &c. *apud Syrm.* Meldense [c] verò apud Yvonem [d] de his qui longè positi sunt de octo aut decem, uni [b] *Yvo Carn.* ab Archidiacono id muneris delegetur Chrisma socijs suis perferendi. Eis porro *part. 1. c. 272* qui non longiùs quam quatuor aut quinque millibus distant per se venire præcipit. [c] *C. 6.* Ex Arelatensi autem 6. sub Carolo magno, solis Presbyteris contingere fas est. At præ [d] *C. 273* ceteris Antissidorense statuit, ut *mediâ quadragesimâ petant: & si quis infirmitate de-* *C. 18.* *tentus venire non potuerit ad Archidiaconum suum vel Archisubdiaconum transmittat,* *C. 6.* *& Chrismario & linteo imponant sicut reliquiæ sanctorum deportari solent.* Quod etiam ad posteros manasse docent recentiorum Conciliorum sanctiones quàm plurimæ, sed potissimùm Synodi Pictavensis sub Aymerico anno 1367 & Carnotensis 1526.

ibid. [NULLUS MISSAM CELEBRET QUI NON COMMUNICET] *Ad Can. 4.* Nihil novi statuit Concilium sed institutionem divinam Apostolicis præceptis firmatam, ac primitivæ Ecclesiæ moribus invectam ad usum pristinum revocare contendit. Jam olim contrarius irrepserat toties ab Ecclesia explosus, de quo * apud Ansegisum Abba- ** Vide Fulbertum Carnutensem Epist. 83.* tem lib. 1. Capitularium Caroli magni cap. 6 agitur. *Auditum est aliquos Presbyteros Missam celebrare & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur; vel quomodo dicere recte potest si non communicaverit: Sumpsimus Domine sacramenta* &c. Octavum Canonem Apostolicum subindicat, quo idipsum ex mente Theodori Balsamonis Episcopo & Presbytero sacrificantibus sub interminatione anathematis inhibetur, quem ab institutione divina manare dubium non est. Cùm enim Christum autorem, sanctum Missæ sacrificium agnoscat, partes etiam quibus constat essentialiter, aut saltem quoad istam integritatem divinâ lege neces- *c. 5. c. relatum. de consecr. dist. 2.* se est constitutas: unde à Concilio Toletano 12 adeo severè in hujus criminis reos est animadversum, quos hæc Concilij verba respiciunt, quibus cum imcumberet toties in singulis quæ unoquoque die offereban sacrificijs, communionem sanctam sumere, in extremi dumtaxat sacrificij oblatione omissis ceteris, temerè Sacramenta percipere detrectabant. *Quicumque Sacerdotum divino altario sacrificium oblaturus accesserit & se à communione suspenderit, ab ipsa quâ se indecenter privavit gratiâ communionis anno uno repulsum se noverit.*

ibid. [BAPTIZET INFANTEM NISI JEJUNUS] *Ad Can. 5.* Olim in usu fuit ut à jejunis in Ecclesia traderetur Baptismus, & hora nonâ quâ Christus in cruce expiravit, & [a] *C. 33. to. 2.* ex latere percusso aquam cum sanguine profudit, sicut legimus in Concilio veteri *Conc. Galliæ* [a] Parisiensi, & ex Concilio [b] Meldensi apud Burchardum [c] & Gratianum [d]; utri- [b] *C. 6.* usque eadem pene verba sunt: *Sicut enim Baptismus (exeptâ infirmorum causâ) non-* [c] *l. 4. c. 67.* *nisi à jejunis celebratur Sacerdotibus &c.* Quod tamen cùm difficile admodum videretur [d] *de consecr.* propter christianæ plebis multitudinem & parvulorum periclitantium instantem *dist. 5.*

Yuu

necessitatem, satiùs visum est legem hanc ea ex parte immutare atque eo pacto temperare, ut non nisi à sobrijs Sacerdotibus ejus dispensatio fieret, manè scilicet intra Officia divina, aut mox post ea peracta, non autem pomeridianis horis post epulas & prandium, nisi necessitas aut infantium periculum aliud exposcat. Hac de re insignem edidit Canonem Concilium [a] Moguntinum. Cujus disciplinæ imitationem S. Carolus Borromeus in Concilio suo Mediolanensi [b] 3, convivio solemni quod post filiorum Baptismum nonnulli opiparè exhibere solebant, animarum pastoribus interesse prohibuit. pag. 87

[a] c. 16. anno 1549. [b] Decr. 13.

[STOLA INDUTUS] Grecis est ωράριον, antiquis scriptoribus Ecclesiasticis usitatissimum, sine quo sacris ministris Sacerdotalia exercere munia nefas est, juxta Concilium Moguntinum. [c] Sed in Baptismo maximè celebrando adhiberi solitum testis est Theodoretus, [d] ubi mentionem facit sacræ stolæ ex aureis filis contextæ, quam Constantinus magnus ad Ecclesiam Jerosolymitanam cohonestandam Machario hujus urbis Antistiti donaverat, ut eâ amictus sacri Baptismatis ministerium obiret. ibid.

[c] Can. 28. [d] Lib. 2 hist Eccl. c. 27.

Ceterùm longè diversam priscis temporibus vocis hujus notionem ab ea quam recentior usus invexit fuisse non abnuo: nam veteres tum sacri tum prophani stolam dixerunt omne quod corpus tegeret, autore S. Isidoro [e] & Nonio, à nomine στολη quod indumentum significat. Inde passim stolam in veteri & novo Testamento usurpatam legimus pro veste candida talari, *quâ* (ut docet Durandus) *Patriarchæ ante legem utebantur, ac primogeniti cùm benedictionem patris acciperent induebant*, tamquam Pontificiæ dignitatis insigne quo in sacris utebantur. Processu verò temporis albarum usu succedente, *Stola mutata est in torquem*, quem Orarium ex antiquo nomine appellarunt.

[e] Orig. l. 18 c. 25. Rat. div. off. l. 3. c. 5. n. 6.

Hujus porro sacræ stolæ antiquissimum in Ecclesia usum ipso Apostolorum & Apostolicorum virorum ævo gestatæ produnt pleraque vestigia, quæ etiamnum supersunt in Ecclesiasticis monimentis, ac imprimis S. Jacobi Apostoli primi Jerosolymorum Episcopi stolæ sacræ, prætioso dono transmissæ à Theodosio sanctæ Theopoleos Antistite ad S. Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham, cujus meminit Epistola Synodica actis 8 Synodi œcumenicæ inserta. Antiquiorem exhibet Eusebius Cæsariensis, ubi recitat panegyrim dictam Paulino Tyriensi Episcopo ejusque collegis in Encænijs templi ab eo extructi; sic enim eos compellat pius encomiastes: *Amici Dei & Sacerdotes qui sacrosancto indumento podere, cœlesti gloriæ coronâ & divino Chrismate, denique Sacerdotali Spiritûs sancti stolâ decorati estis*, &c. Nec prætereunda videtur Eliæ Cretensis [a] ea de re observatio, quâ S. Gregorij Nazianzeni stolam Sacerdotalem eâ habitam observantiâ testatur, ut nonnisi sacris ministris eam liceret attingere: gestare autem fas cuipiam non erat, propter singularem tanti viri reverentiam. Stolæ meminerunt Concilia Græca & Latina maximè [b] Laodicenum, [c] Bracarense 3. Toletanum 4. omnesque qui de Ecclesiasticis officijs commentarios ediderunt.

Hist. Eccles. lib. 10 cap. 3.

[a] Orat. 1. Greg. Naz. quæ inscribitur Apologet. [b] C. 23. [c] C. 3.

[ET ALBA &c.] ποδήρης poderem græci vocant, talarem scilicet vestem lineam: superpellicium substituerunt recentiores in ministerio sacrorum, cujus nullum apud antiquiores quod sciam vestigium reperire est. ibid.

Ejus primum meminit Honorius [d] Augustodunensis, quem sequitur Durandus [e] Etymon nominis explicans, formam usumque describens.

[d] In gemma animæ lib. 1. c. 272. [e] Ration. divin. l. 3. c. 1. n. 10. & seq.

[ULTRA OCTAVUM DIEM RESERVANT.] Sacram Eucharistiam octavo quoque die innovari jubent Concilia, ne quid religiosam observantiam divino Sacramento debitam offendat, neve ut innuit Concilium [f] Aurelianense apud [g] Burchardum & Yvonem [h] aliquid corruptionis contrahat. *Oblata* (inquit) *quæ in altari offeruntur de sabbatho in sabbathum semper innoventur, quia panes propositionis qui super mensam Domini ponebantur à sabbatho in sabbathum, semper mutabantur, ne diu servati mucidi fiant.* Et Turonense [i] pari ratione ductum ultra septem dies prohibet reservari. Verùm legem hanc alioqui usque ad annum 1300 & amplius ad amussim servatam posteri abrogarunt, & ad dies quindecim statuerunt recondi posse, plures Synodi, inter quas Lingoniensis anno 1440 Senonensis 1524. Carnutensis 1527 Burdegalensis 1582 & aliæ multæ. ibid.

[f] C. 4. [g] l. 5. c 12. [h] p. 1. c. 22. [i] C. 4 Burcard. l. 5 c. 9.

pag. 87 [AQUAM BENEDICTAM ULTRA OCTAVUM DIEM &c.] Antiquissimum Concilij Nannetensis [a] Decretum indicat aquæ benedictæ singulis diebus Dominicis innovandæ, hac verborum serie conceptum: *Omnibus diebus Dominicis quisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido & tanto Mysterio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium ejusdem Ecclesiæ, cum crucibus, circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret; & qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua & per mansiones & agros & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, necnon super cibos & potum suum conspergat.* Hinc ad omnes Occidentis Ecclesias consuetudo hæc derivata est, posterorum sanctionibus firmata, ac statutum ut Presbyteri singulis quibusque Dominicis diebus aquam lustralem albâ & stolâ induti antequam sacrum faciant benedicere non omittant. De quo extat præceptum ante octingentos annos à Leone IV. Presbyteris datum: *Omni die Dominicâ ante Missam, aquam benedicite unde populus aspergatur, & ad hoc proprium vas habete*; Et ex Hincmaro Remensi in Synodo anno 874 habita. Formam enucleatiùs præscribit Concilium Ravennatense anno 1311 celebratum, & alia recentiora quibus supersedeo.

a c. 5. apud Burcardum lib 2. c. 52.

Homil. 4. tom. 5. Conc.

In Syn. to. 3. Conc. Gall.

Non ita frequens est apud Græcos hujusmodi renovatio, sed singulis dumtaxat mensibus in Palatio Constantinopolitano institui consuevit Codino teste, excepto Septembri & Januario. Duplicem enim aquam benedictam prædicant græci ut observat Jacobus [b] *Goar* majorem & minorem. Illa pervigilio necnon ipso Epiphaniorum die in Missa conficitur. Hæc cujusque mensis principio: illa Christi nomine, hæc Deiparæ benedicitur: illa pœnitentibus prohibita, comedentibus, vel abominandis quibusque expiandis, necnon dæmonibus terrendis consecrata, hæc privatis alijs usibus communibusque rebus sanctificandis dicata.

Codin. de Offic. Constant. c. 14.

b Not. ad c. 14. Codini de Offic.

Utriusque benedicendæ ritum & officium exhibet græcorum Euchologium, ex quo paucula hic attexere lubet quæ ad ritum ejus spectant. *Sacerdos acceptâ venerandâ cruce, ter aquis benedicit, rectam eam immittens in aquam, ac deinde eam educens; mox eductam venerandam crucem osculatur sacerdos, ac pariter omnis populus, deinde aspergit cœtum omnem hac eadem aquâ benedicta*, &c. ex Euchologio supplenda.

ibid. [HOSTIAS ITERUM CONSECRANT] hoc quippe citra immane sacrilegium patrari nequit, est enim hæc divina institutio ut consecratio hujus Sacramenti fiat solùm offerendo Deo sacrificium incruentum.

ibid. [DONUM SANCTI SPIRITÛS] *Ad Can.* 7. Ex Canone Aurelianensis [a] Concilij desumptus est, quem referunt Herardus [b] Turonensis & [c] Burchardus, & habetur de consecratione distinct. 5. *Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur confessiones facere priùs ut mundi donum Spiritûs sancti valeant accipere.* Utrumque usus subsequentium temporum comprobavit. Nam præter antiquas Odonis Parisiensis constitutiones Synodales circa annum 1275 editas, Trecenses anno 1427 promulgatas & Lingonenses anno 1404 factas, accessit recentiorum consensus Conciliorum Senonensis 1524 Parisiensis 1527. Remensis 1583 & aliorum plurium. Neutrum tamen per modum præcepti, sed ut magis ac magis Sacramenti hujus dignitati ac reverentiæ prospectum sit, ut docent communiter Theologi.

a C. 5.

b c. 75. to. 6. Concil. Gall.

c l. 4. c. 60.

Hanc porro jejunij legem Episcopo utrobique imponit Concilium Meldense, hoc Canone: *Ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant* &c. æquum enim judicat ut sicut à jejunis solemnis solet celebrari baptismus, ita etiam traditio sancti Spiritûs à jejunis Pontificibus celebretur. Idem statuit Concilium Parisiense sub Ludovico & Lothario.

c. 6. apud Burc. l. 4. c. 67.

l. 1. c. 33.

ibid. [NEQUE ABSQUE IGNE FIAT] Rotomagensi Provinciæ peculiare forsitan fuerit id statuti, cujus nullum alibi vestigium est deprehendere.

ibid. [DANDIS SACRIS ORDINIBUS APOSTOLICÆ AUTORITATIS VIOLATORES] Apostolicæ autoritatis est sacras ordinationes non temerè & sine delectu, sed statis diebus ac temporibus celebrare. Licet autem non una olim omnium fuerit ea in re consuetudo; si quidem græci nullum certum observant diem, ut ex S. Leonis Epistola [g] ad Dioscorum liquidò colligitur, & docet Ostiensis [h] in summa & glossa. Attamen in eo convenerunt patres antiqui ut in quatuor anni temporibus quibus jeju-

g c. 1.

h de temp. ordin. quo temp. Gloss. in cap. cùm secundum & cap. quod translatione de temp. ord.

nia celebrantur, ſabbathis videlicet duodecim lectionum, ut loquuntur, id muneris exequerentur. At verò remittente in dies antiquæ diſciplinæ vigore, nonnulli pro libito ſacros ordines contra majorum inſtituta conſerre attentarunt: qua de re à multis jam inde retro ſæculis prodijt Concilij [a] Cabilonenſis ſub Carolo magno Canon editus, necnon hac eadem ferme ætate Synodi [b] Lemovicenſis Decretum, quo ſubintroductum perperam in hiſce regionibus morem ad priſtinum revocavit, ac extra tempora ſacris Canonibus ſtatuta, ſabbatha videlicet duodecim lectionum quod aiunt, fieri prohibuit.

pag. 87.

[a] c. 23. anno 813.
[b] Act. 2. anno 1028.

Hic porro notandum venit, ideo majores noſtros ſabbatha hæc duodecim lectionum appellaſſe, quia ut docet Alcuinus, etſi ad Miſſam ſex dumtaxat lectiones legantur, quia tamen à Romanis olim bis legebantur, hoc eſt, græcè & latinè, tum propter linguæ latinæ imperitos, tum propter Eccleſiæ utriuſque unitatem, propter duodecim lectores, lectiones totidem dictæ ſunt. Quem uſum Conſtantinopoli ſervatum ſuâ ætate tradit Alcuinus. Vide Honorium Auguſtodunenſem, Gemmæ animæ lib 3 c. 108.

de divinis Offic. c. de 12 lect. ſabb.

[Decretis Leonis Papæ.] Epiſtola Decretali 81. c. 1. ad Dioſcorum Alexandrinum, & Epiſtola 89 c. 4. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis ſcripta. ibid.

[Non passim diebus omnibus] Licuit extra ſtatutos dies nonnunquam perſonarum ſingularium inaugurationi intendere. S. enim Paulinus Nolanus ordinatum ſe Presbyterum ait die Natalis Domini. S. Ambroſius Paulino teſte [a] poſt ſuſceptum baptiſmum accepto ſingulis diebus uno ordine, octavo die Epiſcopus conſecratus eſt. Badegiſilus ex majore domûs Clotarij I. Cœnomanorum Epiſcopus creatus, intra 40 dies gradus omnes eſt ſortitus, ut autor eſt Gregorius Turonenſis. De Rainaldo item Andegavenſi tradit Gofridus Vindocinenſis intra 8 dies extra conſtituta tempora ordines omnes accepiſſe. ibid.

Epiſt. ad Senec. 6.
[a] In Vita S. Ambr.
l. 6. c. 9.
l. 3. Ep. 11

[Post diem sabbathi] Veſperam diei ſabbathi extra ſabbathum collocat, ac diei Dominicæ quæ eſt in exordio noctis ſabbathi ad Dominicam vergentis, juxta antiquum Eccleſiæ morem deputat. Moris quippe olim fuit à veſpera dies feſtos auſpicari & ad veſperam diei ſequentis perducere ſecundùm veteris legis præſcriptum; *à veſpera ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra.* ibid.

Levit. 23. verſ. 32

Hoc porro inſtitutum Judæorum poſtea imitata Eccleſia ſuis legibus cautum voluit ut à veſpera pari ratione dies feſti ſumerent exordium, ut notum eſt ex Can. 91 ſextæ Synodi, ubi circumſcribitur dies Dominicus & ceſſatio à genuflexione, à ſynaxi veſpertina ſabbathi ad ſequentem ſynaxim veſpertinam Dominicæ. Pari religione ſervatum eſt in Occidentali Eccleſia, ut ex multis Conciliorum Decretis patet, imprimis verò Concilij Compendienſis: *Vt omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam obſervari decrevimus, & ab illicito opere abſtinere* &c. [a] Lugdunenſe verò plebibus ſedulò denuntiare præcipit quinam dies annuatim feriandi ſint: Nec id ſolùm ratione divini officij celebrandi; ſed maximè de ceſſatione ab opere ſervili & alijs operibus prohibitis ſtatutum fuit, ita ut ejuſmodi opera intermitterentur à veſpera ſabbathi, & Dominicæ veſperâ reſumerentur, quod ex libris [b] Capitularium Caroli & Ludovici, & ex Synodo [c] antiqua, quæ ſancto Udalrico tribui ſolet: *Diem Dominicum & alias Feſtivitates abſque opere ſervili à veſpera ad veſperam celebrare docete.* Idem alijs feſtis dicendum. Ab ea verò obſervatione paulò poſt deflexit Eccleſiæ uſus communis; diemque non à veſpera, niſi quantum ad officij divini celebrationem & Canonicam computationem, ſed à media nocte metiri placuit, ut docet gloſſa ad caput; *Quoniam de ferijs.*

in Trullo.
c. 2. apud Burch. l. 2. 81.
[a] c. 4. apud Gratianum diſt. 3. c. pronuntiandum
[b] lib. 6. Capitul. tit. 186
[c] Auguſt. ſub S. Vldarico c. 53.
lib. 2. decret. tit. 9 de Eccl. obſervat. c. 29

[Si mane dominico die &c.] Ex Decretis ſupradictis planum eſt ſacrorum ordinum celebrationem ad Dominicam potiùs quàm ad ſabbathum pertinere, unde & Romanus ordo, ut rectè obſervat Micrologus in quadrageſima, in ſabbatho ordinationum orationem ſuper populum interdicit, ad quam antiqui non ſolum capita, ſed & genua flectebant, quod Nicæni Canones in Dominica fieri penitus vetant. ibid.

C. 20

[Quo diem resurrectionis] Non diem Reſurrectionis preciſè, ſed Dominicum, Chriſti Domini Reſurrectioni ſacrum accipe: Juxta S. Leonis intellectum, ibid.

Epiſt. 81 c. 1.

ex

ex ſequentibus planum. *Sicut etiam in Paſcha Domini pertinere non dubium eſt.* Et infra eadem Epiſtola, poſtquam benedictiones Sacerdotum &c. extra Dominicam fieri inhibuit, ſtatim ſubjungit : *In hac denique promiſſus à Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit, ut cœleſti quadam regula inſinuatum & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis myſteria Sacerdotalium benedictionum in quo collata ſunt omnia dona gratiarum*; ibi enim recenſet diei Dominicæ prærogativas : quia nimirum eſt prima dierum orbis creti, Dominicæ Reſurrectionis dies, ac denique ea quâ Spiritus ſanctus Apoſtolis datus eſt, ratione quarum in illa die Ordines ſacri celebrari debeant. Hodiernus tamen uſus ſabbathis quatuor temporum Ordines conferendi antiquus eſt. Nam Chrodegandum Metenſem Epiſcopum qui temporibus Caroli Martelli & Pipini floruit, ita feciſſe autor eſt Paulus Diaconus.

pag. 87. | *lib. de Epiſc. Metenſibus.*

pag. 88 [SECUNDUM DIVINAM INSTITUTIONEM] juxta morem loquendi ſanctorum Patrum, divinæ inſtitutioni tribuit jejunium quatuor temporum : quod etſi ab Evangelio aut ab Apoſtolicis ſcripturis ſibi autoritatem minimè vendicet, quoad temporis determinationem, ſecundum illud divi Auguſtini. *Quibus diebus non oporteat jejunare & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum*: Inficiari tamen nemo jure poterit in utroque Teſtamento fundari; immo veteris legis exemplo in Eccleſiam invectum non obſcurè tradunt S. Iſidorus [a] & Hugo [b] Victorinus, quaſi teſtimonium habens à lege, Prophetis & Evangelio; ejus quippè typum in Zacharia [c] deprehendere licet, ubi 4 tempora conceptis verbis Judæorum populo ex divino præcepto Propheta ſervanda denuntiat. Jejunium 4, jejunium 5, jejunium 7, jejunium 10 &c.

Epiſt. 86. ad Caſulanum.
[a] *de Eccleſ. offic. l. 1. 36 & 37*
[b] *de Miſſ. obſerv. l. 3. c. 1.*
[c] *c. 8. v. 16*

ibid. [PRIMA HEBDOMADA MARTIJ] pro more illius temporis, quo ex præſcripto Conciliorum [d] Moguntini & [e] Saleguniſtadienſis in primam Martij hebdomadam conferri conſueverat, uſque ad tempora Gregorij VII. qui conſtituit, ut jejunium, quod antiquis Canonibus menſi Martio tribuitur, in 1. quadrageſimæ ſeptimana quotannis pariformiter celebretur, quod quidem non tam inſtituiſſe quàm reſtituiſſe cenſendus eſt. Nam S. Gregorius magnus tum in Sacramentario, tum in Antiphonario antiquo ejuſdem jejunij officia 1. quadrageſimali hebdomadæ aſcripſit. Idipſum quoque vel ex eo maximè inſinuat, quòd Dominicam vacantem (quam ſecundam quadrageſimæ eſſe decrevit) jejunium neceſſario in prima hebdomada præceſſiſſe debuerit: Non enim *Dominica vacans* appellatur, niſi quam ſabbathum duodecim lectionum ſeu 4 temporum, ut ſupra monuimus antea præceſſerit. Gregorius item II. Eccleſiæ Moguntinenſi, ſeu potius Turingiæ de ordinatione S. Bonifacij ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis ſcribens, præcipit ut ordinatio quæ Martij jejunio aſcribi ſolet in ingreſſu quadrageſimæ cum eodem jejunio celebretur. Sanctus Leo magnus utroque longè antiquior vernale jejunium in quadrageſima fieri voluit, quem ſecutus eſt Gelaſius I. qui de temporibus ordinationum congruis agens, initij quadrageſimalis jejunij expreſsè meminit, quod quidem non à capite jejunij, ſed â Dominica ſubſequenti computandum nemo negaverit.

[d] *C. 34.*
[e] *C. 2.*
Epiſt. 4 tom. 1. Conc. Gall.

Et ut altiùs rem repetamus S. Hieronymus in libro comitis, cujus meminit Honorius [f] Auguſtodunenſis, quemque lectionarium appellat Micrologus [g], lectiones & Evangelia de eodem jejunio eidem hebdomadæ attribuit. Hæc autem poſteri minus attendentes ab antiquioribus Patrum inſtitutis deflexerunt : quapropter ſanxerunt Concilij Moguntinenſis Patres, ut deinceps in prima hebdomada Martij, 2 Junij, 3 Septembris, & ea quæ in Decembri 3 Natalem Domini præcedit, jejunaretur. Ex quo rurſus cùm non levia intercederent incommoda, ex eo quod jejunium nonnunquam ante quadrageſimam fieri contingeret : quia ex Quadrageſima proprium ſibi aſſumebat officium, uſque in Quadrageſimam refundere compellebantur, incongruum exiſtimantes ejuſdem jejunij lectiones, Quadrageſimæ ſpecialiter addictas, & orationes ſuper populum extra Quadrageſimam ſumere. Eam obrem, ut nimirum incommodis ex eo decreto emergentibus occurreretur, ſagaciori conſilio proviſum eſt, ut antiqua revocaretur conſuetudo in priorem Quadrageſimæ hebdomadam jejunium referendi

[f] *l. 1. Gemmæ anim. c. 88*
[g] *de Eccl. obſerv. c. 25.*
C. 34.

Ea de re jam ante Gregorij VII tempora Concilium Tribarienſe [h] (cujus acta ſum-

[h] *ſub Conrado Imp. 1036.*

i l. 1. c. 51. matim describit Chronicon i Cameracense) antiquam Patrum consuetudinem servari sancivit, ut in priori Quadragesimæ hebdomada Officium jejunij primi mensis more majorum celebraretur, sicque utriusque jejunij triduani scilicet & Quadragesimalis, celebritas unâ officij expletione compleretur. pag. 88

[SECUNDA JUNIJ] hæc pro ratione eorum temporum quæ ex Concilij Moguntinensis supra memorati Canone consequuntur, cujus observationi tum inhærebat Ecclesia. Fuit nihilominus longè antiquior usus jejunij celebrandi in ipsa Pentecoste, ut ex S. Isidoro [a] clarum est & S. Leone [b] magno. ibid.

[CLERICI QUI NON ELECTI &c.] *Ad Can. 19.* Secundum formam veteris Ecclesiæ quâ sacris ministerijs non temerè & irreverenter licebat irruere, ut S. Bernardi [c] phrasi utar, *instar divinæ sponsæ nec Christi sponsi cubiculum nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumebant, sed cleri votis, populi suffragijs, vocatione legitimâ & electione utriusque praeunte, tamquam Aaron, inviti ut plurimùm & renitentes cooptabantur;* ut notum est ex antiquis Patrum monimentis, Concilio [d] Carthaginensi 4, Cypriano [e], Siricio [f] Papa, Leone [g] magno; ex græcis verò S. Basilio [h], & Theophilo [i] Alexandrino. Eam porro disciplinam restitutam cupit Concilium Nicænum, eorumque ut temeritati aditum præcludat, contra furtivè ordinatos, eos scilicet qui citra conscientiam Episcopi sui absque examine dolo malo contra Canonum instituta promoventur districtè animadvertit. Hos jam olim magni Concilij [k] Nicæni regula perstrinxerat, quam subindicare videtur Suessionensis [l] Synodus apud S. Medardum in fine, ubi ait: *judicatum est à Synodo secundum sacros Canones, sicut scriptum est, ut qui Presbyteri sine examinatione per ignorantiam vel ordinantium dissimulationem sint provecti, cùm fuerint cogniti, deponantur: quia quod reprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia.* ibid.

Accuratam examinis hujus formam tradit Concilium [m] Nannetense, eosque qui ad sacrum ministerium accinguntur, feriâ 4 ordinationem præcedente evocari jubet ad civitatem, ut cum Archipresbyteris suis qui eos præpositorum ab Episcopo audientiæ sistant, ibique testimonium anteactæ vitæ, morum patriæ, generis; institutionis &c. religiosè proferant, adjectâ contra Statuti hujus reos pœnâ remotionis ab altari.

a l. 1. c. 37
b Serm. 1. 2. 3. & 4. de jejun. Pentec.
c declam. in illud. Ecce nos reliquimus omnia.
d C. 22.
e Ep. 33 & 68
f Epist. 3. ad Orthodoxos.
g Epist. 88.
h Epist. 118
i In edicto c. 6.
k C. 9. apud Gelasium Cyzic. l. 2.
l ex anth. August. l. 28 t. 12. c. 36.
m C. 11.

[CETEROS ORDINES NON HABENTES] Per saltum ad Ordines superiores promoveri non patiuntur sacri Canones, sed per gradus ascendere jubentur ordinandi, ac præcipuè antiquo Canone Synodi Romanæ 2. [a] sub Sylvestro, ac Decretis Siricij [b], ut videre est apud Yvonem [c], Zozimi [d], ac Leonis [e] magni, qui laïcorum quemlibet ad primum, vel secundum aut tertium in Ecclesia gradum vetat ascendere, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. Sicut & casum censet appetere divus Gregorius [f] qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum: ideoque ordinatè ad sanctos Ordines ascendendum esse pronuntiat: secus verò facientes depositionis pœnâ plectendos judicat Concilium Suessionense apud S. Medardum in accusatione Hincmari apud Antonium [g] Augustinum, in hæc verba: *qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilivit, in degradationem debitam resilire debet.* ibid.

a C. 11.
b Ep. 1. c. 8. in fine & 9.
c p. 6. c. 91.
d C. 1. & 3
e Ep. 85. ad Episc. Afric. c. 1.
f Ep. 21. ad Siagr. &c. Episc. tom. 1. Concil. Gall.
g l. 7. tit. 4. c. 14.
h C. 1.

[QUI CORONAS BENEDICTAS HABUERUNT] *Ad Can. 10.* Phrasis tum maximè celebrata: quâ utitur Concilium [h] Pictavense 2, per Joannem & Benedictum Cardinales Apostolicæ sedis Legatos in Gallia anno 1109 celebratum, quo cavetur ut nullus præter Episcopum coronas benediceret, id est, per tonsuræ signaculum quemquam cooptaret in clerum; præter Abbates, qui illis tantummodo coronas benedicant, quos sub regula S. Benedicti militaturos susceperint. Hanc eamdem loquendi formulam usurpavit Concilium Senonense anno 1269 præside Petro *de Charni* ejusdem Ecclesiæ Antistite habitum, ac conceptis verbis Canonem nostrum suis Constitutionibus inseruisse probatur. ibid.

[VENDUNTUR ET EMUNTUR CURÆ PASTORALES.] *Ad Can. 12.* Jam tum maximè nefanda hæc simoniæ lues in Ecclesia Gallicana grassabatur, adeo ut frequenti Conciliorum congressione vix ex hominum animis post annos multos exturbari potuerit; tam fœdè enim Galliam infecerat, ut in uno Lugdunensi Concilio, quod auto- ibid

Anno 1055.

pag. 88. ritate Apostolicâ Hildebrandus Victoris II. Papæ Legatus à latere ad corrigendos depravatos ejus mores congregarat, præter alios Prælatos Ecclesiarum viginti septem, Episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse palam confessi sint, & suis se honoribus ultro absque alia accusatione abdicarint.

Frequentissima sunt quæ tum in Italia, tum in Germania, tum in Anglia passim occurrunt collecta Concilia. In primis Romanum [i] sub Clemente II. In quo Petro [l] Damiani teste, illud potissimum annitente Henrico II. Imperatore curavit, ut scandalum hoc de domo Dei tolleretur. Plura sub Leone IX. Ecclesiastici scriptores commemorant. Alterum biennio post ibidem collectum testis est Hermannus Contractus in chronico. In eo confirmatum Clementis II. Decretum docet Petrus Damiani [m]; anno 1051 alterum.

In Romana item Synodo Episcoporum judicio sub præsentia Nicolai II. Anno 1050 habitæ iterum proscriptam ejusdem Synodi acta testantur. Sed & occasione Petri Florentini hæreseos ac simoniæ accersiti, in consessu 100 & amplius Episcoporum [a] hujus criminis reos damnavit Alexander II. ac sæpiùs Epistolis suis [b] exagitavit.

Tandem in extirpanda simoniaca pravitate de Ecclesia, strenuè laboravit Gregorius VII. multisque eam ob causam habitis Concilijs evellere sedulò contendit: Sed maximè Concilio [c] Romano quod jam ab ipso sui Pontificatûs initio celebravit, ut ex ejus actis patet Alia plura in Germania eo nomine convenerunt, alterum Moguntiæ [d], præsentibus Leone IX. Papa, & Henrico 2. Imperatore: tempore Alexandri 2. alterum, in causa Caroli Constantiensis Episcopi simoniæ postulati, Londinense in Anglia [e] tempore Gregorij 7. Lanfranco Cantuariensi autore & præside: Alterum apud Westmonasterium autoritate Joannis de Crema Cardinalis & Legati Apostolici sub Honorio 2.

Cùm verò totam Ecclesiam Gallicanam turpiter præ ceteris fœdasset, in ea convellenda plurimùm laborarunt Gallicani præsules ac præcipuè Concilijs Remensibus tum sub Leone 9. anno 1049. tum sub Calisto 2. anno 1119. Lugdunensi anno 1055. Trecensi 1104. Tolosano quod jubente Victore 2. ob extirpandam funditus simoniacam hæresim, directis vice sua Rambaldo Arelatensi & Pontio Aquensi Archiepiscopis, ascitisque sibi Wifredo Narbonensi, & alijs quibusdam Episcopis celebratum est. Nec mirum si in Regno Christianissimo tanto studio, Ecclesiæ Gallicanæ probro ac dedecori occurrunt Gallicani Præsules, cum simoniaca labes ipsis etiam Arrianis à Deo execranda visa est, ut Athalaricus Gothorum Rex Arrianus [f] edito singulari Decreto Senatus-consultum adversus simoniacos factum confirmavit. Immo simoniacos contractus deferentibus ad judicium prœmium, constituit, additâ rei judicatæ tertiâ parte, ei qui tale facinus voluisset apud judicem publicare.

[i] *An. 1047.*
[l] *Epist. 16 ad Henr. Episc. Ravennatem c. 27.*
[m] *ubi suprà c. 3.*
[a] *Conc. Rom. sub Alexandro 2 1063.*
[b] *Ep. 2. ad omnes Episc. de gestis Rom. Syn. & Epist. ad Gervasium Remensem.*
[c] *sub Greg. 7 à C. 6. usque ad 10. anno 1074.*
[d] *anno 1049.*
[e] *anno 1075.*
[f] *Ep. ad Ioan. Papam.*

Ibid. [Nuptiæ in occulto non fiant] *Ad Can.* 13. Ab omni ævo clandestina connubia execrata est Ecclesia, tum Orientalis tum Occidentalis. Clandestinorum autem nomine veniunt nedum ea quæ citra Presbyteri Parrochialis & testium præsentiam fiunt, sed etiam ea ut loquitur Synodus Lingoniensis, quibus desunt honor & benedictio in facie Ecclesiæ, juxta Canonicas sanctiones impertienda: quam prætermittere nefas duxerunt primi Christiani; adeo ut, Tertulliano teste, penes eos occultæ conjunctiones, idest, non priùs apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitarentur. Eas Decreto solemni ut publicæ honestati repugnantes bonisque moribus adversas prohibet Hormisda apud [g] Burchardum & [h] Yvonem. *Vt nullus fidelis cujuscumque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione à Sacerdote acceptâ publicè nubat in Domino.* Hoc autem à majoribus acceptum, ut par est credere, ad posteros transmittit. A patribus siquidam Concilij Carthaginensis 4. *Statutum est ut sponsus & sponsa dum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur* &c. & S. Leo ab Yvone Carnutensi laudatus, (D. Augustino tribuit Concilium Trosleïanum) usum veterem Ecclesiæ commemorans: *Eas dotes in Christiana sponsa requirit, ut sit virgo casta & desponsata in virginitate, & dotata legitimè & à parentibus tradita, & à sponso & à paranymphis accipienda, & ita secundum legem & Evangelium publicis nuptijs honestè in conju-*

anno 1404.
l. 1. de pudicitia c. 3.
[g] *lib. 9. c. 3.*
[h] *l. 8. c. 148*
C. 13.
l. 8. c. 140

c. 16. anno 755 l. 7. c. 129. *gium liquidò sumenda*, quantum in eo religiosi extiterint nostrates Galli, leges tum canonicæ tum civiles identidem eo nomine latæ, usu perenni firmatæ demonstrant, sed maximè Concilio Vernensi. *Vt omnes laïci publicas nuptias sciant*; ex Capitularibus Caroli magni, quibus sancitum est: *Vt publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt, fiant, quia sæpe* (inquit Canon.) *in nuptijs clam factis gravia peccata, tam in sponsis aliorum quàm & in propinquis, sive adulterinis conjugijs, & quod pejus est dicere, consanguineis accrescunt, vel accumulantur*: Idipsum quasi ab antiquioribus institutis excerptum revocare contendunt Concilia Arelatense apud [a] Yvonem, & Trosleïanum [b] quibus nuptiæ citra Sacerdotalem benedictionem & clam factæ prohibentur: quas utrobique mirâ consensione damnarunt jura civilia, tum græca tum Romana, denuntiatis etiam gravibus pœnis adversus delinquentes, ut legenti palam est. Ea de re extat Novella Basilij [c] Imperatoris juri Græco-Romano inserta apud Leunclavium. *Nullus secretò coronatur, sed in præsentia plurium* (Imperatoris verba sunt) *Coronari porro, est nuptialem benedictionem accipere; eo quod juxta priscorum morem, sponsi Sacerdotali benedictione perceptâ coronas in capitibus gestare consuevissent egressi de Ecclesia*, in qua de more servabantur, ut docet Nicolaus I. ad consulta [d] Bulgarorum. Pag. 88.

a decret. l. 8 c. 7. b C. 8. anno 909. Vide Photiū nomoc. t. 13. c. 9. apud Balsam. ff. l. 23. c. 2. de ritu nupt. cap nuptiæ. c c. 4. apud Leuncl. p. 87 d C. 3. a l. 2. ad uxorem c. 9. C. 3.

[NEQUE POST PRANDIUM] nonnisi ad Missam nuptias celebrari solitas ex Apostolica traditione certum est promanare: cui Tertullianus [a] Apostolicorum temporum vicinus egregium perhibet testimonium, ut Christiani conjugij leges enumerans, eas præ ceteris recenset: *Quod nimirum Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli Deo renuntiant* &c. Quòd verò Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ usu recepta sint, Theophili Alexandrini responsum apud Theodorum Balsamonem domonstrat, & Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, qui inter alios ritus ab Ecclesia Romana in conjugijs celebrandis observari solitos, *primùm quidem*, inquit, *in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum statuuntur* (sponsi) *sicque demum benedictionem & velamen suscipiunt.* Planiùs autem Concilium Mediolanense apud Yvonem Carnutensem Canone 2. *In primo conjugio debet Presbyter Missam agere & benedicere ambos* &c. ita Concilium. Ex quibus patet non nisi manè à jejunis, non à prandio nuptias solitas benedici inter Missarum solemnia. ibid.

Decr. l. 8. c. 146.

[A SACERDOTE BENEDICANTUR.] *Tametsi veteri lege matrimonium solo contrahentium consensu ratum consisteret, Christianæ nihilominus leges Sacerdotalem benedictionem adhiberi adeo religiosé sanxerunt, ut eam temere prætermittere primis Christianis piaculum videretur; occultasque nuptias reputarent, quibus hæc præter Domini præceptum forma deesset*, ut loquitur S. Martyr Ignatius [a] morum Ecclesiæ primitivæ fidelissimus testis. Ideo juxta veteris Ecclesiæ ritum non solo nubentium consensu Christiana conjugia ritè perfici contendunt ex Græcis Theodorus Balsamon & Constantinus Hermenopulus; sed Sacerdotales preces necessariò prærequiri docet: *Quia* (ut ait Theodorus [b] Balsamon) *per sacrum officium & divinam Corporis & Sanguinis Christi participationem constituitur.* Immo fornicarijs accenset Nicephorus [c] Cartophilax, non conjugatis, eos quibus deesset nuptialis benedictio, atque à divinorum sacramentorum participatione arcendos prænuntiat. ibid.

a Epist. ad Policarp. b l. 4. titulo 4. in scholijs. b Schol. ad c. 26. Epist. S. Basil. ad Amphilochiū c Epist. ad Theod. Monach.

[IN MONASTERIO] Vocabulum antiquis scriptoribus celebratissimum Ecclesiæ, seu Basilicæ, vel Oratorio significandis usurpatum: sed potissimùm collapso jam in occidente latini sermonis nitore, vulgari idiomate, *Monstier*, Galli nostri veteres appellant. Vocis hujus frequens admodum usus est apud Gregorium Turonensem, Fredegarium, Abonem Floriacensem, & plerosque alios rerum nostrarum scriptores ævi antiquioris, penes quos Monasterij vocabulo Ecclesia, seu basilica intelligitur: quemadmodum à sensu contrario, in chartis & diplomatibus antiquis, Ecclesiæ nomine Monasterium seu Collegium, aut certe beneficium Ecclesiasticum tum sæculare, tum regulare venire consuevit per Synecdochen à nobiliori parte sumptâ denominatione; æde nimirum sacrâ cultui divino dicatâ, quâ potissimùm constant. Interdum autem Monasterij nomine sacra ædes Monastica, nonnunquam Ecclesia Cathedalis, sæpiùs verò Parœcialis designatur. ibid.

c de vita contemplativa.

Antiquiorem prioris nomenclationis hujus usum exhibet Philo [c] Judæus apud

Eusebium

pag. 88 Eusebium [f] de primis Monachis Alexandriæ degentibus, quos Essenos vocant, ita loquitur. *Est autem in singulis locis consecrata orationis domus quæ appellatur σεμνεῖον καὶ μοναστήριον σεμνεῖον autem in nostra lingua significare potest honestorum conventiculum, in quo secedentes*, inquit, *honesta vitæ & casta mysteria celebrant, nihil illic prorsus quod ad cibum potumque pertinet inferentes, vel ad reliqua humani corporis ministeria, sed legis tantùm libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque* &c. Hæc Eusebius de Essenorum oratorijs. [f] *Hist. Eccl. l. 2. c. 17 juxta versionem Rufini.*

De Basilica verò Cathedrali Rotomagensi Virgini Deiparæ sacra, Dudo S. Quintini vetus rerum Normanicarum scriptor hæc habet: *Richardus I. Rotomagensi urbe in honore Dei Genitricis ampliavit mirabile Monasterium longitudinis & altitudinis exspatiatum incremento.* Quæ sanè nulli alteri Basilicæ conveniunt, quàm ei quæ nunc extat Richardi 1. impensis, & Roberti ejus filij tum Rotomagensis Præsulis operâ ac studio ædificata. *l. 3. pag. 155*

Ecclesijs subinde Parœcialibus tribuunt plerique autores & Chartæ veteres præter Radulphum Glabrum. Una suffecerit ex nigro codice Sandoëniano excerptâ, quæ est Joannis de Pratellis pro componenda cum Rogerio S. Audoëni Abbate oborta controversia, ubi legitur: *Convenientes ergo, ego & homines mei & dictus Abbas S. Audoëni, apud Monasterium de Isnevilla* &c. Vicus est unâ aut alterâ ab urbe Rotomagensi leucâ dissitus, in quo nulla usquam Cœnobij extitit memoria. Hoc ipso sensu accipienda Monasteria, de quibus Ordo Romanus ubi de aqua Sabbatho sancto benedicenda agitur. *Hist. ad annum 1003*

ibid. [Utrorumque progenies inquiratur] Mos antiquus connubia publicè denuntiandi, ab Ecclesia Gallicana ad alias manavit, ut videre est ex Collectione 4. veteri Decretalium edente Antonio [a] Augustino, & ex Concilio Lateranensi [b], in quo Innocentius 3. specialem quorumdam locorum (Gallorum videlicet) consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuit ut *cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesijs per Presbyteros publicè proponantur competenti termino præfinito*, &c. [a] *l. 4. decret. tit. 1. c. 1* [b] C. 5.

ibid. [Infra septimam generationem] Ab exordio nascentis Ecclesiæ usque ad Concilij Lateranensis 4. tempora, ad septimum usque gradum prohibitas nuptias Innocentius 3 in Concilio generali ad quartam generationem definiri voluit. *C. 50.*

ibid. [De Sacerdotibus et Levitis] *Ad can. 14.* Hic jam non amplius de Sacerdotibus & sacris ministris Græcorum more ante susceptum ordinem conjugatis, arbitrio suo relinquendis quæstio versabatur, sed revera de abominatione desolationis è loco sancto auferenda actum est. His siquidem perditissimis temporibus eo impudentiæ proruperat sacrorum Ecclesiæ ministrorum incontinentia, ut omni abjecto pudore ac omni Dei timore deposito, sacrilegis ceremonijs Beelfegor initiari non erubescerent, hoc est, contra Castitatis Ecclesiasticæ regulas palam feminis ac impunè admiscebantur Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, atque etiam ipsi Episcopi: sicque redivivam Nicolaïtarum hæresim eo nomine appellat Concilium [a] Turonense 2, in sanctuarium Dei illatam jam tum erubescebat Ecclesia. Nicolaïtas vocat Petrus [b] Damiani Clericos Concubinarios, qui in sacris ordinibus constituti, horrendo nihilominus scelere fœdi commercij copulas inire non verebantur; à Nicolao qui primus hanc dogmatizavit hæresim, nomen sortiti. Hæresim appellat post S. Epiphanium hanc lethiferam pestem, quam velut ex autoritate defendebant. Vitium quippe in hæresim vertitur, cùm morum depravationi perversi dogmatis firmamentum accesserit. [a] *C. 19.* [b] *Opusc. 17. Nicol. 2. Papæ oblato.* *Hæresi 25* & Apocal. 2.

ibid. [Et Subdiaconibus] Subdiacono juxta, atque Diacono & Presbytero continentiæ legem jura antiqua indicunt; nec olim ordinatis sive græcis sive latinis matrimonia contrahere, nec contractis uti licuit primis Ecclesiæ sæculis. Si quid verò secus attentatum est, id perperam factum probant innumeræ propemodum tum patrum tum Conciliorum sanctiones. In primis, (ut de recentioribus quas supra commemoravimus taceam) in latina Ecclesia antiquissimum Concilium [a] Eliberitanum in Hispania; *Placuit*, inquit, *in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis abstinere se à conjugibus &c.* Quanto magis conjuges sibi de novo sociare? Quod postea speciali edito Canone inhibuit Concilium Toletanum [b] primum indictâ [a] *c. 33. anno 305.*

depositionis pœnâ Subdiacono, qui ausus fuerit nubere defunctâ uxore quam ante pag.
c c. 1. anno ordinationem duxisset. Toletanum item 2 [c] exploratum cupit juniorum Clericorum 88.
531. & c. 3. de servanda continentia votum, priusquam in Subdiaconos cooptentur, quos adhuc
c. 6. impuberes Ecclesiæ obsequijs voluntas paterna devovisset. Toletanum [d] porro 8 jam
susceptο ordine matrimonium contrahentem, in Monasterium pœnitentiæ causa re-
d de Eccles. trudi jubet. Hæ sunt priscorum Patrum Sanctiones de quibus S. Isidorus Hispalen-
Offic. l. 2. sis ut *quia* (inquit) *Sacra contrectant placuit ut casti sint & continentes ab uxoribus, &*
c. 10. *ab omni carnali immunditia liberi.*

e c. 8. anno In Italia Romanum [e] sub Sylvestro, quo disertis verbis Subdiaconi ad nuptias
324. transire prohibentur. Hùc spectant antiqua summorum Pontificum Siricij & In-
nocentij 1 Decreta, quibus antiqua sacrorum ministrorum continentia asseritur,
Epist. 82. c. 4 ut fateri cogitur incontinentiæ Doctor Joannes Calvinus, sed maximè Leonis ma-
gni Epistola Decretalis ad Anastasium Tessalonicensem, quâ de ordinatis Presby-
teris, Diaconis & Subdiaconis, *ut & qui habent uxores tamquam non habentes sint, & qui non habent, permaneant singulares.* Idem docet Epistola ad Rusticum Nar-
f S. Leo Epist bonensem [f] innovata à Gregorio magno [g] qui morem esse Romanæ Ecclesiæ pro-
90 c. 2. fitetur ut Subdiaconi non miscerentur uxoribus suis. Ideoque, quia Siculi utpote
g lib. 1. Ep. qui quadamtenus græci, græcorum licentiam ex locorum vicinitate usurparant,
42. & lib. 3. Episcopos Siciliæ monitos cupit ne deinceps ullum Subdiaconum ordinarent, qui
Epist. 34. non castè juxta morem antiquum Romanæ Ecclesiæ se victurum promitteret; quan-
tumlibet judicet cum eis alioqui dispensandum, ut uxores jam ductas ij retine-
rent, qui se nec ullâ patriæ receptâ consuetudine obstrictos novissent. Quod certè
hæresi 59 nullum legi infert præjudicium, sed de eo potiùs illud S. Epiphanij dicere est: *Hoc non est juxta Canonem sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Usum,
enim hujuscemodi non canonica institutio, sed quem Clericorum libido invexerat
Episcoporum ignavia fovebat.

Miror porro plerosque sacrorum Canonum interpretes ex hac D. Gregorij epi-
stola occasionem arripuisse docendi, tum primùm Subdiaconis continentiæ legem
impositam fuisse, ac proinde sacris Ordinibus cœpisse annumerari: cùm potiùs ex
ea, antiqua Ecclesiæ Occidentalis consuetudo in contrarium astruatur. Si quid ve-
rò secus in Sicilia usurpatum fuerit, id ut perperam & contra Canones factum re-
secari mandat in posterum, eâ tamen lege ut quibus castitatis nullum subesset vo-
tum, ijs duntaxat jam inito conjugio uti facultas constaret.

a Ep. 4. quæ Ex hac tanta nube testium ac unanimi totius orbis Christiani consensu quid aliud con-
est in Concil. cluditur, nisi sacrorum ministorum continentiam ab Apostolica institutione manare?
Teleptensi. juxta divi Augustini regulam, cùm ejus originem aliunde repetere non sit facile,
b Epist. ad ac insuper sanctorum Patrum ac Conciliorum autoritate subnixi, maximè [a] Siricij
Victric. Rot. & Innocentij [b] eam demonstrare conemur: quam Concilium [c] Carthaginense 2, ab
c C. 2. Apostolis Ecclesiæ traditam agnoscit, *ut quod* (inquit) *Apostoli docuerunt & ipsa*
d dist. 60. *servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

e Cap. cum His nihilominus obstare videtur caput [d]: *Nullus in Episcopum* ab Urbano 2. editum,
à multis de quo Presbyterorum & Diaconorum dumtaxat ordinibus sacri prærogativa tribuitur:
ætate & *Nam hos solos*, ait, *primitiva legitur habuisse Ecclesia*; & refertur ab [e] Innocentio 3.
f de consecr. qui negat Subdiaconos in primitiva Ecclesia inter ordines sacros recenseri; aut sal-
dist. 1. tem nominari. His consentiunt Glossæ ibidem & ad Cap. [f] *Ad Tabernaculum*, & aliæ
g C. 21. plures quibus favet Concilium [g] Laodicenum; Subdiaconos quippe arcet à sanctua-
h de verbo rio, eosque sacra vasa tangere vetat. Nec desunt veteres ac primarij scholæ Pari-
mystico cod. siensis Theologi idem sentientes. In illis est Petrus [h] Cantor, qui non ita pridem
MM. SS. Subdiaconatum sacris ordinibus additum asserit.

Sangerm. Verùm quidquid sit de Urbani Decreto, quod antiquiori veteres tribuerunt us-
Biblioth. que ad Decreti emendationem à Gregorio 13 factam, quodque suppositionis suspicio-
ne non vacat: dubium propositum facilè diluitur, dicendo, quòd tametsi antiquissi-
ma & ab Apostolicis temporibus continentiæ Subdiaconorum regula repetenda videa-
tur, sacri tamen ordinis prærogativâ ideo minimè insigniti dicuntur, non quòd vin-
culo castitatis in Ecclesiam ab initio invectæ non tenerentur; sed quòd ad eam non

pag. 88 dum nuncupato voto, ut posterioribus temporibus usu venit, tenerentur, aut nuptiarum juri cederent; adeo ut ab eis contrahendis prohiberentur, atque irritæ decernerentur contractæ, ut docent communiter Theologi. Hoc ad Urbani 2. ætatem nulli perperam referunt, hoc est ad annum circiter 1088, ab eo tempore rati Subdiaconatum inter ordines sacros cœpisse computari. Ut innuere videtur Innocentius 3. Verumtamen id probari omnino nequit: indubitatum enim est continentiam Subdiaconatui annexam fuisse longè ante tempora Urbani 2. eam namque usque ad sextæ Synodi ætatem & Gregorij magni revocat Innocentius 3. dicto cap; à multis atque etiam à majoribus ordinibus Subdiaconatum palam secernit idem Gregorius, ut de suprà allatis testimonijs taceam, veriùs fortasse dixerimus quòd ad usum vocis attinet non inveniri Subdiaconatum vocari sacrum ordinem in Decretis veterum Pontificum ante Urbanum 2. & hoc insinuasse videtur Innocentius 3.

3. parte supl. q. 37. art. 3. c. à multis de ætate &c.

lib. Epist.

Ibid. [Concilium Lexoviense observetur] Anno 1055. celebratum in quo deposito Malgerio (ut scribit Guillelmus Malmesburiensis) substituitur Maurilius.

Ibid. [Ne Ecclesias per se &c.] Hæc sunt Decreta Concilij Lexoviensis adversus Clericos concubinarios lata.

Ibid. [Nec subintroductam mulierem] Multa de subintroductis mulieribus apud antiquos scriptores est mentio. Hujus argumenti extat inter opera S. Joannis Chrysostomi libellus insignis, adversus eos qui apud se fovent sorores adoptivas, quas subintroductas vocant, græci συνεισάκτους appellant. Earum meminerunt Synodus Romana[a] sub Zacharia. Concilium[b] Forojuliense, Moguntinum[c] & alia multa: præ ceteris autem Concilium[d] Nicænum cuilibet ex Clero subintroductam habere mulierem prohibet. Extraneam reddunt Rufinus & Ferrandus[e] Diaconus. Juxta quem Canonem Nicolaus Papa 2. in Synodo[f] Romana, ut refertur capite: *Nullus*, vetuit ne quis Missam audiret Clerici, quem scit concubinam aut subintroductam habere. Quid verò subintroductæ mulieris nomine intellexerint antiqui scriptores, nondum satis constat. Alij siquidem eo nomine censeri putant quamlibet mulierem suspectæ conversationis quàm à Clericorum domibus indistinctè arcent Patres Nicæni. Alijs placet (ut docet Balsamon[g]) eam esse quæ pro legitima uxore introducta est, & cum aliquo fornicariè cohabitat (eam concubinam dicimus) nonnulli autem eam omnem existimarunt, quæ cum aliquo externo cohabitat, omni suspicione remotâ. Veriùs arbitror mulierem hanc subintroductam ad mentem Concilij Nicæni censeri, quæ nullo genere cognationis aut agnationis aut matrimonij conjuncta sit, quales à Concilio numerantur. Et quamvis vox ipsa græca ut propriæ significationis non denotet mulierem suspectam, nihilominus eas introductas quas Canon ille præcipit à Clericis rejici, fuisse non quaslibet suspectas, sed genus quoddam medium mulierum inter uxores & concubinas, quæ pietatis prætextu ut sorores adoptivæ tunc admittebantur, ut notat scholiastes Eusebij Cæsariensis, qui refert Paulum Samosatenum Presbyteris & Diaconis dumtaxat qui ei morem gerebant, permisisse has mulieres subintroductas domi habere. Collegit autem scholiastes ille ex Chrysostomo, opusculo suprà memorato, adversus eos qui apud se sorores adoptivas fovent, non propter liberos & matrimonium; (negabant enim se cum eis rem habere) nec propter stuprum seu libidinem (eas siquidem se integras purasque servare asseverabant) sed propter rei familiaris curam, vel certè, veriùs dixerint, propter voluptatem ex tali convictu nascentem habuisse: quos eleganter sugillat Chrysostomus, nec minus egregiè refellit causas quas obtendebant hasce puellas domi retinendi.

[a] c. 2.
[b] c. 4.
[c] sub Carolo magno anno 813. c. 39.
[d] Nicænum c. 3.
[e] c. 122.
[f] dist. 32. ex Syn. Rom. c. 3.
[g] ad 3. Can. Conc. Nic.

Hist. lib. 7. c. 26.

Quamvis autem Concilium contra Clericos dumtaxat Canonem tulerit ne ullam domi feminam haberent: tamen Chrysostomus laïcos simul ac Clericos æque perstringit, quia nimirum apud utrosque prava consuetudo Constantinopoli invaluerat. Quàm verò periculosum esset cum his mulieribus habitare multis ibidem prosequitur; insigne Basilij magni secutus exemplum, qui Gregorio cuidam Presbytero scribens eum vehementiùs adhortatur, ut dimittat mulierem quam domi habebat, in hoc inquiens situm esse cœlibatûs decus & honestatem, quòd separatus sit à consuetudine & consortio quarumcumque extranearum mulierum. Nec primùm nec so-

Epist. ad Greg. quæ est post tertiam can. ad Amphilochium.

lum ſtatuti hujus autorem ſe nominari patitur, ſed Canonem Nicænum quem ſequatur allegat; cujus obſervationi legum civilium acceſſit ſubſidium, quibus cavetur, ne ſub pietatis obtentu erga ſorores adoptivas ordini Sacerdotali aliqua infamiæ nota inureretur. Eò ſpectat lex: *Eum qui de Epiſcopis & Clericis*, hujus tenoris. *Eum qui probabilem ſæculo diſciplinam agit, decolorari ſororiè non decet. Quicumque igitur cujuſcumque Sacerdotis fulciuntur, vel Clericatûs honore cenſentur, extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia cognoſcant, hac tantùm eis facultate conceſſâ ut matres &c. intra domorum ſuarum ſepta retineant, in quibus nihil ſævi criminis fœdus naturale æſtimari permittit.* Idem habetur in codice Theodoſiano & conſtitutione 19 tituli 3. codicis Juſtiniani, ac etiam Conſtitutione primâ tituli 1. Novellarum apud Photium quæ Diaconis prohibet habere aliquas ſecum verſantes, loco ſcilicet ſororum vel cognatarum, vel earum quæ dicuntur dilectæ, ſed per ſe habitent &c.

pag. 88.

Cod. l. Eum qui de Epiſc. & Cler.

l. 44. lib. 61. Nomocan. tit 8. c. 14.

Quâ porro curâ ac ſtudio extirpando huic vitio elaborarint Patres antiqui, crebræ varijs in Concilijs editæ ſanctiones planè demonſtrant; vix enim aliud uſpiam frequentiùs legibus Canonicis vetitum reperitur quàm Clericorum cum mulieribus cohabitatio: nihiltamen eſt quod impunè frequentetur magis. Eam pro virili abrogare identidem contenderunt diverſa Concilia; in illis ſunt Toletanum [a] 2. in Hiſpania, Bracarenſe [b] 3. [c] Troſleïanum. Romanum [d] ſub Caliſto II. & alia pene innumera. Ad ancillas expreſſè extendunt Turonenſe [e] 2. Arvernenſe [f] & [g] Matiſconenſe, quibus quodlibet extranearum mulierum contubernium, ſive ſanctimoniales ſive ancillæ ſive libertæ aut alio quocumque nomine cenſeantur ad evitanda maledicorum obloquia Clericis penitus interdicitur. Pari ex ratione Aurelianenſe [h] 5. à propinquis quoque feminis ancillarum obſequia removet, ne ſub conceſſa parentali licentia ex earum pediſſequis memoratorum vita vel opinio polluatur. Et hæc quidem olim ſtatuta, donec creſcente in dies Clericorum libidine, diſtrictiorem eorum petulantia promeruit diſciplinam. Quamvis enim propinquas mulieres aut alias inhoneſtâ ſuſpicione carentes olim ſacri Canones exemerint, omnes tamen omnino prohibere tandem aliquando neceſſarium duxerunt Patres Concilij Forojulienſis experimento edocti, illarum obtentu alijs perinde aditum cum gravi ſcandalo patuiſſe. Sed quod horrendum eſt, Conciliorum [i] Moguntini ſub Arnulpho & [k] Nannetenſis, necnon [l] Theodulphi Aurelianenſis teſtimonio comprobatur, in illis etiam immania ſcelera frequenter fuiſſe perpetrata. Singulari ſanè providentiâ huic malo jam olim proſpexerunt ſummi Pontifices Gregorius [m] magnus, Eugenius [n] II. & Leo IV. qui ijſdem ex cauſis Sacerdotes conſtitui noluerunt, niſi in Eccleſijs aut ſpeciali Monaſterio, quod utinam hac noſtrâ ætate ſervaretur.

a c. 3. b c. 4. c c. 9. d c. 3. e c. 1. f c. 16. g c. 1. anno 581. h c. 3. *i* c. 3. i c. 10. k c. 3. l Capit. ad Presb. Aurel c. 12. m lib. 7. Ep. 108. ad Siag. & Ætherium. n in Syn. c. 10.

[DE QUA CALUMNIATUS EST ACCIPIAT] *Ad Can. 15.* Jam olim antiquis Canonibus definitum eſt, ut nullus eam quam adulterio polluerit, viro ejus è vivis ſublato, uxorem accipiat: tum in odium tanti ſceleris, tum etiam ut captandæ mortis alienæ tollatur occaſio. Iſta Synodus [a] Triburienſis & Concilium apud Altheum [b] ſub Conrado Rege habitum, apud Burchardum [c] & Yvonem [d] Carnutenſem, & refertur à Gratiano. [e] Ea fuit antiqui juris definitio juxta quam Nicolaus I. [f] in cauſa divortij inter Lotharium Francorum Regem & Teutbergam legitimam ejus conjugem ab Epiſcopis in Aquiſgranenſi Synodo Decreti, Reginam ſic per litteras alloquitur: *Te etiam reprobatâ, etiam mortuâ Lotharius nullis legibus, nullis ſine diſcrimine ſui regulis Valdradam mœcham in uxorem permittetur aſſumere &c. unum tantum ſcio, quoniam nec nos nec ſancta Eccleſia, Deo autore qui adulteros judicabit, Lotharium ſi Valdradam quandocumque reſumpſerit, etiam te ut prætulimus decedente, dimittet modis omnibus impunitam.*

ibid.

a c. 40 & 51. b C. 5. c l. 9. c. 74. d parte 8. c. 211. e q. 1. c. illud verò &c. nullus eandem q. f Epiſt. 48 Teutbergæ in principio.

Verùm leviùs cum adulteris ſubinde actum eſſe ſcimus. Concilium enim Meldenſe eâdem fermè ætate celebratum, eum qui ſuperſtite adhuc conjuge uxorem ipſius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto eamdem ſumpſiſſe dignoſcitur, dummodo illatæ mortis ſuſpicione vacet, peracta pœnitentiâ publicâ, cui omnino ſubjiciendum eum eſſe decernit, niſi alia obſiſtat ratio, contracto priùs conjugio uti ejus relinquit arbitrio; cui omnino cohæret Hincmari Remenſis reſponſum, opuſculo *de divortio dicti Lotharij Regis. Denique* (inquit) *mortuo viro vel feminâ,*

C. 69.

Reſp. 10.

cum

pag. 88. *cum quo vel cum qua verum connubium fuit, fieri per pœnitentiam verum connubium potest, cum qua priùs adulterium fuit.* Quod ex sancto Augustino decerptum videtur. Et paulò superiùs ex sacrorum Canonum sententia Regem obnoxium esse pœnitentiæ pronuntiat, cùm dicit: *Quo autem debeat sanari medicinali judicio sacri decernunt Canones, videlicet ut pœnitentia, & secundum leges statuta, absque personæ respectu Episcopi arbitrio ei pœnitentiæ tempora decernantur, quæ quidem minimè licet prævenire.* Nec fas esse ait ante legitimam pœnitentiam secundum leges acceptam atque peractam, necnon adeptam reconciliationem ei de qua agitur concubinæ copulari; *quoniam* (inquit) [a] *Nec David sine pœnitentia Betsabée cum qua adulteraverat conjugem habuit.* — *l. 1. de nupt. & concupiscentia c. 10.* — [a] *Hincmarus apud Yvonem p. 8.*

Habitâ autem ratione Juris Pontificij recentioris, in eam sacrorum Canonum interpretes ivere sententiam, ut solum adulterium cum aliqua, vivente uxore propriâ negaverint matrimonium impedire cum illa, mortuâ uxore suâ. Ita Panormitanus, Navarrus in Manuali, & communis jurisperitorum sententia juxta caput: *Significasti*, & alia eodem titulo, *De eo qui duxit in matrimonium* &c. Addunt præterea quòd nec fides data per verba de præsenti vel de futuro citra crimen adulterij, nec mortis machinatio, ab altero dumtaxat contrahere parantium modò absit adulterium, sed utriusque solummodo matrimonium impedire, & hoc per caput: *Laudabilem, de conversione infidelium*, quod est Alexandri 3. — *Decr. c. 8. ad cap. 1. de eo qui duxit &c. & c. de conversione infid. 1. nov.*

Ceterùm his tribus casibus irritum jure censetur matrimonium. Primò si nimirum aut præter adulterium adsit alterius conjugis homicidium, ab alterutro perpetratum, animo sibi conscium criminis matrimonio sociandi; ita definitum est in Concilio [a] Meldensi & refertur à [b] Gratiano, immo sine spe conjugij manet adultera uxor si machinata est. Can. *Significasti*; vel uterque, si uterque sit machinatus, dicto Can. *Si quis* 31. q. 1. Par est ratio si adulterio accedat fides sibi vicissim ab adulteris data de futuro matrimonio, quod nullum fore ex ijsdem Canonibus comprobatur, & maximè ex Can. *Si quis* & C. *Significasti.* Quin etsi ea de re intercesserit juramentum, anathematizatur tale conjugium à Concilio [c] Triburiensi. Denique postremum caput est, si matrimonium de præsenti altero conjuge adhuc superstite contractum sit; & præcesserit vel secuta sit copula, eodem capite: *Si quis uxore vivente* &c. Ex quo cùm ab his illi conjugi necis periculum immineat, ut scilicet illo è vivis sublato facultas sit validè connubium contrahendi, sicque liberiùs suæ libidini indulgendi, huic periculo eodem adhibito remedio occurrendum censuit Ecclesia, ut ex Concilio Triburiensi planum est. — [a] *C. 69.* — [b] *q. 1. c. Si quis & c. super hoc 3. de eo qui duxit uxorem &c.* — [c] *C. 40.* — *ibidem.*

pag. 89. [Cujus Uxor velata fuerit] *Ad Can. 16.* De uxore velata aut qualitercumque dimissa quoad Matrimonium par est utrobique ratio, nec per Christianas leges licuit unquam altero conjuge Monasticen profitente, alterum secundo conjugio copulari, ut optimè ait venerabilis Beda: *Timor Dei facit ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur: nulla autem causa est Dei lege præscripta, ut vivente eâ quæ relicta est, alia ducatur* &c. Sed vel ei necessitas incumbit religionem profitendi, aut saltem perpetuæ continentiæ votum nuncupare tenetur, ut habetur C. *Qui uxorem*, hoc verborum tenore: *Qui uxorem suam velari permittit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur*; & pluribus toto titulo de conversione conjugatorum. — *In Marcum apud Yvonē Carn. Decr. p. 8. c. 135.*

Ibid. [Si Uxor Viri qui peregre &c.] *Ad Can. 17.* Idem prorsus judicium jam antea ab Innocentio I. processerat: cùm enim Fortunius quidam Ursâ uxore propriâ in captivitate constitutâ, cum alia Restitutâ nomine conjugium inijsset, priore integro manente posterius irritum esse decrevit. Insignis in eam sententiam proferri solet Basilij [a] magni regula, inter Trullanos [b] Canones relata. *Si separante se viro & non apparente, antequam mors ejus sciatur alteri nubit uxor, mœchatur.* Itidem militum uxores quæ viris non apparentibus nupserunt eidem rationi subjiciuntur, cui & propter maritorum peregrinationem & absentiam, hoc est pœnis mœchorum, nisi desistant, ut annotavit Balsamon ad hunc Canonem. — [a] *Epist. ad Amphiloch. c. 31. & 36.* — [b] *C. 94.*

Ibid. [Quousque prioris Viri certitudinem habeat.] Satis erat olim captum conjugem expectari quinquennio, militem verò qui Reipublicæ causa abesset qua-

Lege, uxor cod. de repud & Novella 22. Iulian. lege 6. de divers. triennio, deinde decennio. Et notandum ex Cujacio Julianum à Justiniano minimè discrepare, nec aliter loqui quàm dicta novella 22. His nihilominus jure Canonico derogatum est; non enim sufficit tempus suprà definitum, quantacumque temporis intercesserit mora: sed necesse est antequam ad alterius nuptias transeat mulier, eam certum de morte mariti accepisse nuntium, cap. *In præsentia de sponsalibus*, quamvis septennio & amplius abfuerit captus ab hostibus. Quod optimè congruit cum novella Justiniani 117. Nam ut Jure Civili docet Navarrus, quilibet præsumitur posse vivere 100 annis nisi vitâ functus probetur, ac proinde priori matrimonio totum robur & valorem constare: & si nupserit, priori marito restituetur. Cap. *Dominus ac Redemptor.* pag. 89 *Lege finali de Sacrosanct. Eccles. de secundis nuptijs.*

Epist. 77. 4. [EXCOMMUNICETUR] Ita Leo magnus Epistolâ ad Nicetam Aquileïensem. *Si* (inquit) *aliquæ mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captæ, ut malint his cohærere, quàm in legitimum redire consortium, meritò sunt notandæ, ita ut etiam Ecclesiasticâ communione priventur* &c. ibid.

lib. 4. Epist. 17 [UT AIT GREGORIUS] Epistolâ ad Constantium Mediolanensem Episcopum scriptâ. Refertur à Gratiano distinct: 50. *Si lapsis.* ibid.

[ANTE PERACTAM PŒNITENTIAM] Publicam videtur innuere Concilium; de crimine quippe publico vertitur quæstio, cui eatenus publica indici consueverat pœnitentia, maximè si publicum aliquod & grave subesset scandalum, cui expiando privata minus sufficiens censebatur, juxta Gregorij magni regulam, quæ habet: *Manifesta peccata non sunt occultâ correptione purganda.* Unde non levis occurrit difficultas, in eo posita, quod cùm ex veteri Ecclesiæ disciplina nulli unquam qui publicam subierit pœnitentiam, fas fuerit ad pristinum gradum unde excidisset remigrare; quid est quod eâ peractâ ad eum præter Patrum regulas, iterum reditus pateat? ad cujus solutionem juverit observare, quòd tametsi Conciliorum plerique Canones, Summorum Pontificum Decreta, & insigniorum Patrum sententiæ ad annum usque circiter 1100 omnem Clericis propter gravissima crimina, tum privata, tum publica ab ordine dejectis, spem restitutionis abstulerint: prævaluit nihilominus apud multos antiquæ severitatis remissio, ac paulatim obtinuit, ut pœnitentiâ expiati pristinæ dignitati restitueretur. Sed vel maximè ab annis 800 non modo factum in utroque criminum genere; & potissimùm in occulto, sed etiam passim prædicatum est; sicque ab annis 700 aut circiter, renitentibus licet quamplurimis usurpatum est. Hinc gravis Hincmarum inter & nonnullos ævi sui Clericos orta quæstio, qui ut Novatiani dogmatis asseclas, contrarium asserentes palam traducebant: eos prolatis pro sua sententia multis sanctorum Patrum testimonijs egregiè refellit Hincmarus. Idem acriori stilo præstitit disertissimus, æque ac sanctissimus Cardinalis Petrus Damiani tempore Leonis IX quo potissimùm invaluerat antiquæ hujus disciplinæ remissio, ut ex Fulberto Carnutensi liquet, qui luculentissimum usûs sui temporis exhibet testimonium Epistolâ ad Luthericum Senonensem scriptâ, in causa Presbyteri cujuspiam ab alio Episcopo per pecuniam ordinati, quem degradatione plectendum censet, deinde ab Ecclesia segregatum severam obire pœnitentiam, ut honoris gradus quos prætio coemerat, lacrimis conquireret, & reparare contenderet. Tum si dignè pœnituisse visus esset, restauraretur. In cujus rei argumentum Concilij Toletani II Canonem profert hoc ipsum statuens. Plura in eam sententiam congerit Gratianus, in primis verò Concilij sub Martino I. & Hibernensis sub Leone III. Canones, quibus ea planè conficitur.

lib. 2. Epist. & cap. 30 — *cap. 2. ad Decanos Diœc. suæ.* — *lib. Gomorr. Epist. 25.* — *C. 9. dist. 5. c. Si quis Presbyter, & dist. 82. c. ultimo*

Præter hæc & alia evidentissima argumenta, quibus antiqui mores cesserunt, autoritatis plurimum obtinuerunt eo sæculo Epistolæ Summorum Pontificum Gregorij magni ad Secundinum, & ea quæ jam tum ex Isidori Mercatoris scrinio prodierat, ac sub nomine Calisti I. passim venditari cœperat: quibus accessit haud firmioris fidei altera Isidori Hispalensis ad Massanum nomen præferens, quæ omnes omnimodam Clericis pœnitentiâ functis restitutionem concedunt. Verùm cùm antiquis Canonibus in hac parte & Ecclesiæ antiquioris praxi, & potissimùm SS. Gregorij & Isidori doctrinæ adversentur, non levi suppositionis aut corruptionis suspicione laborant.

Epist. 54. lib. 1. ad Secund Epist. 2.

pag. 89. His nihilominus & similibus testimonijs adductos Patres Concilij nostri, arbitror juxta prædictorum Canonum intelligentiam jam tum apud eos usurpatam, Clericis exactâ pœnitentiâ gradus pristinos recuperandi fecisse potestatem. Quod ut planius fiat, observandum est ex veterum Theologorum & Canonistarum qui haud multo post eam ætatem floruerunt doctrina, duplex pœnitentiæ genus esse excogitatum; cùm enim antiquos Canones varios admodum ac sibi contrarios animadverterent, ijs conciliandis duplicem illam pœnitentiam invexere, solemnem videlicet & publicam. Solemni autem tribuerunt quæcumque de publica dixerant antiqui, quæ quidem non nisi propter gravissima scelera imponebatur, & raro admodum, nec Clericis, nisi priùs depositis infligebatur. Ex eorum autem doctrina & usu eorum temporum, ijs qui pœnitentiam illam subierant ad ordinem nullatenus redire licebat; nec etiamnum citra Pontificiam dispensationem licet, quæ durissimæ pœnitentiæ jam nunc successit: aliam publicam astruebant quæ pro gravi quidem & manifesto crimine in facie Ecclesiæ, sed absque prædicta solemnitate à simplici Sacerdote tum laïcis tum Clericis absque ullo sui gradûs periculo indicebatur, de qua in præsentiarum agitur: ejus multa apud veteres extant monumenta, maximè post Siricij & Leonis tempora qui Clericos à publica manuum impositione exemerunt.

Hujus porro restitutionis de qua hìc mentio est formam graphicè describit Concilium Toletanum 4. ac sigillatim sacras vestes & vasa quibus singuli Ordines sacri restituendi sunt enumerat, *cùm nimirum depositus restituitur à Synodo, recipit Episcopus orarium annulum & baculum: Presbyter orarium & planetam: Diaconus orarium & albam; Subdiaconus Calicem & Patenam. Sic & reliqui gradus recipiunt quæ cum ordinarentur perceperant.* Idem fere ritus apud Græcos observatur, ut ex [a] Concilio Generali 8. liquet: verborum autem formulam suo tempore usurpatam tradit Fulbertus [b] Carnutensis Epistolâ ad Luthericum Senonensem, cujus suprà meminimus. c. 27. [a] Synod. 8. gener. sub Hadriano. 2. act 2. post medium. [b] Ep. 25.

ibid. [Dignus depositione] *Ad Can. 19.* Hìc nonnihil excidit ex textu, prout habetur apud Ordericum Vitalem, paucis supplendum fortè deerit, *congreget Episcopus Synodum*, aut quid simile.

[Tot Episcopos &c.] Causas graviores majorum Clericorum, non nisi in publico Episcoporum consessu agitari antiqui Patres sanxerunt: maximè ubi de depositione agitur, quàm extra Synodum fieri vetat Concilium Hispalense 2. rationem subjungens. *Episcopus enim* (inquit) *Sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* C. 6. Concil. Carth. 2. c. 10.

ibid. [In Sacerdotis sex &c.] Legem hanc ut jam pridem à majoribus acceptam innovant Africani [a] Patres, & habetur in codice Ecclesiæ [b] Africanæ. Quæ tandem inter Concilij [c] Triburiensis Canones locum obtinuit; depositionis ritum enucleatè præscribit Concilium [d] Lemovicense hac verborum serie: *Quando Episcopus Presbyterum deposuerit, sic agat: jubeat eum priùs indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, deinde manu suâ auferat manipulum, deinde casulam, deinde mediam stolam de collo reflectat, & inter scapulas sub latere dextro, & depositus est à Presbyteratu & Diaconatu.* Hactenus Concilium Lemovicense. Cod. Eccles. Afric. c. 12 & 14. [c] C. 10. Action. 2. post medium. De Ecc. obser. c. 49.

ibid. [Nullus in quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta] *Ad can. 20.* Ut à primæva ætate nascentis Ecclesiæ servatum est. De ratione siquidem jejunij fuit olim ut horâ competenti pranderetur, hoc est (ut ait Michrologus) ad Nonam reficerent cum ad Sextam sacrificabant, ad Vesperam autem cùm ad Nonam divinis operabantur. Cùm ergo ante Nonam toto quadragesimali tempore res sacra peragi non soleret; post Nonam expleto divino officio aut ad Vesperam refectio protrahebatur, ut ex Concilijs Braccarensi [a] 1 & 2. planum est; sed potissimùm ex Capitulari Theodulphi [b] Aurelianensis ad Presbyteros Parochiæ suæ quod sub nomine Cabilonensis Concilij à Gratiano [c] refertur. Viguit autem usque ad D. Bernardi ætatem religiosa jejunij hujus observatio ad vesperam, ut ipse autor est, *Iejunavimus* (ait [d]) *Soli usque ad Nonam* (reliquo nimirum anni tempore) *Nunc autem nobiscum universi simul in unum dives & pauper, usque ad Vesperam omnes jejunant* &c. Sed & ad S. Thomæ tempora fuisse provectam non semel prodit Angelicus [d] Doctor. [a] c. 16, & Bracar 2. c. 9. [b] c. 39. [c] de cons. &c. distinct 1. c. Solent. [d] Serm 3. in Quadrag. [c] 22. q. 147. art. 7. & 3. parte q. 83. art. 2. ad 3. [f] Silvester verbo jejuniũ n. 12.

pag. 89. Horam porro Sextam novo consilio usurparunt recentiores, quam Nonæ principium appellaverunt. At conciliando Canoni Cabilonensi & alijs refectionem ad Vesperam prorogantibus id temperamenti adhibuere posteriores Theologi, ut de Vespera non diei, sed Officij censuerint intelligendum. In ijs sunt Paludanus [e] & S. Antoninus [f]; Græcis eo nomine inferiores, qui etiam adhuc non nisi à sacro absoluto quod ad Sextam auspicantur, & ex suo ritu ad plures horas producitur: & Armenis qui non nisi post Vespertinam Synaxim ad solis occasum expletam, solent comedere.

ibid. [In Sabbatho Paschæ Officium ante Nonam non incipiatur] *Ad Can.* 21. Ne videlicet officium sabbathi sancti, Christi Domini sepulturæ & quieti sacrum, quod Nonæ termino concluditur, gloriosæ Resurrectionis lætitiæ ac Dominicæ Paschatis commisceatur, quæ juxta morem Ecclesiasticum ad vesperam incipit, ut docent SS. Leo [a] & Augustinus [b], & post eos Amalarius [c] Fortunatus, Concilium Claromontanum sub Urbano 2. & alij sacrorum rituum interpretes.

ibid. [Cerei benedictione] His potissimùm verbis: *Hæc est nox quæ hodie per universum mundum* &c. Et infrà *O verè beata nox*; ac etiam in benedictione Cerei Paschalis apud Ennodium: *Vt principe loco foret beatæ noctis* &c. Item infrà: *In hujus ergo suscipiendæ noctis officio* &c.

ibid. [Narrat liber Officialis] Liber Officialis est liber Antiphonarius, ut docet Agobardus [d] Lugdunensis.

ibid. [Non fit Sacramenti celebratio &c.] Quod ex antiquissima Ecclesiæ traditione manavit, cujus extat Decretum Innocentij [e] I. non quod olim sacrum sabbatho sancto prætermitteretur, ut ex antiquissimo S. Gregorij [f] Sacramentario, Ordine [g] Romano, & [h] Alcuino constat quos sequitur Amalarius [i], atque etiam ex ipsis Concilij verbis planum est, cùm ob sacræ hujus noctis reverentiam *Gloria in excelsis Deo*, & *Alleluya* cantari profitetur: sed quia ut aïunt S. Augustinus [k] & Beda [m] sabbathi dies à sua nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quæ pertinet ad initium Dominicæ diei &c. quod verò vespere seu extrema parte sabbathi fit, non sabbatho, sed Dominicæ deputatur, ut ex Missa sabbathi sancti quæ circa mediam noctem celebrabatur, ut testis est Theodorus [l] Balsamon, qui docet, religiosiores Christianos toto illo Sabbatho in Ecclesia manere solitos, & sextâ noctis horâ, id est mediâ nocte, divinis Sacramentis communicasse, & hora 7 ejusdem noctis psalmodias Matutinas audivisse, quibus omnino consentit antiquus [m] Ordo, ubi jubetur non dimittendum esse populum ante mediam noctem, & in ipsa nocte matutina luce erumpente, redeundum esse ad nocturnas vigilias Paschæ celebrandas, & confirmat Missæ collecta. *Deus qui sacratissimam noctem* &c. quibus adstipulatur Joannes [n] Abrincensis.

ibid. [Decreta scilicet Innocentij Papæ & Leonis] *Ad Can.* 23. Non est Innocentij, sed Siricij Epistola 1. ad Himericum Tarraconensem cap. 2. Leonis verò Epistolâ 4 universis Episcopis per Siciliam cap. 4 & 5.

ibid. [Sabbatho Paschæ et Pentecostes &c.] Ad Vesperam scilicet à qua dies isti ducunt initium: seu potius eâ nocte in qua olim baptismi solemnitas agebatur, ut ex diei hujus officio & ex Epistola Paschasini Lilibetani ad S. Leonem Papam constat, unde factum ut sabbatho potius quàm Dominicæ tribueretur. At verò quoad usum & praxim primitivæ Ecclesiæ, antiquissimæ traditioni testimonium reddunt Tertullianus [o] & Hieronymus [p], *Baptismo diem* (inquit) *solemniorem Pascha præstat* &c. & rursus infrà: *exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est* &c.

Quin etiam antiquæ hujus consuetudinis in nonnullis Ecclesijs Cathedralibus etiamnum quoddam superest vestigium Renano [a] teste, qui de Ultrajectina ante motus suo tempore exortos Episcopum solemne baptisma quotannis in pervigilijs Paschæ & Pentecostes celebrare solitum perhibet. Quid? quod Romæ etiam observari idem autor scribit, in Ecclesia Lateranensi in baptisterio Constantini, ac solemnem Catechumenorum, Judæorum & aliorum infidelium fieri.

Ceterùm tanta fuit traditionis hujus religio, ut extra solemnitates constitutas, usque ad Caroli magni & Ludovici Pij tempora neminem præsumerent solemniter,

&

e *in 4. dist. 15. q. 4. art. 4.*
f *Part. 2. tit. 6. c. 2. § ult.*
a *Epist 81. ad Diosc.*
b *Serm. in vigil. Paschæ.*
c *l. 1. de div. Offic. c. 11. Apud Orderic. Vital. lib. 9. Guilelmum Malmesbur. de gestis Regum Anglor. l. 4 in Guillelmo Ruffo c. 1.*
d *Epist. ad Cantores Lugdun.*
e *Epist. ad Decent. c. 4.*
f *In Sabb. S.*
g *Ordo Rom. ibidem.*
h *De Offic. divin. c. de Sabb. S.*
i *De Eccles. Offic. de Sabb Paschæ lib. 1 c. 16.*
k *In Evang. Matth. 28*
l *Ad can. 90 6. Synodi.*
m *ubi suprà.*
n *De Offic. Eccl. in Offic Cœnæ Domini.*
o *L. de Bapt.*
p *Epist. ad Pammach.*
a *Comm. in Tertull. ad l. de Bapt.*

pag. 89 & extra necessitatem baptizare, adeo ut paucis exceptis, ut autor est Socrates, omnes in Thessalia sine baptismate è vivis excederent. *Hist. Eccl. lib. 5. c. 25.*

Ad solemnitatem autem baptismi primis Ecclesiæ sæculis pertinuit, ut quemadmodum solus Episcopus illud solemniter in Paschatis & Pentecostes diebus ministrabat, ita etiam ipse solus vitalis fontis benedictionem perficeret: verumtamen extra solemnes hos dies, ut quotiescumque opus erat Presbyteri baptizabant non tantùm in Ecclesia, sed & in privatis domibus aut alijs locis, ita eam aquam priusquam Catechumenos baptizarent benedicere consueverant. Cujus rei exempla in martyrum actis sunt perspicua ut in actis sanctæ Suzannæ Virginis & Martyris à notarijs Ecclesiæ Romanæ consignatis, & ex gestis S. Cyriaci & B. Laurentij à Surio collectis legitur. Sed ex quo multiplicato fidelium numero in Ecclesijs Parrochialibus baptisteria haberi concessum est, Presbyteris earum, ijsdem quoque Fontem baptismalem solemniter benedicere, etiam cum infusione sacri Chrismatis & alijs ceremonijs, quibus solis Episcopis olim in consecrando unico in sua matrice Ecclesia baptisterio licebat, tandem concessum est. Hæcque consuetudo à multis retro sæculis usurpata, hucusque perseverat.

ibid. [VIGILIA VEL DIE EPIPHANIæ] Contrarius nonnunquam usus obrepsit baptizandi in solemnitatibus Martyrum, ac etiam in vigilia & sacro Epiphaniorum die; quem summopere extirpandum curavit Concilium Matisconense 2. & S. Leo, qui morem apud Siculos passim invectum penitus abrogavit: in Africa nihilominus post S. Leonis tempora perseverasse ex Victore Uticensi notum est. In quibusdam etiam Galliæ partibus Natalem Domini huic muneri fuisse constitutum testis est Avitus Viennensis Epistolâ ad Clodoveum Francorum Regem, & de Ecclesia Ebredunensi haud obscurè indicat Gregorius Turonensis. *In persec. Wandal. l. 2. De gloria confess. c. 69.*

ibid. [NISI IN INFIRMITATE BAPTIZENTUR.] Infirmis in lecto decumbentibus primitiva Ecclesia baptismum negavit: Ijs potissimùm qui cùm vitam omnem in continuis sceleribus traduxissent, solo qui ex mortis imminentis metu ad illud postulandum adigebantur, ij sunt quos clinicos antiqui appellabant, grabatarios vocat Concilium Antisiodorense: quibus tandem baptismi gratiam concesserunt S. Patres Cornelius [a] Papa & [b] Cyprianus, [c] Gregorius 2. Epistolâ ad populum Turingiæ, Concilium [d] Matisconense 2. licet irregulares alioqui haberentur.

[a] *Epist. ad Fab. Antioch apud Euseb. hist. Eccl. lib. 5. c. 35.*
[b] *Epist. 73*
[c] *Epist. 2.*
[d] *C. 3.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Concilium in causa tumultûs S. Audoëni anno 1073.

pag. 92 CÆNOMANIS] Cænomanicam expeditionem, unde Concilij hujus æra colligitur anno 1072 cœptam, sequenti verò 1073 perfectam prodit Robertus de Monte [a] ad annum 1072, cui suffragantur Ordericus [b] Vitalis, Rogerius [c] *de Hoveden* & Thomas [d] Walsingam. *Rex Anglorum Guillelmus*, inquit, *civitatem quæ vocatur Cinomanus & adjacentem Provinciam, maximè Anglorum adjutorio sibi subjugavit.* Ita Walsingam, quibus prospere gestis, Rotomagum reversus eodem anno exeunte Concilium Provincialium Episcoporum habuit, in quo ea facta sunt quæ à Chronico Cadomensi ad hunc eumdem annum referuntur:

ibid. [AD PLACITUM ARCHIEPISCOPI.] Hùc Joannis Dadræi à novis advocanda fides qui occisum à Monachis Joannem insigni commento fingit ex proprio, ac paucis post diebus, hoc est 9 Septembris mortuum comminiscitur. Quod quantum aberret à vero penes lippos & tonsores sit judicium, cùm luce meridianâ clarius sit supremum Joannis diem ad annum 1079, hoc est sexennium & amplius ab omnibus qui de eo Pontifice scripserunt prorogari; qua de re consulendus Ordericus Vitalis ad annum 1077 de funere Hugonis Lexoviensis agens, Robertus Montensis [e] ad annum 1079 ad Chronicon Cadomense ad eumdem annum 1074: sed præ ceteris Gregorius 7. Epistola 19 libri 5. quæ est ad Guillelmum Regem data Romæ 2. Nonas Aprilis indictione 1. quæ incidit in annum 1078, quâ se Legatum mittere perhibet Hubertum

[a] *addit. ad Sigebert.*
[b] *Orderic. lib. 4. hist.*
[c] *in Guill. seniore ad annum 1073.*
[d] *in Ypodigm. Neustr. ad annum 1073.*
[e] *in addit. ad Sigeb.*

Subdiaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui piè & diligenter exploret an Rotomagensis Archiepiscopi infirma valetudo ita eum oppresserit, ut Pastorali muneri minus idoneus censeatur. Quem verò res eventum habuerit docet manuscriptus codex S. Audoëni Archiepiscopum scilicet, cùm per triennium (biennium voluit Ordericus) adeo incommodo ipso laborasset, ut nec Pastorali muneri obeundo par esset, tandem Regiâ potestate & omnium consultu pulsatum, infulas deposuisse, atque aliquanto post in Villam S. Philiberti extremum diem obijsse tradit. pag. 92. lib. 4.

[ABBATIS IPSORUM] Nicolai, qui fuit Richardi 3. filius, primùm Monachus Fiscanensis, tum Abbas, S. Audoëni Cœnobium 50 annis rexit. pag. 94.

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Conventum Episcoporum pro Encænijs Ecclesiæ Beccensis anno 1077.

GENTIUM TRANSMARINARUM SUMMUS PONTIFEX LANFRANCUS] quia nimirum totius Albij Primatum gerebat. pag. 99.

[LANFRANCUS] Hic Joannis Archiepiscopi haud dubiè absentis vices propter ingravescentem morbum, de quo superiùs actum est ab eo, rogatus supplevit: quod quidem æram nostram de consecratione Cadomensis Ecclesiæ planè confirmat. ibid.

[NORMANIÆ EPISCOPI] quos recensent Chronicon Beccense & Robertus de Monte. *Huic etiam dedicationi* (inquit) *interfuerunt Odo Bajocensis, Gislebertus Lexoviensis, Gislebertus Ebroïcensis, Robertus Sagiensis & Arnaldus Canomanensis.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES.

In causa abdicationis Joannis *de Bayeux* Archiepiscopi Rotomagensis anno 1078.

QUI CUM VIRIS RELIGIOSIS, EPISCOPIS, ET ABBATIBUS] quem eventum res habuerit Gregorij 7. Epistola ad Guillelmum Conquestorem data, docet manuscriptus codex S. Audoëni de Joanne Archiepiscopo ita loquens. *Recessit, hinc immo processit, nam duobus ante obitum ejus annis intronisatus est Guillelmus Cadomensis Abbas cum Apostolica autoritate, tum regio munere tum denique communi electione, haud dubiè quin totius Synodi Episcoporum, Abbatum & Ecclesiæ fratrum*, ut loquitur Pontifex hoc est, Canonicorum juxta Concilij Meldensis præscriptum, cujus hæc sunt verba; *Sin autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse Concilio Episcoporum suorum hujusmodi ordinationem exhibeat.* De Episcopo ægrotante sermo est, & de alio in ejus locum subrogando. pag. 100. C. 47.

In duorum porro annorum designatione mendum irrepsisse necesse est, ut vel ex hoc colligitur quòd annum 1078 non præcesserit Joannis abdicatio, nec annum 1079 supremus vitæ ejus terminus excesserit, in quo pene omnes consentiunt, in primis Ordericus Vitalis. *Defuncto*, ait, *Ioanne Metropolitano Guillelmus Cadomensis Abbas Canonicè electus est.* Hist. lib. 5. ad ann. 1079.

[SUO CONSENSU ORDINETUR ECCLESIA] Neque enim fas fuerat infirmæ valetudinis obtentu invitum deponere: *Nec usquam Canones præcipiunt* (ut docet Gregorius magnus) *ut pro ægritudine Episcopo succedatur: injustum* quippe censet vir sanctus, *ut si molestia corporis superveniat honore privetur ægrotus*; sed suggerendum esse docet, *ut si quis in regimine ægrotat, dispensator illi talis requiratur qui possit omnem ejus curam agere, & locum ejus in regimine Ecclesiæ ipso non deposito conservare*, ut in Ariminensi Episcopo factum demonstrat ejusdem Epistola apud Gratianum, *Ita ut* ibid. lib. 9. Ep. 41 ad Anatol. q. 1. c. Qualiter.

pag. 100. *in Cathedra. 1. non succedat, sed accedat*, ut de S. Augustino loquitur Paulinus Epistolâ ad Romanum apud eumdem Gratianum: idque duplici ex capite procedit; *Cùm enim*, inquit Gregorius Epistola ad Candidum urbis veteris Episcopum, *Percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione an pro vindicta contingat, Dei judicium in hoc ignoratur: & ideo non debet à nobis flagellatis addi afflictio*: alterum est quod juxta Ecclesiasticas sanctiones viventem Episcopum ab officio suo crimen dumtaxat arcere soleat, vel spontanea renuntiatio eximere Ecclesiæ judicio probata. *l. 2. registri Epist. 5.*

ibid. [Canonice eligi] Minus Canonicè electum Guillelmum Joannis successorem conqueritur Gregorius VII. Epistolâ ad Hubertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum Cardinalem sedis Apostolicæ Legatum. *Audivimus* (inquit) *Rotomagensem Archiepiscopum Sacerdotis filium esse, quod si verum deprehenditur, noveris promotioni illius nos assensum nequaquam tribuere*: quod etsi Guitmundo sancti Leufredi Monacho perinde convenire videatur, qui ut autor est Ordericus Vitalis, Joanne vitâ functo, (verius dixeris deposito) ad Ecclesiæ Rotomagensis regimen Regis & aliorum multorũ suffragio fuerat postulatus, renitentibus licet toto conatu ejus æmulis ne pontifex fieret, qui cùm in tanto viro quod criminarentur nihil haberent; hoc unum, quòd Presbyterum patrem haberet, objiciebant; de Guillelmo potiùs intelligendùm suadet imprimis quod ad hæc tempora pertineat supradicta Gregorij VII. Epistola 9 Kalendas Octobris datâ indictione 3 cujus initium convenit cum autumno 1079. *lib. 7. Ep. 1.* *Hist. l. 4.*

Mira sanè tum sæcularis auræ eo in negotio patuit levitas, quæ eodem tempore quo Archiepiscopatum Guitmundo, utpote filio Sacerdotis invidit; Guillelmo detulit Episcopi filio: tum etiam Gregorij in mutando proposito facilitas, qui aliquando post Guitmundum in sacrum Cardinalium Collegium cooptavit & Urbanus II. Aversanum Episcopum subinde creavit. Ejus fortè stomachum moverit Regis Guillelmi prohibitio Episcopis suis Romam adeundi pro more hujus temporis lata, pro qua succenset vehementiùs Epistolâ Pontifex Guillelmo Regi. Ceterùm quicquid sit de eorum ad Episcopatum electione, cui licet sacrorum Canonum autoritas obsisteret, singulare tamen vitæ meritum & sapientiæ doctrina tanto munere dignos constituebat, cùm præsertim Concilij Meldensis Decretum à lege communi excipiat, quos aut maxima Ecclesiæ utilitas vel necessitas postulat, vel evidens meritorum prærogativa commendat, quod in utroque magno cum fœnore accrevisse constat.

NOTÆ ET OBSERVATIONES

Ad Concilium Juliobonense sub Guillelmo anno 1080.

pag. 103. Anno Papatûs &c.] Sic autem manuscripti codices Fontanellensis & Bigotianus. *Anno Incarnationis Iesu Christi 1080 Papatûs Domini Gregorij Papæ VII. 8. Francorum Rege regnante Philippo, Anglorum Rege Guillelmo gubernante Normaniam. In Festivitate Pentecostes, sub ejusdem Regis præsentia, præsente Rotomagensi Archipræsule Guillelmo. Congregatis cum Episcopis, Abbatibus, Consulibus quoque & ceteris Normaniæ Principibus, celebratum est apud Insulam-bonam Concilium, in quo serenissimi Regis Guillelmi providentia, præscriptorum suorum fidelium consilio definivit: Ut pax &c.*

ibid. [Concilium] non Concilij sed Constitutionis Guillelmi Regis titulo in plerisque codicibus MSS. prænotatur. Quod ideo factum, quia ut in Comitijs generalibus, Principis autoritate leges publicam utilitatem spectantes condi consueverant, hic etiam Canones Ecclesiasticam disciplinam ac politicam respicientes annuente Rege optimatum omnium consultu sanciti fuere, ut à superioribus sæculis passim usurpatum quamplurimis exemplis asseritur.

ibid. [Papatûs Gregorij Papæ vii. octavo] In anno dissentiunt Matthæus Westmonasteriensis & Matthæus Parisiensis ad annum sequentem haud incongruè referentes: cum anno siquidem 8. Papatûs Gregorij 7. convenit non 1080, sed 1081, cujus exordium à mense Aprili anni 1073, statim ab excessu è vivis Alexandri II, decessoris ejus desumitur, ut docet illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum condi-

tor, qui nodus facile ſolvitur ſi vulgatam æram de anno 8. Gregorij inchoante, Matthæi verò utriuſque calculus de completo intelligatur. pag. 103.

[APUD LILLEBONAM] ex vulgato nomine deducto vocabulo. Alij *Iuliam bonam*, *Iullam bonam* quandoque appellat Ordericus Vitalis. Vetuſtiſſimus codex Bibliothecæ Bigotianæ *Inſulam bonam* vocat. Notum hujus nominis oppidum in Caletibus & Pago Rotomagenſi juxta Sequanam à Calidobecco non longè diſſitum, olim ſedes Regis à Normanis Principibus plurimùm dilecta ac frequentata. Hanc Julius Cæſar condidit, quam ex ſuo nomine Juliam, vel à Julia filia ſua dictam nonnulli tradunt deſtructâ urbe Caleto, ex cujus veteri vocabulo tota Regio quæ Sequanam inter & mare protenditur, nomen hucuſque retinet: de ea hæc ſcribit Ordericus Vitalis. *lib. 5. pag. 554 & l. 12 pag. 864.* *Hæc Synodus vico Regali ſecus Sequanam celebrata eſt, ubi antiqua urbs fuit, quæ Caletus ab incolis dicta eſt, à qua circumjacens Pagus à mari uſque ad Talaucium, Caletus uſque hodie appellatus eſt* &c. In ea ſedes olim Epiſcopalis, ut docent acta Conciliorum modo ſuppreſſa, Bettoni cuidam Epiſcopo qui Concilio Cabilonenſi I. *anno 650.* ſubſcriptus reperitur attributum fuiſſe à majoribus noſtris hunc locum ejus acta demonſtrant: ſicut olim Auſtrapio *Sellence* in Pictonibus apud Gregorium Turonenſem, *lib. 4. Hiſt. c. 18.* & Moderico vicus Ariſitenſis in finibus Pagi Ruthenenſis ut annotavit Jacobus Syrmundus Notis ad Concilium ſupradictum. ibid.

[CUM BARONUM SUORUM CONSILIO] Quandoquidem Baronum hîc incidit mentio, quos Concilijs intereſſe paſſim animadvertimus; obſervare non erit incongruum ab Eccleſiaſtica quidem Regula alienum eſſe Eccleſiaſticis conventibus laïcos admiſceri, ijs potiſſimùm qui aut Eccleſiæ diſciplinam aut peculiares ſacrorum hominum *C. 2.* cauſas & correctiones ſpectant. Qua de re egregium extat Concilij Toletani 17 Decretum. *Opportunè* (inquit) *inſtituendum credimus ut* &c. *de myſterio S. Trinitatis vel alijs ſpiritualibus rebus, ſive pro moribus Sacerdotum corrigendis, nullo ſæcularium aſſiſtente inter eos habeatur collatio.* Et Synodus generalis 8. ſub Hadriano II. aliquorum ſententiam ſugillat aſſerentium non poſſe Synodum abſque Principis præſentia celebrari. Ex hoc autem reſpuitur, quòd nuſquam ſacri Canones convenire ſæculares Principes in Concilijs particularibus ſanxerint, ſed ſolos Antiſtites: unde nec interfuiſſe illos Synodis, exceptis Concilijs univerſalibus inveniuntur. Nec enim fas eſt ſæculares Principes (multo minus alios optimates) ſpectatores fieri rerum quæ Sacerdotibus Dei nonnunquam eveniunt. Quod & palam profitetur Theodoſius junior ſanctæ Synodo Epheſinæ ſcribens. *Illicitum namque eſt* (inquit) *eum qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiaſticis intermiſcere tractatibus.* Ea ex *Epiſt. ad Michael. Imper. circa medium* cauſa Michaëlem Imperatorem prævaricationis arguit Nicolaus I. verbis ſanè vigore Apoſtolico planè refertis, eo quod in cauſa Sacerdotis collectæ Synodo non interfuiſſet ſolùm; verùm etiam numeroſa ſæcularium millia, fortè ad videndum ejus opprobrium, aggregaſſet. *Vbinam legiſtis* (ait) *Imperatores anteceſſores veſtros in Synodalibus Conventibus interfuiſſe, niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiam ad laïcos, & ad omnes omnino pertinet Chriſtianos?*

Et hoc quidem olim antiquorum Patrum mores ferebant, in Orientali Eccleſia maximè, quod cum eo temperamento noveris intelligendum, ut ſcilicet laïcis nulla ſedes in Concilijs unquam, nullum de jure ſuffragij ferendi jus fuerit, non, autem ab eis omnino fuiſſe ablegatos & excluſos; ſed ut peritis diſceptatoribus, ut ſapientibus conſiliarijs, ut rei politicæ moderatoribus ab Epiſcopis eorum ſapientiæ & pietati aut permiſſum, aut ſponte oblatum ſæpius fuiſſe nemo inficias ierit. Quod vel ex hoc manifeſtum fiet quod ex Concilio Toletano 4 de ordine Concilij celebrandi collegit Iſidorus Mercator, cujus hæc legitur diſpoſitio: *Vt ingreſſis in Concilium Epiſcopis, vocatis Presbyteris, introductis Diaconibus, laïcis ingreſſus permittatur, qui electione Concilij intereſſe meruerint*: quod de optimatibus utrobique ſentiendum ſuadet ratio multis exemplis ex varijs Eccleſiæ Occidentalis partibus petitis firmata, Hiſpania, Anglia, Germania & Gallia. In promptu ſunt ex Hiſpania Toletanum 5, 8, & 9 quibus adfuiſſe viros illuſtres eorum actis appoſitæ ſcriptiones demonſtrant: non quidem ut doctrinam ab eis traditam ut judices calculo ſuo ſtabilirent, ſed

Pag. 103 ut eam ſe obvijs ulnis ampleċti profiterentur. Aliam profert cauſam Guillelmus Malmesburienſis a, ubi poſtquam enarrare incœpit Concilij Weſtmonaſterienſis celebrationem autore Anſelmo Cantuarienſi indiċtam annuente Rege, ac communi Epiſcoporum, Abbatum, ac Regni procerum conſenſu, *huic Conventui* (inquit) *adfuerunt Anſelmo petente à Rege primates Regni, quatenus quidquid ejuſdem Concilij autoritate decerneretur, utriuſque ordinis concordi curâ ac ſollicitudine ratum ſervaretur.*

a *De geſtis Pontif. Angl. lib. 1. ad ann.* 1120.

Alium peculiarem priſcis temporibus Conciliorum Provincialium aut Nationalium uſum frequentatum à primis Francorum Regibus reperio, in quibus de neceſſitatibus Regni tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus traċtatus habebantur, ac potiſſimùm Pipini, Caroli magni, ac Ludovici Pij temporibus ipſa Regni negotia Sacerdotum arbitrio, pro ſumma Regum erga Prælatos religione ſubjiciebantur, & vix ullam ſuſcipiebant expeditionem, leges ferebant, fœdera cum exteris inibant, teſtamentum condebant, quàm ea omnia Concilij autoritate rata haberentur. Talis eſt Conventus apud Andelaum in quo inter Guntramnum & Childebertum pax firmata, ac mutui fœderis paċtio conſcripta eſt anno Chriſti 587 teſte Gregorio Turonenſi. Item apud S. Dionyſium à Pipino, pro diviſione Regni inter filios facienda anno 768 ut docet colleċtio Hiſtorica apud Henricum Caniſium. *Hiſt. lib. 9. c. 11. antiq. leċt. lib. 6.*

ibid. [UT PAX DEI] *Ad Can. 1. Hæc pax, Regis, illa Dei diċta eſt, quia* nimirum (ut ſcribit Glaber) *divinâ nedum inſpirante gratiâ ſtatuta dicitur; ſed etiam ſignis atque portentis à Deo patratis confirmata.* *lib. 5. c. 1.*

ibid. [QUÆ VULGO TREVIA DICITUR] *Trevia*, alias *Treva*, veteribus *Trega* vel *Tregua* à recentioribus *Treuga* dicitur. Eſt autem *Trevia* induciæ quædam ab Eccleſia inſtitutæ, quibus ab omni hoſtilitate & quacumque vacatione ceſſare oportebat. Inſtitutionis ejus cauſam inde repetunt ſcriptores, quòd bella privata, quæ ſtante Romanorum Imperatorum in Gallias noſtras principatu legum ope comprimebantur, occupatis ab exteris nationibus pleriſque Europæ Provincijs, impunè ubique graſſata ſunt. Tunc enim efferati Barbarorum mores legum ac judicialis ordinis impatientes, juri publico ferrum, fori formulis apertam privatorum vim prætulerunt: tunc enim quiſque ſuam ſuorumque injuriam non in foro coram judice, ſed ferro atque armatâ manu proſequebatur. Hæc autem bella quia nec legibus expreſsè probata, nec damnata penitus erant, cujuſque arbitrio reliċtum cenſebatur pro acceptis injurijs ultionem repetere, ad quam jure inferendam, provocationem præceſſiſſe ſufficiebat, ut in adverſarium cæde, prædis & incendijs graſſari impunè liceret, ut docent Friderici a I. & Conradi b Imperatorum leges.

a *apud Abbat. Vsperg.* b *Bull. aurea c. 10.*

Harum inimicitiarum occaſione quas Faidas veteres appellant, multæ extant legibus Longobardorum ac Regum Francorum capitularibus inſertæ ſanċtiones, quò ſaltem modus qualiſcumque tandem præſcriberetur. Cùm autem paci publicæ ac ſecuritati ijs necdum ſatis proſpeċtum eſſe animadverterent Gallicani proceres, inter quos perpetua intercedebant diſſidia ac bella; ut tantis incommodis aliquatenus conſultum foret; tum primùm Aquitani Principes & magnates, collaborantibus Epiſcopis, anno circiter 1041 convenerunt, ut ubique induciæ à Veſpera Feriæ quartæ ad ineuntem Feriam ſecundam ſervarentur, eâ lege ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam à fidejuſſore pignus tolleret, pœnâ capitis, aut exilij & anathematis irrogatâ. Inducias iſtas linguâ vernaculâ *Treugam* Dei appellarunt.

Quæ verò à ſingularibus Epiſcopis ac Principibus in ſua quique Diœceſi & ditione ſumpſere principium, ab Eccleſia poſtmodum univerſa multis in Concilijs robur acceperunt. Non uſque tamen adeo coerceri morum feritas potuit, quin ad S. Ludovici tempora feralis ille bellorum privatorum uſus recruduerit: quem tandem toties vetitum, totieſque redivivum Philippus IV cognomento Pulcher conſtitutione ſuâ Toloſæ editâ penitus abrogavit, ceſſavitque paulatim ex eo tempore *Trevia* Dei mentio.

ibid. [SICUT IPSE PRINCEPS GUILLELMUS EAM IN PRINCIPIO CONSTITUERAT &c.] Quænam illa ſit conſtitutio incompertum eſt hactenus. De ſacræ quippe pacis obſervationis ratione nihil ex legibus noſtris, nihil ex vetuſtiori conſuetudinario (uſ

vocant) nihil ex Scacarijs certi assequi possumus. Si quis verò conjecturæ ea in re locus est, eam quadamtenus colligere licet ex Anglorum legibus à sanctæ memoriæ Eduardo Rege traditis, & à Guillelmo Conquestore ejus in regno successore itidem Normanorum Principe innovatis; quarum alioquin cum Normanorum moribus maxima erat tum affinitas, ex ijs præcipuè quæ de diebus Treviæ Dei & Regis sacris collegit Rogerius *de Houeden* in Annalibus in Henrico II. hac verborum serie. *Ab Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ pax Dei & Ecclesiæ per omne Regnum. Similiter à septuagesima usque ad octavam Paschæ. Item ab Ascensione Domini usque ad octavas Pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbathis ab hora nona usque ad diem Lunæ. Item vigilijs S. Mariæ, Michaelis, Ioannis Baptistæ, omnium sanctorum Apostolorum, & Sanctorum quorum solemnitates à Sacerdotibus Dominicis anuntiantur diebus, & omnium Sanctorum in Kalendis Novembris, semper ab hora nona vigiliarum in subsequentem solemnitatem, item in Parrochijs Ecclesiarum ubi proprij festivitas sancti celebratur; similiter in Parrochijs in quibus dedicationis dies observatur, & si quispiam devote ad celebrationem veniat sancti pacem habeat eundo, subsistendo, redeundo. Item omnibus Christianis ad Ecclesiam causa orationis euntibus pax in eundo & redeundo sit eis. Similiter ad dedicationes, ad Synodos, ad Capitula venientibus, sive submoniti sint, sive per se quid agendum habuerint, sit pax summa: etiamsi excommunicatus aliquis absolvendi causa ad Episcopum confugerit: absolutus eundo & redeundo pacem Dei, & sanctæ Ecclesiæ habeat. Quòd si aliquis ei forisfecerit Episcopus inde justitiam habeat. Verumtamen si quis arrogans pro Episcopi justitia emendare noluerit, Episcopus Regi notum faciat. Rex autem constringet malefactorem ut emendet cui forisfacturam fecerit, scilicet primùm Episcopo, deinde Regi, & sic erunt ibi duo gladij & gladius gladium juvabit.* Hinc animadvertas potestatis utriusque Regiæ scilicet & Sacerdotalis consensionem, si non in extirpando penitus nefando illo bellorum privatorum usu, in reprimendo saltem per inducias quæ aliquot dies otiosos à cædibus, sacratosque religionis pretextu redderent, atque ita paulatim abolerentur cædes & rapinæ quæ ubique hactenus passim ac impunè grassatæ erant.

Margin: pag. 103. — Annal. parte 2.

[Dictis excommunicationibus renovetur] Secundum quod in Concilio Narbonensi, Synodo Helenensi & alijs aliarum Provinciarum conventibus longe ante fuerat statutum, ut à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ extorres haberentur Treviæ Dei infractores, nisi infra præfinitum ab Episcopo tempus resipiscerent. Ac postea à Concilijs Arvernensi & Trecensi sub Urbano 2. & Lateranensi œcumenico sub Alexandro 3. confirmatum fuit. ibid.

[Episcopi secundum quod priùs statutum est justitiam faciant] In eo consenserunt omnium fermè gentium leges, tum veteres, tum recentiores, ut violatæ pacis cognitio penes Episcopos remaneret. Diversa autem fuit cujusque regionis procedendi ratio, ut ex eorum legibus & Concilijs colligitur: in nonnullis siquidem Galliæ Narbonensis regionibus delatâ apud Episcopos & Comites infractæ pacis expostulatione, ab Episcopo quidem anathemate plectebantur: ad resarciendum verò damnum parti læsæ illatum à Comite & Baronibus compellebantur. Qui si fortè segniter in persequendo armis raptore operam suam navarent, excommucationibus & interdictis ad officium quo se obstrinxerant adigebantur: mulcta autem partim Episcopo & Comiti, partim læso cedere solebat. Quod quidem non nihil habet cum antiquis Normaniæ moribus affinitatis, vel in hoc maximè quod loci Toparchæ reum Episcopali subdere tribunali munus incumberet, aut certè eo renuente, Regio Vicecomiti id muneris instante priùs Episcopo delegabatur, qui in reum pro culpæ gravitate animadverteret, ut ex subjectis Concilij nostri verbis liquet. ibid.

Insigne ea de re extat fragmentum in veteri Rotomagensis Ecclesiæ Chartulario ex Diplomate Stephani Bononiensis primùm Comitis ac demum Anglorum Regis & Normanorum Ducis, unde leges circa Treviæ Dei infractores tum temporis usu receptas deprehendere liceat: in ijs statuit Stephanus juxta Henrici avunculi sui editum jam antea Decretum, *Vt si quis in Trevia Domini occisorem in duello probare voluisset, duellum illud in curia Regis esset; & si occisor ille convictus fuisset, Episcopus in*

pag. 103 *cujus Diœcesi Treviam Dei infregerit, emendam suam, id est, 9 libras de rebus convicti justitiâ Regis cogente primùm haberet : si vero res convicti non sufficerent ad faciendas 9 libras quidquid ibi minus fuisset totum illud Episcopus haberet, & de rebus convicti nihil ad opus Regis acciperetur, donec priùs totam emendam suam habuisset Episcopus. Si verò quis deesset occisorem in Trevia Dei duello probare, tunc ille occisor per ministros Ecclesiæ vocatus, apertâ lege judicij aut aqua, aut ignis sese purgaret ; & si convinceretur, ibi de Episcoporum emenda quod superiùs scriptum est in justitia Regis cogente fieret. Si autem infractor timore Dei justitiam subire noluisset, simili modo emendam suam haberet Episcopus, cogente justitiâ Regis. Et si occisor qui fugisset postea pacem cum Rege fecisset, pro pace Regis non tolleretur Episcopo emenda sua, sed redderet eam Episcopo, vel satisfaceret de ea cum eo.* Hæc ex litteris Stephani, unde desumpta videntur antiquioris Consuetudinarij Normaniæ ea de re edita decreta.

A quo non multum abhorrent Anglorum leges à S. Eduardo latæ, & à Guillelmo Conquestore Anglis confirmatæ, quibus cavetur : *Ut si quis pacem sanctæ Ecclesiæ fregerit violenter, Episcoporum sit justitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo, vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad Regem per quadraginta dies, & Regis justitia ponet eum per vadium & plegium, si habere poterit, usque Deo primitus, postea Regi satisfaciat. Qui si infra triginta & unum diem sive per amicos aut notos, seu per justitiam Regis invenire non poterit, utlagabit eum Rex vero oris sui* (hoc est proscribet.) *Si verò postea repertus fuerit & poterit teneri vivus, Regi reddetur, vel caput ejus, si se deffenderit, lupinum enim gerit caput à die utlagationis sua* &c. Hactenus lex Eduardi.

Apud Rogeriũ de Houeden. *Annal parte posteriori, in Henrico 2.*

Vide Vossium de vitijs serm. l. 2. verbo Utlagus.

ibid. [REGIS VICECOMES &c.] Vicecomes huic sæculo dicitur, qui in Provincia seu Satrapia, aut Comitatu Satrapæ aut Comitis vices gerit : idem prorsus qui in Concilijs sæpe & in antiquis legibus, Wisigothorum præsertim, Vicarius vocatur, in Normanorum utique Vicecomes, ut à Duce suo, quem ævo illo Comitem æquivocè appellabant, discernerent. Nec multum à Graphione discrepat qui à Saxonibus Greve, à Teutonibus Grave seu Gravius, quæ voces Judicem designant nuncupatur, cujus frequens apud Legem Salicam [a] mentio, & in actis Synodi Francicæ habitæ anno 752. Et alijs antiquis scriptoribus apud Vossium [b] & Henricum Spelman [c] in glossario, porro Vicecomes de quo hîc incidit mentio baillivis nostris seu præpositis haud absimilis fuit, hunc ad regendam urbem vice sua aut Toparchiam seu Comitatum Rex aut Comes delegare consueverat Judicem, qui in foro Comitis Prætoris instar judicia exerceret, pacem publicam curaret, ac populi partes tamquam Tribunus tueretur, militem etiam evocaret, educeret, lustraret, alijsque potestatis insignibus præfulgeret. Ejus originem inde repetunt quòd cùm Comites à primæva sui institutione ad regendas urbes aliquas vel territoria è Comitatu Principis ejus arbitrio Judices constituti, in suis Provincijs civilem justitiam legum pariter & armorum terrore administrarent, quorum munus erat vim & injuriam prohibere, latrocinia compescere, pacem promovere, jura Principis & vectigalia curare, colligere & fisco inferre : Non tamen perpetui tunc erant magistratus, sed vel ad certum tempus (ut Romani illi apud Cassiodorum, per indictionem) vel ad placitum Regis locum obtinentes, Gregorio Turonensi teste : processu verò temporis Comitivæ illæ apud Gallos imprimis sub excessu Merovingicæ stirpis, torpente jam splendore Regio à potentioribus partim occupatæ ac hereditario titulo vindicatæ ; Partim fide familiarum perspectâ, ex temporaneis dumtaxat administrationibus in feuda perpetua transierunt, maximè sub Hugone Capeto, qui ut adeptum noviter Regnum novis beneficijs stabiliret, præcipuas Regni Toparchias in feudium magnatibus suis permisit suscepta ab eis clientelaris obsequij professione. Unde contigit ut Comites assertis sibi hereditario jure Satrapijs suis Vicecomites sibi subrogarint, qui pari quo antea ipsi jure Imperatorum aut Regum vice Provincias administrarunt, non jam ut Regum aut Imperatorum Judices, sed ut proprij Comitum Vicarij populis sibi subjectis jus dicerent. Non autem togati, ut posteriorum usus obtinuit, sed militari amictu, seu breviori (quod aiunt) togâ Magistratus munia sua obirent ; Et hoc ad annos usque 1600. & 1604. quibus peculiaribus Normaniæ Senatûs decretis sancitum, ne

Tit. 34. §. 5.
tit. 47. §. 2.
tit. 52 §. 2.
tit. 53. §. 2.
& alibi.

[a] *De vitjs. serm. l. 2. c. verbo* Grafio

[b] *In Glossar. eodem verbo.*

lib. 5. c. 36.
lib. 4. c. 34.
lib. 8. c. 1.

quis deinceps nisi forensi habitu indutus ad Vicecomitis munus obeundum reciperetur. De ejus officio vide Consuetudinarium vetus Normaniæ cap. 5. pag. 103

[QUI DE PARENTELA SUA UXORES TENENT &c.] *Ad Can.* 2. Infra septimum nempe cognationis gradum pro more eorum temporum, hos Ecclesiasticæ jurisdictioni obnoxios fore decernit Concilium, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam. Sicut enim ad judiciariam Episcoporum potestatem jure divino concessam ab Apostolis stabilitam, & à Christianis principibus confirmatam spectat de rebus Ecclesiasticis ferre judicium.

[CANONICAM JUSTITIAM EXEQUANTUR.] Hoc est anathemati subponant nusquam enim mitiùs cum ijs actum esse constat, qui incestis nuptijs polluuntur, quàm excommunicatione, quâ plectuntur à Concilijs Agathensi [a], Illerdensi [b], Toletano [c], & alijs. ibid.

a C. 61. b C. 5. c C. 4.

[NULLUS LAÏCUS IN REDDITIBUS ALTARIS &c.] *Ad Can.* 4. Quo tandem jure oblationes altaris laïcorum hominum usibus cederent, *quas nec laïcis contingere fas est*, ut loquitur Concilium Aquisgranense sub Paschali I. sed Clericorum juris esse pronuntiant divina oracula, ac SS. Patrum & sacrorum Canonum autoritas Ecclesiæ asserit. Unde ex Concilij Aurelianensis primi præscripto: *Oblationum quæ in altario offeruntur in civitatibus medietatem sibi vendicat Episcopus; alteram Clerus accipit, prædijs interim in Episcoporum potestate manentibus*: quod Parrochiales verò Ecclesias tertia dumtaxat Episcopo defertur, licet alioquin cujusque loci consuetudini standum esse velit Concilium Aurelianense tertium, quam multiplicem pro diversis Ecclesiarum moribus extitisse produnt varij Conciliorum Canones. Huic Decreto caussam præbuisse arbitror pravum qui jam inde à multis sæculis passim invaluerat morem, cujus meminit Concilium Bracarense [a] 2. quod etiam innuit Toletanum [b] 4. quidam enim sub religionis obtentu Ecclesias instituebant quæstûs gratia, ut quidquid in eis de oblationibus colligebatur, medium cum Clericis dividerent. Idipsum in Normaniam laïcorum, maximè nobilium cupiditas invexerat, cui extirpando impensè admodum adlaborasse Guillelmum Nothum gratulatur Gregorius 7. Hugoni Diensi & collegæ ejus scribens. pag. 104.

lib. 2. c. 30. c. 14. & 15 Can. 5. a C. 6. b C. 32. Registr. l. 9. Epist. 5.

[NISI LEGATIONEM DOMINI SUI PORTET] Hoc est mandatum exequatur, quod nec quidem antiquis Canonibus probatur, qui sacros altaris ministros sæcularium hominum obsequio mancipari minimè patiuntur: ideo Concilium Meldense ita statuit: *Nemo laïcorum Presbyteros Ecclesiarum suarum turpi villicationi, & secundum Apostolum sæculari & inhonestæ negotiationi implicare, nec secum aliorsum contra autoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere.* Idem fere Concilium Arelatense apud Burchardum. Vide Concilium Rotomagense 3. sub Guillelmo bonâ animâ, infra Canone 5. pag. 115. ibid.

C. 49. C. 3. l. 2. c. 99.

[ORATIONES PER NORMANIAM] Divina Officia intellige juxta usum Provinciæ ac cujusque Ecclesiæ ritum solita celebrari, nisi pro Rege & Regis exercitu & regno statutæ preces publicæ funderentur, quemadmodum ab Episcopis sancitas prodit Syrmundus [y] tom. 2. Concil. Galliæ. ibid.

y pag. 159 ex lib. 5. capitular. c. 136.

[PRÆTER JUSTOS REDDITUS] *Ad Can.* 5. Huic Decreto suffragantur Concilium [a] Cabilonense sub Carolo magno, Synodus Romana sub Eugenio 2. [b] & Leone 4. Romana item sub Gregorio 7. [c] ad annum 1078. ibid.

a C. 17 b C. 26. c C. 10.

[PROPTER EORUM FEMINAS NULLA PECUNIÆ EMENDATIO EXIGATUR] *Ad Can.* 5. Tantum flagitium ipsos Ecclesiæ Pastores olim Patronos nactum ingemiscit Nicolaus *de Clemangis* Archidiaconus Bajocensis ita loquens: *Iam illud obsecro quale est quòd in plerisque Diœcesibus Rectores Parrochianorum ex certo & conducto cum suis Prælatis pretio passim & publicè concubinas tenent*: ac in primis Archidiaconos eo turpitudinis lapsos conqueritur autor Commentarij in Apocalypsim, qui sub divi Ambrosij nomine olim circumferebatur, ut Clerici adulteria & alia quælibet crimina ab eis facilè redimerent pretio, aut obsequio, immo ad suam usque ætatem ingenti Ecclesiæ probro grassatam passim testis est Claudius Despencæus. ibid.

de corrupto Eccles. statu §. Mihi 22. C. 18. In Epist. ad Titum c. 1.

[A PRESBYTERIS &c. TRIDUO SI EXPEDIT HABEAT] *Ad Can.* 7. Codex manuscriptus Pratellensis & Bigotianus habent [*Sibi quinto*] & quidem rectè. Unde fortè ibid.

manavit

pag. 104. manavit Concilij Lateranensis 3. sub Alexandro 3. decretum, vecturas visitantibus Prælatis tum majoribus, tum minoribus constituens, ita ut Archiepiscopi (secundum tolerantiam loquitur Concilium) quadraginta aut ad summum quinquaginta; Episcopi 20 aut 30, Archidiaconi 5 aut 7 numerum non excedant vecturarum juxta antiquas Toletanorum Patrum sanctiones. C. 4. C. 4.

ibid. [FORISFACTURAM FECERIT] *Ad Can.* 8. Alias forfacturam, forisfactura peregrina vox & obsoleta, à foro derivata, ævi hujus scriptoribus familiaris, Anselmo Cantuariensi, Yvoni Carnutensi, Matthæo Parisiensi in Chronico & alijs passim. Hæc porro crimen, delictum, transgressionem, vel injuriam significat; unde Galli *forfaicture* ex forisfactura deduxerunt: nonnunquam pro mulcta accipitur ut in legibus S. Eduardi Anglorum Regis: *Iustitia* (hoc est justitiarius) *faciat denarium S. Petri reddere, & forisfacturam Episcopi & Regis.* Vide *Spelman* in Glossario, verbo: *Forisfactura.* *Epist. ad Henric. Regem Anglor. C. 10.*

ibid. [DE FORESTIS REGIS] Forestæ vocabulum dubium an originis sit Latinæ. Dictum ex eo videtur quòd esset foris sive extra urbem & agros, ut docet Vossius verbo *Foresta.* Gallis nostris ut plurimum occurrit pro saltu & sylva simpliciter: Anglis verò ampla est agri portio, inculta quidem, plerumque ac nemoribus operta, alendis feris Regijs addicta, nullis mœnibus septa, certisque legibus ac magistratibus, judicibus & officialibus instructa. Vide Vossium loco suprà laudato, & *Spelman* in Glossario. *Voss. de vitijs lingua l. 2. c. 6.*

pag. 105 [CERÆ DENERATA] *Ad Can.* 9. Seu *denarata*, ex *denariata* factum aptius, ut habet codex MS. Pratellensis, Bigotianus *denariatio cera.* Porro *denarata* seu *denariata* generis feminini, pretium est rei quæ *denario* æstimatur, puta mercis, redditûs ac terræ, ut tradit Syrmundus Notis ad edictum Pistense, & ex Charta Besuensi, *denerata cera.* Et ex Charta ingenuitatis quâ Asaira famula est facta ingenua in tabulario S. Witoni, *Vt annis singulis unam deneratam de cera persolvat.* Et in testamento Bertharij ibidem. *Persolvant duas deneratas de cera ad altare S. Witoni*, hoc est, persolvant in cera duos denarios. Nonnunquam in genere masculino enuntiatur, ut à Carolo Calvo in edicto Pistensi, *qui panem coctum per denaratus, aut vinum per sextaria vendunt* &c. Vide *Spelman* in Glossario verbo *denariatus*, qui singulis vocis hujus notionibus exempla subjicit, tum pecuniæ, tum reddituí annuo, tum etiam prædijs significandis adaptat. Vide etiam Jacobum Syrmundum Notis ad Gofridum Vindocinensem. *Edictum Pist. tit. 31 c. 20. capitul.* *lib. 3. Epist. 10*

ibid. [ALTARI OFFERATUR] Hinc proculdubio sacri Cathedralium ædium vectigalis origo, quod etiamnum vulgò debitum appellatur.

ibid. [LAÏCUS PRESBYTERUM NON DET, VEL ADIMAT ECCLESIÆ &c.] *Ad Can. 10.* Ad Episcopum dumtaxat Presbyteros Ecclesijs præficere jure communi antiquo spectat, nec laïcis usquam, secluso privilegio, Clericos instituere licuit.

ibid. [VEL CASTELLIS] *Ad Can. 11.* Castellorum nomine veniunt nedum propugnacula, sed & vici sive rusticanæ domus clausæ mœnibus, quibus Ecclesiæ & Cœmeterij jus competit pro degentium frequentia. Interdum Castellum villam significat & Pagum more sacrarum literarum, ut Matthæi 21 v. 1. *Ite in Castellum quod contra vos est.* Ubi enim latina Vulgata vertit in Castellum, Græca legit. εἰς τὴν κώμην, in Pagum aut in Vicum juxta Syriacam, Persicam & Græcam interpretationem, κώμη quippe dicitur tam pro oppido quàm pro villa, ut docet Henricus *Spelman* in Glossario. In eam sententiam accepisse videtur Concilium, Ecclesiasticorum scriptorum more: nisi fortè quis velit de amplioribus Castris & arcibus intelligi, in quibus & Ecclesiæ & Cœmeteria pro incolarum frequentia olim attributa sunt, ut in munitissimo Cadomensi Castro in quo Parrochialis Ecclesia ac ædes sacræ aliquot ædificatæ sunt: de angustioribus namque accipi vetat Canon: *Si quis inventus.* 17 q. 4.

ibid. [VEL IN BURGIS] Quos vulgò *Bourg* dicimus, à Græca voce πύργος, in Macedonia primùm & Tracia usu recepta, inde ad Germanos, Saxones, Gallos & alias gentes post translatum in Traciam Imperium propagata, mutato π. in β. exemplo Macedonum qui Βερονίκη dicunt pro Φερονίκη, turrimque significat & Castrum seu oppidum quodcumque munitum, ut apud Vegetium. Castellum parvulum quod Bur- *lib. 4. c. 10.*

gum vocant, immò ad urbes ipſas ampliſſimas transferri veterum teſtimonio comprobatur, in primis Guillelmi [a] Malmesburienſis, *Burg* (inquit) *Medehanſted* dicebatur, ſed poſtquam Kenulphus locum muro cinxit, à ſimilitudine urbis *Burch* vocatus eſt: & Rogerius [b] *Höueden* Burgum promiſcuè & villam, id eſt, urbem uſurpat: *Villam* (inquit) *Rex Franciæ intravit, Burgenſes captivavit, Burgum incendit* &c. pro habitaculo in limite ſæpe uſurpatum legimus apud Paulum [c] Oroſium & ſanctum Iſidorum. [d]. Crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgo vocant: de Burgundionibus loquitur, quos à Burgorum frequentia volunt eſſe appellatos; quibus refragantur Renanus [e] & Caſaubonus, [f] denominationem hanc altiùs rimantes. Quidquid ſit, certum eſt ferè ita factum ut cùm prope munimentum, quod Burgum veteres dixerunt extruerent domicilia, quò tutiores forent quæ Burgi præfecto parebant, Burgi denominationem obtinuerunt. Luitprandus [g], & quoniam ipſi domorum congregationem quæ muro non clauditur, Burgum vocant. Poſtea ſæpe mœnia acceſſere, factumque oppidum remanente veteri vocabulo Burgi, unde Burgenſes, Gallis *Bourgeois*, Belgis & Germanis *Burger*, quaſi Burgi incolæ: nomenque inde datum Burgravijs Burgorum præfectis, quæ vox apud Cæſarium frequens. Quia verò ex his arcibus tractu temporis urbes factæ ſunt, inde eſt quod per Galliam & Germaniam tot Burgos habemus, ac in primis in extrema Normania extat Cæſaris-Burgum inſigne illud oppidum à Julio [h] Cæſare olim extructum. Horum Burgorum hìc facta videtur mentio, quatenus oppida ſignificant juxta uſum hujus temporis. Jam verò apud nos Burgi alia eſt notio; Villa enim interdum inſignior appellatur, quæ nec muro nec vallo clauditur.

pag. 105

[a] De vitis Pontif. Angl. lib. 4
[b] In Annal. in Henrico 2. ad ann. 1133.
[c] lib. 7. c. 32.
[d] S. Iſidor. etym. lib. 9. c. 2.
[e] rerum Germanicarum l. 1.
[f] Notis ad Polib.
[g] de rebus per Europ. geſtis l. 3. c. 12.
[h] lib. 2. miraculorum c. 7.

[Quidquid Episcopi &c.] Quid juris olim ad Epiſcopos in Eccleſiarum atria & Cœmeteria ſpectarit, ſacri Canones ac priſca SS. Patrum decernit autoritas, nec uſquam paſſa eſt ea ſæcularium hominum poteſtati eſſe obnoxia: quia ut ait Yvo Carnutenſis: *Non jam in humanis rebus computanda ſunt, quia Dei ſunt*: Idcirco ab exordio naſcentis Eccleſiæ ijſdem ferme privilegijs aucta ſunt quibus Eccleſiæ: eo quòd in ea SS. Martyrum & fidelium corpora humanda inferrentur; vetuſtiores Epiſcopi Synodos congregarent, Conventus & Synaxes agerent Chriſtiani: denique primis illis temporibus erant quæ nunc ſunt templa & orationum loca: inde Cœmeterium pro oratorio apud Caſſiodorum. Cùm autem frequentes conventus ſtatis diebus inibi fierent, infidelium in eos uſque adeo conflavit invidiam, ut Imperatorijs legibus ſæpe vetitum fuerit Cœmeteria frequentare, ne illis in unum conveniendi facultas foret, aliorum licet viciſſim edictis aliàs conceſſum fuerit. ibid.

Epiſt. 229.
Hiſt. Trip. l. 5. c. 3.

Quæ cum ita ſint, Cœmeterijs & Eccleſiarum atrijs eum decuit haberi deinceps honorem, ut ab eis omnis omnino ſæcularis poteſtas eliminaretur; unde Yvo Carnutenſis Cœmeterij cujuſdam conſecrationi, agente Rotroco Moritoniæ Comite, in uſum Monachorum Tyronenſium aſſenſum præbuit, eâ dumtaxat lege ut nulla ibi de cetero ſæcularis poteſtas aliquas acciperet conſuetudines, nullas exactiones extorqueret. Quod ſubinde Concilij Romani ſub Gregorio 7. Canone ſancitum legitur. *Nullus laïcus vel Vicarius in Eccleſia vel Cœmeterio aliquam poteſtatem exerceat, vel aliquem diſtringat, aut capiat, aut furtum ibi requirat, ſed tota in ijs juriſdictio penes Epiſcopum & Eccleſiam manere* decernit; Sed & utroque antiquior Joannes 8 Epiſtolâ ad Adalardum Turonenſem Archiepiſcopum in gratiam Eccleſiæ Turonenſis Cœmeterium cum manſionibus ſine perſonali & civili munere exigendo, niſi divino ſolummodo in Eccleſiaſticis rebus obſequio juxta antiquorum Canonum autoritatem planè liberam fore ſancivit. Quod ad hæc uſque tempora quoad temporalem juriſdictionem in pleriſque Eccleſijs Cathedralibus religiosè obſervatur. Hujus argumenti plura vide Decretalium lib. 3. tit. 49. cap. *Cùm in domibus &c.*

Epiſt. 229.
Epiſt. 42. incerti temporis c. 12. Tom. 3. Conc. Gall.

[In Cimiterijs verò quæ in marchis sunt] *Ad Can. 12.* Marcha idem eſt quòd Gallis noſtris *Frontiere*, atque etiamnum quaſdam regiones Marchas dicimus. Marcham autem à margine dici latina voce nonnullis placet, quaſi ſit rei finis: à Germanica *Mark* melius alij derivant, id eſt, limes ſeu termini alicujus ſignum, vel nota. Ceterùm cùm Marcha propriè limitem ab initio denotaret à vocabulo *Merken*, ut placet Voſſio, id eſt, ſignare; quia lapides pro termino poſiti ſignabantur; latiùs ibid.

ſubinde uſurpata fuit ad ſignificandam totam aliquam ditionem, aut Provinciam, quâ Regnum vel Imperium terminatur; quâ ratione dicimus Marcham Lemovicenſem, Itali Marcham Anchonitanam aut Treviſanam; Germani Marcham Brandeburgenſem, Badenſem, Styriæ, vel Moraviæ, & alias hujuſmodi. (pag. 105)

ibid. [IN ATRIO MANSERINT &c.] Hìc atrium pro Cœmeterio accipitur, ut apud Gratianum. *Nulla ædificia in atrio Eccleſiæ ponantur, ſed tantùm Clericorum*, ubi gloſſa; *Hoc eſt* (inquit) *in Cœmeterio*.

q. 1. c. 4.

ibid. [ECCLESIÆ VILLARUM] *Ad Can. 13.* Villarum nomine urbes cinctæ mœnibus paſſim intelliguntur more barbari ſæculi quo frequentiſſima occurrunt vocabula latino-barbara, origine Gallica in Latinam linguam tranſlata: ut ſunt guerra, paſſagium, maritagium & cetera hujuſmodi latini idiomatis vitio invecta: itaque Villam pro urbe ſæpe ſupponunt ævi hujus ſcriptores. *Hoveden* in Henrico 2. ad annum 1173. *Hugo de Laſcy, & Hugo de Bello-campo Villam Vernolij conſtanti animo defenderunt* &c. Et paucis interjectis, *vix expugnavit particulam Villæ illius* (Vernolij.) Item ad annum 1165. *Volebat enim de nocte abire per Villam* &c. Et paulo pòſt. *Exierunt Villam ad portam quæ ſola erat ſine cuſtode*. De S. Thoma Cantuarienſi ſermo eſt: Matthæus [a] quoque Pariſienſis Andelium Villam appellat; eâ utitur Rotrodus [b] Archiepiſcopus Rotomagenſis ad Guillelmum Senonenſem ſcribens. *Villæ noſtræ parcite* (inquit) *ſi vultis parcere vitæ noſtræ*; ac denique Concilium [c] Baſileenſe: *Eccleſiæ Parrochiales quæ in civitatibus ſeu Villis muratis exiſtunt.* Hìc porro Villarum nomine urbes deſignari planum eſt, more Gallorum.

[a] *ad annum 67 & 89*
[b] *Epiſt. infrà pag. 164.*
[c] *Seſſ. 31 decret. de collat §. de qualif. præficiendorũ beneficijs.*

ibid. [QUANTUM CIMITERIJ &c.] Quantum Cœmeterij ſeu atrij Eccleſijs tum majoribus tum minoribus antiqua jura conſtituerint, ex Decretis Nicolai Papæ apud Gratianum notum eſt, ubi ſic Pontifex: *Sicut antiquitùs à ſanctis Patribus ſtatutum eſt, ſtatuimus ut major Eccleſia per circuitum 40 paſſus habeat: Capellæ verò, vel minores Eccleſiæ 30.* Tantumdem ſpatij omnibus indiſtinctè concedit Joannes Papa Epiſtolâ ad omnes Epiſcopos apud eumdem Gratianum ubi ſuprà, exceptis Capellis intra Caſtellorum ambitum conſtitutis, quas eo privilegio propter locorum anguſtiam gaudere voluit.

17 q. 4. inter decret. Nic. in codice ormaneti.
c. 11. Quiſquis inv. nt.

ibid. [SI VERÒ EXTRA VILLAM] *Ad Can. 14.* Ad veterem Eccleſiæ morem hìc reſpexit Concilium extra civitatum mœnia mortuorum corpora ſepeliendi, Romanis maximè ſolemnem à pleriſque gentibus ad Chriſtianos à multis jam inde retro ſæculis tranſlatam, idque cum alijs de cauſis; tum ne fœtore humatorum corporum viventes inficerentur; cujus frequens tum apud ſacros tum prophanos ſcriptores eſt mentio. Sic enim in actis Liberij Papæ traditur, ipſum juſſu Conſtantini Imperatoris Arriani ſecundò exturbatum ab urbe habitaſſe in Cœmeterijs ſuburbanis Novellæ & Oſtriano nuncupatis, ibique quamplurimos baptizaſſe; & ex quadam divi Chryſoſtomi oratione intelligitur, morem fuiſſe Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in die Paraſceves ad Cœmeterium extra urbem in concione convenire, quòd ſimili die Chriſtus ad mortuos deſcendiſſet, [a] ſcribitque omnem Civitatem & Caſtellum, ante ingreſſum habuiſſe ſepulchra; divus etiam Hieronymus [b] Cœmeterij Chriſtianorum Anthiochiæ meminit quod erat extra portam Daphniticam: ac denique S. Athanaſius in apologijs ad Conſtantium, & de fuga ſua teſtatur Alexandriæ in hebdomade poſt Pentecoſten, catholicum populum completis jejunijs ad orandum in Cœmeterium abijſſe, ne ſacrilega Gregorij Pſeudo-Epiſcopi à qua abhorrebat, communione pollueretur. Mitto quæ ejuſdem argumenti habent Evagrius [c] & Gregorius [d] Turonenſis.

de Cœmeter. appellatione & c. uce.
[a] *ſerm. de fide & lege poſt medium.*
[b] *in S. Ignatio lib. 2. de ſcript. Eccleſ.*
[c] *l. 4. c. 86.*
[d] *de glor. confeſſ. c. 74.*

Eâ lege vixerunt Chriſtiani primis Eccleſiæ temporibus, quibus politicis ac civilibus tum Judæorum tum Gentilium legibus tenebantur. At ubi ſacra religionis ſuæ jura ac religioſos ceremoniarum ſuarum ritus abſque obice exercere licuit, liberumque fuit Epiſcopis de rebus Eccleſiaſticis pro arbitrio diſponere, tunc publicis Baſilicis pleraque Cœmeteria exornata ſunt, & diſtingui cœperunt Eccleſiæ à Cœmeterijs, ipſaque tam intra quàm extra urbes ſepeliendis mortuis deſignari, vel remota ab Eccleſijs, vel proxima ſacris ritibus conſecrari. De quibus intelligendus Optatus Milevitanus cùm Donatiſtis objicit eos Catholicorum Baſilicas invadere molitos, ut ſibi ſolis Cœmeteria vendicarent, ſatis indicans his verbis fuiſſe illa Eccleſijs con-

lib. 6. de ſchiſm. Donat.

tigua, aut certè ab eis non multum dissita.

Cod. Iustin. de sacro s. Eccles. l. 2. & Cod. Theod. de sepult. viol. l. penult.

a Decret. l. 3 c. 157.

b C. 36.

c lib. 3.

d l. 4. Dialog. c. 53.

e Chrys. Homil. 26 in 2. ad Corinth. Idem lib. quòd Christus sit Deus circa medium. Idem Homil 66. ad populum Antioch antiquioris editionis.

Novella 57

Ea porro fuit majorum nostrorum religio cavere diligenter ne intra Ecclesias defunctorum corpora humarentur; sed in Cœmeterijs suburbanis, vel in atrijs Ecclesiarum vicinis conderentur. Extat in eam sententiam Theodosij Senioris Imperatoris Constitutio, profertur & alia insignis apud [a] Burchardum Concilij [b] Bracarensis 1. sanctio infra Basilicas defunctorum corpora sepelire vetans, sed deforis juxta murum Ecclesiæ. *Nam si* (inquit) *hoc privilegium usque nunc retinent Galliæ Civitates, ut nullomodo intra ambitum murorum civitatum cujuslibet defuncti corpus sit humatum, quanto magis venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.* Accedunt conferta SS. Patrum testimonia, inter quos antiquissimus Optatus [c] Milevitanus adversus Donatistas schismaticos ita scribit; *Vnde proditum est mandatum fuisse fieri quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est*; Sed & Gregorius [d] magnus, testis est, & Chrysostomus [e] Imperatores præclarè admodum secum agi existimasse testatur, si in Apostolorum vestibulo conderentur, quodque Imperatoribus sunt in aulis principum janitores, hoc in sepulchro Piscatorum fuisse Imperatores. Hùc referenda videntur quæ de Valentiniano seniore Ammianus Marcellinus, de Theodosio juniore Evagrius, Cedrenus, atque Nicephorus de Arcadio & Joviano Imperatoribus. Horum pietatis æmulatores extiterunt S. Lupus Senonensis Antistes in stillicidio Ecclesiæ sanctæ Columbæ conditus: & inter religiosos Galliæ principes, Pipinus Francorum Rex, & Richardus 2 Normanorum Dux; hic juxta murum Ecclesiæ Fiscanensis, ille in atrio ad januam Basilicæ S. Dionysij pronâ in terram facie sepultus.

Accidit tamen progressu temporis, ut sicut ex majorum consuetudine ijsdem Cœmeterijs quibus Martyres, etsi non ijsdem sepulchris aliorum corpora Christianorum sepeliebantur, sic translatis jam sub Christianis principibus sanctorum Martyrum reliquijs, in Ecclesias publicas tam extra quàm intra urbes positas, in eisdem pariter aliorum corpora cœpta sunt sepeliri: sed tum maximè cùm primum Leonis Imperatoris cognomento Philosophi prodijt constitutio, quâ legem intra Ecclesias sepeliendi inclementiæ & absurditatis accusans, eamque in humanæ naturæ dedecus & opprobrium cedere multis rationibus declarans, sanciendo prohibuit ne ullo modo inter leges civiles recenseretur; quin potiùs sicut jam à consuetudine contemnebatur, sic etiam Decreto ipsius Imperatoris prorsus reprobata sciretur, & ut quicumque sive intra sive extra muros civitatum sepelire vellet mortuos, perficiendæ voluntatis facultatem haberet.

a c. 9 citatur à Burch. sub nomine Concil. Meld.

b C. 6.

c C. 17.

d C. 52.

e C. 21.

f C. 62.

Quem morem Gallias nostras pervasisse conqueritur Theodulphus Aurelianensis [a] Capitulis ad Presbyteros Parochiæ suæ datis, unde piæ majorum nostrorum institutionis à Carolo magno instaurandæ nata est occasio, ac editis subinde eo nomine plurimis Conciliorum Decretis firmata. Hùc spectant Conciliorum Nannetensis [b] Triburiensis, [c] Moguntini, [d] Arelatensis [e] 6. Meldensis, [f] & Hincmari [g] Remensis statuta; ac imprimis Theodulphi suprà memorati Capitula, unde ævi sui mores ac subsequentium Conciliorum intelligentiam mirificè explicat; ejus autem hæc sunt verba: *Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata & ad offerendas Deo hostias præparata Cœmeteria sive poliandria facta sunt. Vnde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur. Nisi fortè talis sit persona Sacerdotis aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora verò quæ antiquitus in Ecclesijs sepulta sunt nequaquam projiciantur, sed tumuli qui apparent profundiùs in terram mittantur, & pavimento desuper facto nullo tumulorum vestigio apparente Ecclesiæ reverentia conservetur. Vbi verò tanta est multitudo cadaverum ut hoc facere difficile sit, locus ille pro Cœmiterio habeatur ablato inde altari, & constructo ubi religiosè & purè Deo sacrificare valeat.* Hæc Theodulphus. Ex quo intelligas non omnium indistinctè fuisse relictum arbitrio intra sacras basilicas sibi tumulum deligendi; sed Episcopis & Regibus, Abbatibus alijsque Ecclesiæ Prælatis, aut certè quibusdam vitæ sanctimoniâ conspicuis personis more majorum concessum.

a C. de Monach. tit. de Præbendis l. 3. Decretal.

[Si Monachis datur Ecclesia &c.] *Ad Canonem 15.* Quadruplici ex capite jus ibid. ad sæculares Ecclesias adeptos esse Monachos docet Panormitanus [a] suis ad caput *de Monachis*

pag. 105.

pag. 205 *Monachis* Commentarijs. Quandoque enim Ecclesiæ ad Monachos pertinent ex donatione Laïci : plerumque ex largitione Episcopi, cujus dispositioni totam Ecclesiæ substantiam sacri Canones subjiciunt ; Nonnunquam ex propria fundatione : Interdum ex juris Patronatûs translatione in jus Cœnobiorum devenisse produnt pleræque fundationum tabulæ. Et quidem quod ad Episcopos spectat, ipsi olim pro singulari sua erga Monachos observantia ac studio, quos in Pastoralis sollicitudinis partem adsiscere consueverant, tamquam de Ecclesia egregiè meritos Ecclesiasticis patrimonijs augere certatim contendebant. Quid quod ab ipso Benedictinæ Familiæ exordio, postquam multi ejus alumni ad primarias dignitatum Ecclesiasticarum infulas evocari cœperunt, celebres illicò Monachorum coloniæ & Apostolicorum hominum agmina, ex intimis Cœnobiorum latebris erumpentes, ad Romani Pontificis nutum disseminandi Evangelij causâ, per varias Europæ Provincias dispersi, agrestes populos sacro Baptismate initiatos christianis legibus imbuerunt, Diœceses erexerunt, publicæ animarum saluti strenuè operam suam navarunt, sacra coram peragentes, populum ex suggestu docentes, ceterasque præstantes Apostolici muneris functiones. *C. Pastoralis de privil. C. Exposuisti de Prabend. C. Congregato 2. 16 q. 2. C. Pastoralis de donationibus.*

Eam ob causam Monachos publicis Sacerdotij functionibus præfici æquum fuit, ut quos olim spirituales filios in Christo per Evangelium genuerant, hos deinceps educarent ac foverent : quod & egregiè præstiterunt, donec postmodum Clericis sæcularibus ad animarum regimen accitis ex antiquo jure cesserunt.

Hinc manavit primariorum Rectorum in Parrochijs titulus ; Abdicata siquidem à Monachis, Parrochialis muneris curâ, Vicarij primùm temporanei Ecclesiæ ex constitutione Sacerdotis primarij, vel Abbatis, seu Conventûs, quibus assignati erant beneficij fructus, annuente Diœcesano Præsule præpositi : Tum demum ex sacrorum Canonum præscripto perpetui suffecti sunt, quibus regendi populi, Sacramenta ministrandi, ceteraque Sacerdotij munia præstandi cura incumberet ; assignatâ subinde ex ejusdem Ecclesiæ proventibus portione congruâ. *Concil. Later. c. 9. C. de Monachis. de Prab. C. Extirpanda. ibid. C. Exposuisti ibid.*

Hucusque D. Angelus Godin.



OBservationes quas in Concilia Rotomagensis Ecclesiæ parabat D. Angelus *Godin*, morte præventus ultra annum 1080 non est prosecutus, quo Concilium apud Julibonam sub Guillelmo I. de bonâ animâ dicto habitum fuit. Sane optandum foret, ut eâ quâ præditus erat sacræ antiquitatis cognitione opus integrum absolvisset. At cùm me & tanto viro æque ac oneri imparem non diffitear, & insuper periculum esset, ne opus in majorem excresceret molem; nec me lateat hac nostra ætate longiores observationes paucis omnino placere, ut qui brevitati penè omnes studeant unde eas ut plurimum contraximus, sicque ejusmodi Notæ nisi aliquid reconditioris ac exquisitioris litteraturæ contineant, eruditis inutiles æque ac indoctis qui, ijs rarò immorentur, inde est quòd ejusmodi laborem alioquin satis provectum prætermittere suasus libenter omnino acquievi.

NOTÆ ET OBSERVATIONES

In Concilium Rotomagense, seu Synodum generalem Rodomi sub HLudoveo glorioso Rege habitam.

circa annum 880.

QUO potissimum tempore habitum fuerit præsens Concilium conjecturam nostram in præfatione hujus operis dedimus. Utrum rem assecuti fuerimus nec ne, judicabit æquus lector. Certè ipsius Canones penè omnes collegit Burchardus quos sparsim juxta operis sui dispositionem varijs titulis collocavit, licet ut videre est alio usus fuerit apographo & aliter disposito ferè in omnibus quoad numerum Canonum. Quem enim primum exhibet lib. 1. *De primatu Ecclesiæ* ex Concilij Rotom. cap. 16. is est qui II. præsentis Concilij à nobis ponitur, & sic fere de ceteris qui in numero tantum discrepant & in positione titulorum, qui desunt in MS. unde erutum est ejusmodi Concilium, quæ forsan præfixerit ipsemet Burchardus. Sed & longè ante illius tempora quosdam ex his Canonibus protulerat Regino Prumiensis Abbas in sua collectione, utpote qui X. XIV. XV. & XVI. habeat. Advertendum autem hìc obiter XVI. Canonem nostræ collectionis (qui & postremus hujus Concilij) à Reginone primum libri sui secundi positum, varios consequenter habere Canones quos tribuere videtur eidem Concilio, præfixo cuique Canoni titulo (*unde suprà*) qui ambiguitatem continet, cum æque materiam de qua agitur, ac locum unde Canon desumptus fuit designare possit, ut scitè observavit clarissimus vir Stephanus * Balusius in Notis suis ad Reginonem, qui etiam advertit, perperam à Burchardo cetera omnia quæ hìc sub ejusmodi titulo habentur, tribui Eutichiano Papæ, ut qui verisimiliùs censeat *Formulam* fuisse, *secundum quam Episcopi interrogare debebant laïcos in unaquaque Parœcia.*

[Margin: pag. 33. — edit. Par. an. 1548 — * pag. 578.]

NOTÆ ET OBSERVATIONES

In Concilium incerti temporis.

TRes illi Canones hujus Concilij quos apud Burchardum libri secundi capitibus 59, 60 & 61 legimus, habentur apud Bochellum Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ lib. 1. tit. 3. capitibus 67, 68, & 69 quos frustra Maurilio Archiep. tribuit, scilicet anno ut ait 1055. in Concilio sub Guillelmo Notho, ut putat, factos cùm nullum nobis vestigium appareat habiti hoc anno Concilij, benè autem anno 1063. at cùm ut præmonui à Burchardo proferantur qui anno circiter 1020 collectionem suam in lucem emisit, inde conficitur Concilium istud antiquius fuisse Maurilio, ac si conjecturæ meæ locus detur; facilè crediderim ejusmodi Canones conditos, circa Normanorum adventum, quo tempore qui ad Christianæ fidei partes transibant instruendi erant de præcipuis Religionis nostræ mysterijs sanctissimæ scilicet Trinitatis, Incarnationis & Resurrectionis. Neque levius hallucinatur cùm caput illud quod de subulcis agit, quodque apud Burchardum lib. 10. cap. 18. habetur, ipse Bochellus lib. 1. tit. 14. cap. 54 asserit quartum esse ejusdem Concilii, atque etiam illud quod quintum locum te-

[Margin: pag. 44.]

hoc & est de bubulcis ad Missam mittendis, & aliud de Baptismo hæreticorum non iterando, quæ apud Reginonem reperiuntur Maurilio longè antiquiorem.

pag. 44 Huic autem Concilio incerti temporis Excommunicationis Formulam adjunximus, quam Burchardus lib. 11. cap. 16. ex Concilij Rotomag. cap. 3. profert, quæ priùs à Reginone, editionis Balusianæ pag. 358. exhibetur, qui cùm Canonem ex eodem Concilio proferat à nobis prætermissum, hìc opportunè locandum censuimus.

De Presbytero accusato. Ex Concil. Rotom.

CCCCVI. Ut nullus Episcopus Presbyterum accusatum ab officio Missæ removeat, nisi ad causam suam dicendam die statutâ litteris evocatus minimè occurrerit, id est, infra spatium mensis. Et si post mensem secundum non occurrerit, tunc ab officio suspendatur quousque pro se rationem reddat. Si enim laïci non canonicè excommunicantur nisi tertiò fuerint vocati atque commoniti, indignum videtur ut Sacerdotibus denegetur, qui majoris ordinis & dignitatis sunt, quod laïcis regula Ecclesiastica indulgenter permittit. Pro tanto enim habetur Sacerdotem ab officio removere, pro quanto laïcum à communione Ecclesiæ cessare. Nam unde laïci excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris submoventur.

Post hunc Canonem subditur forma Excommunicationis cujus titulus paulò aliter apud Reginonem disponitur, quàm in nostræ collectionis pag. 44. Yvo Carnotensis Decreti parte XIV. pag. 387 cap. 75. citat idem caput : *Noverit caritas* &c. ex Concilij Rotomag. capite tertio. At sequentia capita Concilio Aurelianensi ascribit, quæ ut superiùs monui Regino Rotom. tribuere per verba *unde suprà*, videbatur. Desunt præterea duo sequentes Canones in nostra collectione quos ex Concilio Rotomag. nobis idem Regino supplet paginâ 238, & ab Yvone parte 10 referuntur cap. 103. At mendosè apud Burchardum lib. 17. cap. 53. Arelatensi Concilio tribuuntur & Matisconensi, est autem primus.

Si qua mulier filium aut filiam occiderit. Ex Concil. Rot.

LXVIII. Sunt quædam mulieres, ut ad notitiam sancti Concilij pervenit, quæ ex fornicatione concipientes, metuentes ne scelus quod occultè perpetrarunt manifestum fieret, infantes quos pepererunt occiderunt, & terræ congerie cooperuerunt, aut in aquas projecerunt. Quod quantum nefas sit, Canones Ancyrani, Eliberitani, atque Hilerdensis Concilij testes sunt. His itaque vix in fine dandam esse communionem decernunt. Sed humaniùs tractantes, post decennem pœnitentiam tales placuit ad communionem recipi.

Ut ante januam adulteri infantes exponantur. Ex eodem Concil.

LXIX. Igitur quia diabolo suadente, & carnis fragilitate de-

lectante, & ideo consentiente, multotiens talia perpetrantur; ideo ex una mortifera potione aliam utcumque mederi cupientes, ne geminetur scelus adulterij & homicidij, damus consilium ut unusquisque Sacerdos in sua plebe publicè adnuntiet ut si aliqua femina clanculò corrupta conceperit & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocumque prævalet ingenio, ante januas Ecclesiæ partum deportari faciat, ibique projici; ut coram Sacerdote in crastinum delatus ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur, & tali ex causa homicidij reatum & quod majus est, parricidij evadat. Nam qui filium aut filiam interficit, parricida omnimodis teneatur.

Est & alius 415. ejusdem libri secundi quem ex Concilio item Rotom. idem Regino profert quiam ad Concilium istud incerti temporis cum alijs præcedentibus Canonibus attineat, an ad aliud aliquod antiquius hariolari non libet. Est autem præsens Canon.

De eo qui patrem vel matrem inhonorat. Ex Conc. Rotomag.

CCCCXV. Si quis Patrem aut matrem percutit, aut maledicit, quia capitalia crimina commisit, publicam inde pœnitentiam agat, sicuti de gravioribus peccatis. Ait enim Dominus: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Quem enim
Exod. 21. Dominus dignum morte judicat, proculdubio pro homicida tenetur, & sicut homicida debet pœnitere.

Cùm autem quatuor quæ extant ex Concilio ad Pistas capitula apud eumdem Reginonem in nostra collectione desiderentur, nempe in Concilio Pistensi quod pagina 24 & sequentibus dedimus, ne quid eorum quæ ad rem nostram attinere quoquomodo sciremus diligentiam nostram fugere posset, ea hìc ponenda duximus, quorum primum est lib. 2. tit. CCXCIII. pag. 322

Si Episcopus non excommunicet prædatorem. Ex Conc. ad Pistas.

CCXCIII. Episcopus autem secundùm Toletani Concilij capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi qui talia pag. 24.
contra Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si eos quolibet munere, vel favore aut negligentia admonere aut excommunicare distulerit, ut aut revertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia ejiciat, excommunicatus à collegio ceterorum habebitur quousque emendationis vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur. Quoniam nisi communiter certaverimus ut in omnibus justitia conservetur, nec Rex pater patriæ, nec Episcopi propitiatores & reconciliatores populi, nec qui participatione nominis Christi Christiani vocamur, hoc quod

humano ore dicimur in divinis oculis esse valemus.

Quo tempore Sacramenta jurentur. Ex Concil. ad Pistas.

CCCXVIII. Constituimus unà cum consensu & consilio fidelium nostrorum ut ab ipso die, quo sacramentum accipitur, post quadraginta dies & quadraginta noctes, id est, quadragesimo secundo die de sex septimanis, ipsâ feriâ qui illud sacramentum accepit, legaliter in locis constitutis juret. Et si ipsa dies intra quadragesimam evenerit, nemo jurare præsumat. Et si quis præsumpserit, bannum nostrum componat, & inde pœnitentiam Episcopali judicio faciat. Ipsâ autem quadragesimâ à capite Jejunij cum ipsa feria quarta usque ad illud die Lunis post octavas Paschæ observari præcipimus.

Alterum est.

Vt justæ mensuræ sint. Ex Capit. ad Pistas.

CCCCXXVI. Ut Comites & omnes Reipublicæ ministri, seu ceteri fideles nostri provideant quatinus justus modius, & æquus sextarius, secundum sacram Scripturam & Capitula prædecessorum nostrorum, in civitatibus & in vicis vel in villis ad vendendum & emendum fiat, & mensuram secundum antiquam consuetudinem de palatio nostro accipiant. Et si cui reputatum fuerit mensuram adulterasse, si liber homo est, aut sacramento secundum legem suam se expurget; aut si culpabilis invenitur, bannum nostrum persolvat, & à ministris Reipulicæ tollatur quod cum injusta mensura vendere voluit. Si autem colono servo hoc reputatum fuerit, judicio Dei se indeexaminet; & si convictus fuerit, perdat rem, id est, hoc unde mensuram adulteratus est, insuper & nudo corio virgis cædatur. Et sive servus, sive liber post legalem emendationem Episcopale judicium suscipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim [a]: *Æquus tibi sit modius, & sextarius æquus.* Et alibi [b]: *Mensuram & mensuram odit Dominus.* Et item [c] *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur, de quibus Apostolus [d] dicit quòd qui ea fecerit, *cum hujusmodi nec cibum sumere* licet Christiano. Similiter per civitates & vicos atque mercata ministri Reipublicæ provideant, ne illi qui panem & carnem per deneradas & vinum per sextarios vendunt, mensuram adulterare possint; sed quantos mensurabiles panes de justo modio in unaquaque civitate Episcopi vel Ab-

[a] Levit 19. [b] Prov. 10. [c] Psal. 14 [d] 1. Cor 5.

bates à suis pistoribus recipiunt, tantos mensurabiles panes de eodem modio á pistoribus qui panem vendunt fieri faciant. quòd si inventi fuerint mensuram adulterare vel minuere, & damnum sustineant & virgis cædantur. Homines etiam quibus hoc commissum est, ut provideant ne mensuræ minorentur. Si de perjurio quod juraverunt quòd hoc consentire non debuissent fuerint convicti, secundum legem puniantur, aut perdant manum, aut redimant, aut grave damnum sustineant, & postea ab Episcopo de perjurio publicam pœnitentiam accipiant.

Superest tertium caput ex eodem. pag. 374.

De Conspirationibus.

CCCCXXX. Nos quoque Episcopi autoritate Dei & sacrorum Canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX Calchedonensis Concilij conspirationem fieri prohibuerunt, & sicut cetera Episcoporum Concilia hujusmodi facta perniciosa vetuerunt, & nos prohibemus; quia facientes illa per eorum judicium, qui cum Deo jam in cœlo regnant, & à cœlesti Ecclesia & Christianorum societate separati sunt, nisi per dignos pœnitentiæ fructus ad hoc redeant, ut sanctæ Ecclesiæ possint readunari.

BUllam Innocentij 2. *De protectione Ecclesiæ Rotomagensis* pag. 131 dedimus ex apographo lacunis & varijs erroribus consperso: tandem diu conquisitum aliud exẽplar nacti longè correctius, & mendis repurgare, & quod in priori desiderabatur, hic supplere persuasi sumus.

In ipso titulo post *successoribus* adde *Canonicè substituendis in perpetuum. Ibid. l. 2 lege* successibus. *Pag. 132 lin. 13 lege* intra.

Douvrent ac Devillam cum aquis, sylvis, pratis, molendinis, & cum omni libertate & justitijs. Prata quoque super Sottevillam juxta Sequanam sita, & domum ibidem ad fœna conservanda, Rotomagi domum propriam, curiam & hortum, extra muros pomerium & mansionarios de quibus habes censum & justitiam. Ea etiam quæ sunt de feodo Rotomagensis Archiepiscopi, scilicet Wilcassinum Franciæ, præter illa castella quæ ad jus Regis ex antiqua consuetudine pertinent. Sanè Alba-marla cum omnibus ad eam pertinentibus, & castrum Toëni & castrum Alleïum Ambianensi civitati proximum quod supra Somenam situm est, vobis sicut cetera autoritate Apostolicâ communimus. Terminos verò Parrochiales infra quos Mellendum & Pontisara continentur vobis firmamus, sicut à Pontisara usque ad mare protenduntur, & antiquis finibus à Belvacensi & Ambianensi Parrochijs distinguuntur; ex alia autem parte à Mellendo castro non solùm Sequanâ flumine, sed etiam ultra Sequanam antiquis territoriorum finibus discernuntur, videlicet usque ad fluvium *Rithle*, & inde per Sequanam usque in

pag. 133

mare. Nulli ergo omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus molestijs fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris & eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus profutura, salvâ in omnibus S. Romanæ Ecclesiæ justitiâ & reverentiâ. Si quis igitur hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertióve commonitus si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen, Amen, Amen.

† Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
† Ego Willelmus Prænestinus Episcopus.
† Ego Johannes tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis.
† Ego Ubertus Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis.
† Ego Jocelinus Presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ.
† Ego Gregorius Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi.
† Ego Wido Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ in via lata

Datum Blesis per manum Aimerici S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij 5 Nonas Octobris. Indictione X. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXXI. Pontificatûs verò Domni Innocentij Papæ II. anno 2.

Ordonnance de Monseigneur l'Illustrissime & Religiosissime Archevêque de Roüen, Primat de Normandie, Pour maintenir la paix dans son Diocese.

FRANÇOIS *par la permission divine Archevêque de Roüen, Primat de Normandie, A tous les Fidelles qui sont soûmis à nôtre autorité, Salut & Benediction.*

LA paix & le repos des Fidelles sont la gloire de l'Evêque, dit S. Pierre Chrysologue; & ce qui peut luy donner une veritable paix & une joye achevée, est de voir regner une bonne intelligence & une charité parfaite dans les cœurs de ses enfans. Le devoir du Prelat, adjoûte ce grand Archevêque, est d'instruire les peuples de leurs principales obligations, comme celuy des peuples est de recevoir avec respect & avec docilité ses instructions salutaires: le Pasteur est obligé de deffendre tout ce qui est illicite & criminel, & le Troupeau doit de sa part écouter son Pasteur, & s'abstenir de toutes les choses qu'il luy a interdites. Si ces deux devoirs sont accom-

plis, toutes choses sont en bon état; puisque Dieu ne trouve rien dans le peuple que sa Justice doive punir, & que l'Evêque n'a rien qui luy puisse donner de la peine & du déplaisir dans l'exercice de son ministere.

Nous pouvons dire avec verité que depuis le jour que nous avons été élevez, quoy qu'indignes au Gouvernement de cette grande Province, nous n'avons eu rien plus à cœur que d'y voir regner une veritable paix, comme elle est le legs precieux & le gage divin de l'amour de Jesus-Christ, qui a voulu luy-même en prendre le nom, & s'appeller nôtre paix : nous avons apporté tous les soins possibles pour la conserver, ou pour la rétablir lorsque nous avons vû naître le moindre sujet de craindre qu'elle ne fut alterée. Nôtre tres-illustre Predecesseur & Oncle de glorieuse memoire, avoit toûjours gardé cette sage conduite, il nous a laissé heritiers de cette paix aussi-bien que de son siege; & nous pouvons nous donner cette gloire, ou plustost la rendre à Nôtre Seigneur Jesus-Christ que le Saint Esprit appelle le Dieu & le Prince de la paix que dans tous les troubles excitez de puis quelques années dans l'Eglise, par la nouveauté de plusieurs questions plus impotunes qu'édifiantes qui l'ont agitée, nôtre Diocese par une benediction particuliere de Dieu est demeuré dans la paix, & s'est conservé dans le calme au milieu de toutes ces tempêtes; parceque l'Eglise étant selon le langage du S. Esprit cette Cité mysterieuse bâtie sur la montagne; & la paix dans la pensée du grand S. Augustin n'étant autre chose que la concorde & l'intelligence reglée, qui se trouve entre l'autorité de ceux qui doivent gouverner cette Cité, & la soumission des citoyens qui doivent obeyr, nous avons toûjours tenu la main à ce que les regles de la Foy demeurassent inviolables, & que les Oracles de l'Eglise fussent reçus avec l'obeïssance & le respect qui leur est dû : Et nous avons sujet de remercier Dieu que n'avons point trouvé de resistance de la part de ceux qui doivent écouter & apprendre de nous les regles de leur croyance & de leur conduite.

Mais nous apprenons avec douleur que depuis quelque temps il s'est élevé entre quelques uns de nos Diocesains un esprit de division & de discorde, qui se trouvant nourrie & entretenuë par un prétexte de zele pour la conservation de la Foy, en détruit neanmoins le fondement, la perfection & la vie, puisqu'elle étouffe la charité, sans laquelle toute la Religion est un corps sans ame, & la Foy la plus fervente devient morte & inutile. On se donne des noms de Secte & de party entre les Catholiques; on se traite de *Janseniste* & de *Semipelagien*, avec des aigreurs qui rompent les amitiez les plus saintes; on dogmatize au lieu de se convertir, on se diffame, on se calomnie; & par une malheureuse émulation que l'on estime être pour la gloire de Dieu, mais que nous reprouvons comme un tres grand mal, puisqu'elle n'est reglée ny par la science, ny par l'humilité, ny par la charité, on tombe infailliblement dans une infinité d'excez qui luy sont inseparablement attachez : ce sont ceux dont S. Paul fait le dénombrement dans sa 2. Epître aux Corinthiens, qu'il appelle *des querelles, des jalousies, des animositez, des dissensions, des médisances, des vanitez, des seditions, & des murmures.* *Quoy donc*, disoit ce grand Apôtre animé de l'Esprit de

Dieu,

Dieu, *pensez-vous que Jesus-Christ se puisse diviser de la sorte ? Paul a-il été crucifié pour vous, avez-vous été baptisez en son nom* ? & faut-il que l'on entende des noms de schisme & de secte dans une Eglise & dans un temps où tous les Fidelles doivent n'avoir qu'un même sentiment, & ne parler qu'un même langage ?

La Justice & la Paix se sont entrebaisées, dit le Psalmiste ; Et le moyen d'avoir la paix, selon la pensée de S. Augustin, est de faire la justice : c'est faire justice à Dieu autant que nous le pouvons, de ne point prévenir son Jugement, & de ne point usurper cette souveraine autorité de juger les hommes, qu'il s'est reservée à luy seul. *Tu quis es qui judicas alienum servum ? Domino suo stat an cadit : stabit autem, potens est enim Deus statuere illum* : c'est faire justice à nos freres de ne les point juger ny condamner sans autorité & sans ordre, sur des soupçons ou des conjectures qui souvent n'ont point d'autre principe qu'une présomption secrette, qui nous faisant concevoir une estime particuliere de nous mêmes, nous inspire le mépris & une méchante opinion de nôtre prochain, nous fait tomber dans ce defaut que l'Apotre S. Jacques reprend si divinement dans ces belles paroles, *Prenez garde, mes freres, de ne point médire les uns des autres, celuy qui médit de son frere, ou qui juge son frere, médit de la Loy, & juge de la Loy : Or si vous jugez la Loy vous n'étes pas observateurs de la Loy, mais vous vous en établissez le juge ; car car il n'y a qu'un Juge & vn Legislateur qui peut nous perdre & nous sauver : Or qui étes-vous qui osez juger votre prochain* ?

Pour empêcher que le mal n'aille plus avant, nous conjurons par les entrailles de la misericorde de Jesus-Christ nôtre Seigneur, tous ceux qui ont quelque amour & quelque respect pour l'autorité sacrée qu'il nous a mise entre les mains par sa grace, d'entrer dans les sentimens de cette veritable charité, qui est le caractere des enfans de Dieu. Et comme d'une part nous renouvellons, entant que besoin seroit, nos Ordonnances précedentes sur l'execution des Bulles des Saints Peres Innocent X. & Alexandre VII. touchant la Censure des cinq Propositions condamnées ; & comme nous entendons & ordonnons que tous les Fidelles soûmis à nôtre conduitte Pastorale ayent à y obeïr ; & que s'il se trouvoit (ce que nous ne croyons pas) quelques personnes qui eussent la temerité de les advancer ou d'en soûtenir la Doctrine, il soit procedé contre eux par toute la rigueur des voyes prescrites par le Droit. D'autre part, desirans de tout nôtre cœur que nôtre Troupeau vive dans l'union & dans la charité que nôtre Seigneur Jesus-Christ nous a recommandée par ses parolles & par ses exemples, Nous deffendons tres expressément, & sous peine d'excommunication, à tous nos Diocesains, de se donner ces noms de *Janseniste* & de *Semipelagien*, ou autres semblables sentans le Schisme & le party ; ou de se condamner & se diffamer les uns les autres sur des soupçons & des deffiances indiscrettes, & tout à fait ennemies de la divine paix. Paix que le grand S. Augustin appelle si admirablement, la serenité de l'ame, la tranquillité de l'esprit, la simplicité du cœur, le lien de l'amour, & l'assemblage de la charité Chrêtienne. Sauf à ceux qui reconnoîtront qu'il se fasse quelque contravention

à nosdites Ordonnances & à l'execution desdites Bulles, de suivre l'ordre qui leur est prescrit par Jesus-Christ & par son Eglise, & nous en donner advis, ou en nôtre absence, à nos Officiers, ausquels nous enjoignons d'y apporter les remedes necessaires. Et afin que nos sentimens soient mieux connus, & executez plus exactement, Nous ordonnons que les presentes soient lûës aux Prônes des Messes Parroissiales dans les Villes principales de nôtre Diocese, & envoyées aux Maisons Religieuses, à la diligence des Doyens. DONNE' à Roüen en nôtre Conseil dans nôtre Palais Archiepiscopal, le 3. jour de Janvier 1659.

Signé FR. ARCHEVEQUE DE ROUEN.

Et plus bas, Par le commandement de Monseigneur.
MORANGE.

EXciderat è Synodico Harlayano mandatum istud Francisci III. quod seriùs quidem, sed tamen opportunè satis, conquisitum damus; non solùm appendicis sed totius operis coronidem; quid enim Ecclesiæ menti immo & Episcopali dignitati convenientius, quàm conciliandæ paci insudare. Id quod sanè feliciter omnino assecutus est Prælatus ille qui ingentem hanc Diœcesim pacificè adeo moderatus est, cuique æternum pacis amantissimus discedens relinquere voluit istud monimentum.

FINIS.

ERRATA

Pauca quæ nolentibus irrepserunt, facile erit vel imperitis levi ductu calami emendare, graviora quæ nobis occurrerunt sic corrigenda. Cetera supplebit eruditus ac pius Lector, si, quæ effugerint, ipse perspicacioribus oculis deprehenderit.

P*Ag. 79 lin. 31 post* quibusdam *adde* habitum *P. 95 l. 28 videtur addendum post* nisi pœniteant *P. 98 lineæ 17 18 19 & 20 superfluæ delendæ. P. 101 l. 29 post* gemmis *adde* ornato *P. 112 l. ult. delenda. P. 126 l. 5* Karolo *apud Ordericum, sed malè, legendum* Henrico *Ibidem l. 12 lege* Audoënus *P. 130 l. 31 lege* vestrum *Ibid. l. 39 lege* atque *P. 133 l. 34 lege* intra *P. 134 l. 33 lege* & à nobis *& l. 36* per scripta *P. 149 l. 31 lege* Theobaldo *P. 164 l. 31 lege* palam *P. 169 l. 6 lege* libertati restituere *P. 176 l. 21 lege* celebretur *P. 179 l. 25 lege* alios, & P. 190 l. 25 lege *major es, humilia te P. 208 l. 29 lege* cùm tribus sit *P. 210 l. penult. lege* utpote *P. 212 l. 28 lege* nisi tantùm *P. 219 l. 30 lege* compelleret *P. 224 l. 30 lege* non debere *& l. 31* nisi in *P. 237 l. 3 dele* non *P. 271 l. 27 lege* 1275 *P. 311 l. 33 lege* locorum *P. 318 l. 11 lege* undequaque P. 479 lege *Patriarchalis P. 491 l. 32 lege* λαμπροφορῦσι.

In fine Chronologiæ inter Episcopos Constantienses lege: De Lesseville; & infrà: Carolus Franciscus *de Lomenie, de Brienne 1668.*

INDEX

Rerum quæ in hoc Volumine continentur.

A

B

C

CONCILIA

Quorum Canones seu Decreta non habentur, sunt 25.

Concilia quorum Canones habentur.

Annus	*Archiepiscopus*	*Locus*	*Numerus Canonum.*	*Pagina.*
693.	ſub S. Anſberto	Rotomagenſe	unicum.	18.
863.	ſub Wenilone	Piſtenſe	4. Capitula	24
circa 879.	ſub Joanne.	Rodomenſe	16.	33
circa 900.	ſub Witone.	Rotomagenſe	3.	44
1050.	ſub Malgerio.	Rotomagenſe	19	66
1061.	ſub Maurilio.	Cadomenſe	3.	72
1063.	ſub eodem.	Rotomagenſe	1.	73
1072.	ſub Joanne II.	Rotomagenſe	24 Canones, 7 & 8	86
1073.	ſub eodem.	Rotomagenſe	14 confuſi.	
1080.	ſub Guillelmo I.	Juliobonenſe	46.	94
1096.	ſub eodem.	Rotomagenſe	8	103
1106.	ſub eodem.	Lexovienſe	4	113
1128.	ſub Gaufrido.	Rotomagenſe	3.	116
1172.	ſub Rotrodo.	Abrincatenſe	13.	128
1189.	ſub Waltero.	Rotomagenſe	32.	156
1279.	ſub Guillelmo de Flavacuria.	apud Pontem-Audomari	24	171 271
1299.	ſub eodem.	Pratenſe.	7.	278.
circa 1310.	ſub eodem.	Pintarvillanum.	1.	281
1313.	ſub Ægidio *Aſſelin.*	Pratenſe 2	6.	288
1335.	ſub Petro Rogerio	Pratenſe 3	13.	292
1445.	ſub Radulfo.	Rotomagenſe	41	305
1522.	ſub Georgio II.	Rotomagenſe	6	318
1581.	ſub Card. Borbon.	Rotomagenſe	12 Cap. plures Can.	332

D

I

L

M

N

O

P

Q

R

Regula

S

T

V

Y

FINIS.